ANALYSIS LOGICA

SEPTEM EPISTOLARUM APOSTOLICARUM, QUÆ CATHOLICÆ APPELLARI SOLENT:

videlicet

Jacobi	I.
Petri	II.
Johannis	III.
Judæ	I.

UNA CUM SCHOLIIS ET OBSERVATIONIBUS locorum doctrinæ.

Authore

M. JOHAN. PISCATORE, SACRARUM LITERARUM in illustri Schola Herbornensi Professore.

LONDINI,

Impensis Johan. Wolfe.

cIↃ IↃ xcIII.

SUPPLEMENTUM ISTO-

LARUM ABSTOLICA-

ILLUSTRISSIMO POTENTISSIMOQUE PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO FRIDERICHO IIII. Comiti Palatino ad Rhenum: utriusque Bavariæ Duci, sacri Rom. Imperii dapifero & Electori; domino suo clementiss.

GRATIAM ET PACEM A DEO PATRE PER DOMINUM NOSTRUM IESUM CHRISTUM.

ILLUSTRISSIME AC POTENtissime Princeps Elector, Domine clementissime. Non puto Celsitudinem tuam admodum mirari, quid causæ sit, quód præsens opusculum Celsitudini tuæ offerre atque inscribere non vereor. Etenim meminisse potest C. T. quám clementer ipsa me superiore anno amicos veteres Heidelbergæ invisentem, ad prandium invitârit; & quám humaniter exceperit comparentem. Hujus tanti honoris quo Celsitudo tua me est dignata, obliviscí me non decet: sed potiús humanitatem Celsitudinis tuæ grato animo prædicare.

Quam quidem humanitatem nuper ampliús confirmavit, & singulari benevolentiæ erga me & favoris erga scholam Herbornensem significatione auxit C. T. quum tam facilem sese præbuit in donandis illi Scholæ ad petitionem meam, pretiosis illis ac magnificis BIBLIIS REGIIS: quod tam splendidum opus Bibliothecam scholæ nostræ tanquam lucidissima aliqua stella exornabit, & de Celsitudinis tuæ munificentia, & literarum atque literatorum amore perpetuo testabitur. Pro

quibus equidem beneficiis aliquam grati animi significationem præsente inscriptione Celsitudini tuæ á me præbendam esse duxi.

Et veró si rem omnem diligentiús perpendo attentiúsque considero: video officii mei esse ut in prædicanda Celsitudinis tuæ benignitate mihi declarata, non subsistam: sed memoriam temporis præteriti repetens, ad commemoranda beneficia ab illustriss. Princip. Celsitudinis tuæ avo & patruo in me collata ascendam. Nam quum ante annos circiter viginti Heidelbergam, purioris Religionis gratiâ me contulissem: & beatiss. memoriæ illustrissimo Principi Electori FRIDERICHO III. Celsitudinis tuæ avo adventus mei causa innotuisset: factum est ut per Celsitudinis ipsius apud amplissimum Universitatis senatum commendationem, professionem Physicam tum vacantem (quam ego á spectabili Facultate Artium petiveram) facilé impetrârim. Cui beneficio non ita multo póst accessit alterum. nam quum operam meam senatui Ecclesiastico ad suscipiendam gubernationem Pedagogii Heidelbergensis tum vacantem obtulissem: illa meæ fidei ab istis Celsitudinis ipsius ministris promtè fuit commissa.

Atque hæc sunt beneficia quæ á sanctiss. memoriæ Celsitudinis tuæ avo in me sunt profecta. Jam ad illustrissimum Principem ac laudatissimum Ducem JOHANNEM CASIMIRUM, Celsitudinis tuæ patruum, quod attinet: quum ille statim post illustrissimi parentis mortem scholam novam Neostadii aperuisset: mihi quoque in illa locus aliquis datus, & tenuitati meæ á munifica Celsitudinis ipsius liberalitate nonnihil subventum fuit: nec non spes amplioris promotionis facta.

Quæ quum ita sint: ego meritó Palatinatum tanquam alteram patriam, atque adeó nonnullorum ex liberis meis natale solum, amo: eidémque benedictiones Dei tum corporales tum spirituales exopto: ut sub clementissima Celsitudinis tuæ gubernatione floreat, & puro Dei cultu in pace fruatur.

Verumenimveró etsi nec ab illustrissimis illis Principibus, Celsitudinis tuæ propinquis, nec ab ipsa Celsitudine tua quicquam privati in me beneficii extaret: tamen satis iustam atque idoneam habere mihi causam viderer honorandi hac inscriptione Celsitudinem tuam: quód Deo placuit sanctam Ecclesiam suam per Celsitudines vestras maximis beneficiis afficere.

cere. Quis enim ignorat, quanto zelo illustrissimus Celsitudinis tuæ avus, FRIDERICHUS ille PIUS elaborârit, ut in Ecclesiis Palatinatus tum doctrina de Sacramentis á falsis dogmatibus, tum administratio illorum á superstitiosis ceremoniis repurgaretur? Quis nescit, quanto studio tum scholas ab antecessore acceptas conservârit & meliús constituerit; Universitatẽ dico Heidelbergensem, domum Sapientiæ & Pædagogium: tum veró novas aperuerit, Neuhusianam, Ambergensem, & Seltzanam? ut jam taceam de scholis minorib. passim per oppida & pagos institutis. Intellexit nimirum Celsitudo ipsius, scholas Christianas veluti seminaria sive plantaria esse, ubi plantulæ educantur quæ suo tempore in vineam Ecclesiastici ministerii transplantatæ, suavissimos doctrinæ cælestis fructus ferunt.

Quod ipsum intellexit quoque illustrissimus Celsitudinis tuæ patruus, laudatissimus Dux JOHAN. CASIMIRUS: qui patre defuncto, scholam Neostadii aperuit: eique clarissimos viros, ac præcipué Theologos doctissimos, quos patri defuncto charissimos fuisse noverat, præfecit. Adhæc quanti ille studia literarum faceret, luculenter demonstravit insigni illo Principalis munificentiæ exemplo: quod veteri ac ruinoso domus Dionysianæ ædificio diruto, novam ibi ad Studiosorum illorum habitationem domum, splendidissimam sanẽ, ædificavit: quæ meritó ab illius nomine CASIMIRIANA dicitur. Sed hanc munificentiam longè superat fortitudo ipsius bellica: quam pro defensione Ecclesiarum Gallicarum aliquoties demonstravit, & persecutores illarum ad pacem eis promittendam coëgit. Quin etiam suum in Ecclesia Heidelbergensi quam-optimé constituenda zelum in eo evidenter ostendit illustrissimus ille heros: quód adhibitâ Celsitudine tuâ amicum examen cum civibus illis instituit, quibus restituta per ipsum Ecclesiastici status reformatio displicebat. In quo examine tuæ quoque Celsitudinis pietatem cum singulari humanitate conjunctam emicuisse, famâ accepi.

Macte igitur virtute illustrissime Princeps, sic pergat C. T. insistere laudatissimis propinquorum vestigiis: sic pergat imitari divina illa sanctissimorum Principum qui olim populum Dei rexerunt, exempla: Davidis inquam, Salomonis, Ezechiæ, Josiæ. Etenim quantopere desiderârit David, bellis Domini

mini confectis & hoſtibus populi Dei circumquaque ſubjugatis, ædificare Deo templum: legimus ſecundo Samuelis ſeptimo, & primo Chronic. vigeſimo ſeptimo & vigeſimo octavo. Quantâ item alacritate atque induſtriâ filius illius Salomon templum illud ædificârit, traditur primo Regum quinto, & ſecundo Chronicorum ſecundo. Quantâ etiam cum devotione hic idem Salomon templum illud conſecrârit, habetur primo Regum octavo, & ſecundo Chronicorum ſexto. Quanto veró zelo cultum Dei collapſum reſtituerint, & ab idololatria repurgârint ſanctiſſimi illi Reges, Ezechias & Joſias: copioſé in libro ſecundo Regum, nec non in ſecundo Chronicorum narratur. Et in hiſtoria Ezechiæ illud cum primis memorabile eſt, quód ex obſidione & minis blaſphemis regis Babylonii in maximas anguſtias redactus, templum ingreſſus eſt, opemque Domini ardentiſſimis precibus effuſis, contra impium illum hoſtem imploravit. Quod ipſum in graviſſimis negotiis illuſtriſſimum Electorem, Celſitudinis tuæ avum, FRIDERICHUM illum PIUM, facere ſolitum, á fide dignis accepi.

Hæc igitur exempla tum veterum illorum ſanctiſſimorum Regum, tum propinquorum Celſitudinis tuæ, illuſtriſſimorum Principum, Celſitudo tua ſemper ob oculos propoſita ſibi habeat: eaque, ſicut præclaré & cum plurimorum piorum gaudio & gratulatione cœpit, imitari pergat. Hinc enim fiet ut omnes pii intelligant, Celſitudinem tuam in numero illorum Principum eſſe, quos Eccleſiæ novi Teſtamenti Dominus jam olim promiſit: quum per prophetam Eſaiam cap. 49. ſic eam eſt affatus: ET ERUNT REGES NUTRITII TUI. Quæ Principis laus ſané maxima eſt. Et pietas illa præmia á Deo tum in hac vita, tum in futura, teſte Apoſtolo, adipiſcitur.

Cæterúm ut de operis hujus ratione ac modo nonnihil dicam: continentur illo ea quæ proximo biennio auditoribus meis in ſchola Herbornenſi, ad explicandum ſeptem epiſtolas quatuor Apoſtolorum, Jacobi, Petri, Johannis & Judæ (quæ á veteribus Catholicæ appellatæ ſunt) propoſui. Quam quidem explicationem (ut ante hoc tempus epiſtolarum Pauli) in lucem edere volui, ut in primis prodeſſem ſtudioſæ ſacrarum literarum juventuti: quæ brevibus hujuſmodi Notis magis quám prolixis, quales non pauci extant, Commentariis videtur adjuvari.

Ordinem

PRÆFATIO.

Ordinem in explicando obſervavi eum, ad quem ipſa docendi praxis me duxit: & quem veræ methodo quam-maximé congruere arbitror. Etenim præmiſsâ generali cujuſque libri analyſi, qua breviter totius ſummæ membra ante oculos ponuntur, ſpecialem deinde ſingulorum capitum analyſin perſequor. Et quum ex ipſarum ſententiarum intelligentia, quam Logica ejuſmodi analyſis aperit, dependeat explicatio obſcuriorum verborum & loquendi formularum: idcirco Analyſi proximé ſubjungo Scholia ad textum exponendum atque explanandum. Poſtremó quum teſte Paulo, omnia quæ præſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam præſcripta ſint, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem illam teneamus: quumq; ut idem Apoſtolus alibi dicit, omnis Scriptura divinitus ſit inſpirata, ſitque utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem quæ eſt in juſtitia: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus: idcircó poſt illam tum rerum tum verborum explicationem annotavi Locos doctrinæ, quos quidem obſervare mihi datum fuit. Quæ locorum annotatio ſic demum concionatori utilis eſſe poterit: ſi pro ratione temporis & gregis ſuæ fidei commiſſi, delectum in illis habeat, & ſingulos aliis Scripturæ teſtimoniis atque exemplis confirmet ac illuſtret.

Ex his paucis intelligere poteſt C.T. quæ utilitas ad Eccleſiam ex hoc meo opuſculo per Dei gratiam ac benedictionem videatur perventura. Quo nomine ipſum Celſitudini tuæ gratum atque acceptum fore confido: ita ut bona me ſpes teneat, Celſitudinem tuam eâdem vultus ſerenitate libellum hunc accepturam, quâ me ipſum nuper excepit.

Quod reſtat: Deum patrem D. N. Jesu Christi oro, ut Celſitudini tuæ diuturnam vitam, felicem gubernationem ac perpetuam pacem largiatur: ut (quod nomen Celſitudinis tuæ ſonat) Dives Pacis eſſe ac dici poſſis. Herbornae x. Martii. Anno Domini M. D. XCIII.

Illuſtriſſ. Celſ. tuæ ſubjectiſſimus

Johan. Piſcator Argentinenſ. ſacrar. literarum Profeſſor in ſchola Herbornenſi.

ANALYSIS LOGICA
EPISTOLÆ JACOBI.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΟΝ DE EPISTOLAE *HUJUS AUTHORITATE,* ET SCRIPTORE.

TAmetsi & [a] jam olim & [b] noſtra quoque ætate dubitatum à doctoribus nonnullis fuit, an hæc epiſtola inter canonicas ſcripturas numeranda ſit: quæ nimirum in Eccleſia authenticæ ſunt, tanquam ὁμολογούμενοι ac proinde αὐτόπιστοι: cui quidem dubitationi occaſionem præcipuè præbuit locus ille de Juſtificatione fidei: de qua hic ſcriptor doctrinam doctrinæ Pauli è diametro repugnantem videatur tradere: tamen quum ille locus ſi rectè & ex mente ſcriptoris exponatur, nihil doctrinæ Pauli adverſari, ſed potiùs cum ea conſentire intelligatur: conſequens eſt, non fuiſſe hanc juſtam atque idoneam cauſam hujus Epiſtolæ repudiandæ aut é canone ejiciendæ. Nam quòd quibuſdam non videtur prædicare Chriſtum, eò quòd nihil tradat de ratione conſequendi ſalutem per Chriſtum crucifixum: ſciendum, etſi id non facit ita copioſè & diſertè & ex profeſſo, ut Paulus: tamen id facere, ubi docet, hominem juſtificari non inani fidei ſimulacro, nec fide illa qua in genere creditur, vera eſſe quæ tradit verbum Dei ſacris literis comprehenſum: ſed fide illa viva quæ ex ſe parit bona opera. hæc enim eſt illa ipſa fides quæ promiſſionem gratiæ propter Chriſtum promiſſam ſibi privatim applicat: quippe ex tantæ gratiæ vera ac viva agnitione, gratam ſeſe Deo exhibere ſtudens, ac proinde bona opera ex ſe producens. Nec verò æquum eſt ut ſingulis temporibus idem argumentum ab Apoſtolis tractari flagitetur: ſed potiùs eos juſtè ac ſapienter feciſſe ſtatuendum, quatenus doctrinam ſuam ad neceſſitatem auditorum accommodarunt. Licet autem ex ipſis hujus epiſtolæ variis admonitionibus colligere, Jacobum hanc ſcripſiſſe ad eos qui de ratione conſequendi ſalutem per Chriſtum jam erant inſtituti; ſed illa doctrina abutebantur ad licentiam carnis, aut certè non edebant fructus illius doctrinæ cognitione dignos. Quare totus in hoc eſt Jacobus, ut Hebræos jam ad fidem Chriſtianam converſos ad vitam illa fide dignam exhortetur, & varia in illis vitia veræ fidei repugnantia reprehendat & corrigat. Et ſanè Johannes quoque in prima ſua epiſtola (quæ ſemper pro canonica habita fuit) non hoc ex profeſſo ac principaliter agit ut Chriſtum crucifixum prædicet: id enim abundè jam fecerat in ſuo Euangelio: ſed ut Chriſtianis charitatem commendet ac omninò ſtudium piè ſanctè juſtèque vivendi. Quæ quum ita ſint: nos rationibus illis quæ contra hanc epiſtolam adferri ſolent, non movemur. Quin potiùs quum non ſolùm nihil Apoſtolo indignum contineat, ſed etiam gravitatem ac zelum Apoſtolicum per omnia præ ſe ferat, libenter eam pro canonica atque authentica recipimus. Porrò ſcriptor ejus videtur omnino fuiſſe Jacobus cognomento Alphæi. nam * Jacobus Zebedæi, frater Johannis, ſtatim ſub initia prædicati Euangelii é medio ſublatus fuit per Herodem, ut legimus Actor. 12. Hæc autem epiſtola aliquanto póſt tempore videtur ſcripta eſſe, quum Euangelium jam inter

[a] *Euſebius lib. 2. c. 23. hanc epiſtolã & epiſt. Judæ, adulterinas vocat: Istẽ lib. 3. c. 22. inter libros Scripturæ quibus contradicitur, præter has duas enumerat etiam poſteriorẽ Petri. Verùntamen Auguſtinus de doct. Chriſti. lib. 2. c. 8. omnes has epiſtolas inter ſcripturas Canonicas enumerat.*

[b] *Lutherus in ſua in hanc epiſtolam præfatione non habet eam pro Apoſtolica.*

* *Huic eam falsò attribuit Syrus interpres: apud quẽ reperitur hæc trium epiſtolarum (videlicet hujus, & primæ Petri & primæ Joãnis) inſcriptio: Tres epiſtolæ trium Apoſtolorum, ante quorum oculos Domi-*

inter Græcos quoque prædicatum esset: inter hos enim Hebræi isti Christiani ad quos hæc epistola directa est, erant dispersi: ut liquet ex principio. Quo minus autem tribuenda videatur hæc epistola Jacobo illi cui cognomen erat Obliæ, quique unus fuit ex discipulis Domini, & postea Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ: id obstat, quód catholicam epistolam scribere, id est pluribus simul ecclesiis communem, non autem uni certæ propriam, videtur Apostolici muneris proprium fuisse.

mus noster sese transformavit: id est, Jacobi & Petri & Johannis. nam certum est, Jacobū qui trāsformationi interfuit, fuisse fratrem Johannis, Matth. 17. vers. 1.

ARGUMENTUM EPISTOLAE.

EPistola hæc ferè tota est νουθετικὴ, continens admonitiones varias: quibus Apostolus & vitia quibus Hebræi ad quos scribit, laborabant, corrigit: & eos in contrariis virtutibus instituit. Vitia quæ corrigit, sunt fere ista. Cap. 1. impatientia sub cruce, blasphemia in culpa transferenda in Deum, seu in Deo constituendo authore peccati, iracundia, malitia, morositas in admittenda institutione verbi Dei, falsa opinio pietatis ex nudo verbi Dei auditu, falsa species religionis seu potiús religiositatis: c. 2. prosopolepsia injustè adulans divitibus impiis, & contumelia afficiens pauperes pios; vana jactantia fidei & falsa opinio de fide justificante: cap. 3. arrogantia in proximis reprehendendis, maledicentia, invidia, irritatio & rixæ: cap. 4. securitas carnis indulgens voluptatibus, obtrectationes, confidentia in statuendo de eventis negotiorum institutorum: cap. 5. avaritia, crudelitas in deneganda operariis mercede, luxus, oppressio piorum, impatientia in tolerandis injuriis fratrum, levitas seu temeritas jurandi. Atque hæc sunt vitia quæ corrigit: Virtutes verò in quibus eos instituit, fere sunt hæ. cap. 1. patientia sub cruce, preces ex fide, agnitio propriæ corruptionis & bonitatis Dei, modestia & lenitas in admittenda institutione ex verbo Dei, assidua meditatio verbi Dei & studium instituendi vitam ex illius præscripto, studium frenandi linguam, beneficentia erga afflictos, circumspectio in cavenda inquinatione mundi: cap. 2. justitia in proximo honorando & commiserando, studium ostendendi fidem per bona opera: cap. 3. moderatio linguæ, mansuetudo & studium pacis: cap. 4. studium obediendi Deo & resistendi diabolo, luctus ob admissa peccata, modestia: cap. 5. patientia sub cruce iterum, exercitia pietatis in utroque rerum statu, preces pro ægrotis, denique studium convertendi fratrem errantem.

Ex quatuor illis Scripturæ utilitatibus quas commemorat Paulus 2. Tim. 3. 16. hic regnant duæ posteriores, videlicet ἐπανόρθωσις & παιδεία.

Igitur loci præcipui admonitionum hac epistola contentarum, sunt isti octodecim: 1. de patientia præstanda sub cruce, & de patientiæ dono petendo á Deo. 2. de cavenda blasphemia in constituendo Deo authore peccati. 3. de verbo Dei reverenter audiendo ac meditando. 4. de religiositatis vana specie cavenda. 5. de justitia adhibenda in honorandis proximis. 6. de cavenda inani jactantia fidei, & fide ex operibus demonstranda. 7. de cavenda arrogantia in corripiendis fratribus. 8. de lingua frenanda. 9. de cavenda invidia & rixis. 10. de cavenda avaritia, intemperantia & superbia. 11. de cavendis obtrectationib. 12. de cavenda inani confidentia in negotiis instituendis. 13. de cavendo abusu divitiarum. 14. rursus de patientia præstanda sub cruce. 15. de cavenda temeritate jurandi. 16. de suscipiendis exercitiis pietatis in utroque rerum statu. 17. de orando pro ægrotis. 18. de fratre errante in viam reducendo.

ANALYSIS

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Primo capite quatuor præcipué loci admonitionum continentur. Primúm enim consolatur eos sub cruce & ad illam patienter ferendam exhortatur: ac simul monet, patientiam tanquam singulare Dei donum, á Deo cum fide esse postulandam, usque ad vers. 13. Deinde dehortatur eos á blasphemia qua nonnulli peccata sua transcribunt Deo, usque ad vers. 19. Tum hortatur ad reverentiam in audiendo verbo Dei, & ad studium in eo meditando factisque exprimendo, usque ad vers. 26. postremó monet, ne quis se decipiat vana opinione religiositatis: sed potiús ut moderatione linguæ, beneficentia erga afflictos, & studio sanctitatis sese veré religiosos ostendant.

DE PRIMA PARTE CAPITIS,

1 *Jacobus Dei ac Domini Jesu Christi servus, duodecim tribubus dispersis, salutem.*

2 *Pro summo gaudio ducite, fratres mei, quoties in tentationes varias inciderítis:*

3 Illud *scientes; explorationem fidei vestræ parere tolerantiam.*

4 *Cæterúm tolerantia opus perfectum habeat: ut sitis perfecti & integri, ita ut nihil vobis desit.*

5 *Quód si cui vestrum deest sapientia, postulet á Deo: qui dat eam omnibus benigné, nec exprobrat: & dabitur ei.*

6 *Sed postulet cum fide, nihil disceptans: nam qui disceptat, similis est fluctui maris qui ventis agitatur & jactatur.*

7 *Non enim existimet homo ille, se quicquam acceptúrum á Domino.*

8 Ut qui sit *vir animo duplici, & inconstans in omnibus viis suis.*

9 *Porró frater qui est humilis, glorietur in sublimitate sua:*

10 *Contrá, qui dives est, in demissione sui: quoniam veluti flos herbæ præteribit.*

11 *Nam* ut *exortus est sol cum æstu, arefecit herbam; & flos illius decidit, & spectabilis decor ipsius periit. Ita & dives in viis suis marcescet.*

12 *Beatus* est *vir qui tolerat tentationem: quoniam quum probatus erit, accipiet coronam vitæ; quam promisit Dominus iis qui diligunt eum.*

VErsu 1. continetur subscriptio, inscriptio, & salutatio. Versu 2. orditur á re ipsa, & incipit eos consolari contra tentationes, id est, persecutionem qua affligebantur ab hostibus Euangelii: ut colligitur ex vers. 3. ubi vocat explorationem fidei. Propositio hortationis continetur vers. 2. amplificata comparatione majoris, ubi ait, *Pro summo gaudio ducite.* quasi dicat: Non solúm persecutionem patienter ferte, sed etiam ducite pro gaudio, eóque summo, hoc est, vehementer propter illam exultate. Versu 3. duo argumenta hortationis continentur: quorum utrumq; sumptum est ab utili effectu: prius, quód persecutione probetur seu exploretur

&

& in lucem proferatur ipsorum fides : posterius, quód persecutio pariat patientiam, nempe per gratiam & operationem Spiritus sancti, 2. Corinth. 1. ℣. 5. Versu 4. propositionem hortationis repetit, & amplificat ex adjuncta constantia, quatenus hortatur ut patientia ipsorum sit perfecta & integra. Versu 5. per prolepsin docet, unde illam patientiæ perfectionem atque constantiam possint adipisci, videlicet á Deo: ac proinde hortatur ut eam á Deo postulent. quam ipsam exhortationem confirmat tribus argumentis. 1. ab adjuncta consuetudine seu more Dei : *qui dat* omnis generis bona *omnibus* petentibus. 2. ab adjuncta promtitudine seu alacritate : dat enim *benigné*. 3. á molesto adjuncto negato : nam *non exprobrat*, si quid beneficii in nos contulit. Ex his argumentis infert, sapientiam illam patienter ferendi persecutionem á Deo datum iri petentibus. Versu 6. hortationem proximam amplificat á causa procreante, videlicet fide, ubi ait : *Sed postulet cum fide*, id est, cum certa persuasione de Dei erga se gratia, ac proinde cum certa spe exauditionis. Hanc fidem declarat per contrarium, quatenus á precatione abesse jubet διάκρισιν, id est, disceptationem sive hæsitationem. Deinde hujus hortationis argumentum affert ab adjuncta istius disceptationis turpitudine : quam turpitudinem significat similitudine maris fluctuantis & ventis agitati : turpe est enim & Deo contumeliosum, mentem illius qui aliquid á Deo petit, ita fluctuare. Versu 7. ex allata ratione alteram deducit, quæ sumta est ab eventu inutili : quia is qui cum ejusmodi animi fluctatione petit, nihil á Deo impetret. Versus 8. rationem priorem repetit, & tanquam posterioris causam annectit. nam quòd Deus fluctuantibus istis nihil dat, facit eorum inconstantia ac diffidentia : quæ in contumeliam Dei redundat. Versu 9. consolatur eos qui abjectæ erant conditionis in hoc mundo : jubens eos gloriari in sublimitate sua : intelligens haud dubié illam sublimitatem, qua omnes in Christum credentes evecti sunt in honorem filiorum Dei, quo honore nihil homini potest accidere sublimius. Versu 10. per antithesin divites ac omnino quotquot sublimioris conditionis sunt in hoc mundo, hortatur ad modestiam : cujus hortationis argumentum affert ab adjuncta divitiarum ac omnino gloriæ mundanæ instabilitate : quam instabilitatem illustrat similitudine florum, hoc versu & sequente. Versu 12. redit ad exhortationem initio institutam de præstanda patientia in persecutione, & affert aliud argumentum ab eventu utili, videlicet donatione coronæ vitæ, hoc est, vitæ seu beatitudinis æternæ, qua Deus veluti coronabit eos qui strenué certaverint in cruce propter gloriam ipsius perferenda. Hoc argumentum confirmat testimonio generali promissionis Dei. neque enim citat certum Scripturæ locum ubi illa promissio extet : sed in genere indicat, illam in Scriptura extare : vel potiùs intelligit promissiones á Christo identidem pronuntiatas : quales extant Matth. 10. vers. 22. & capite 19. vers. 28. & 29. item Johann. 16. vers. 22. Præterea idem argumentum confirmat á causa procreante seu impulsiva, ubi ait, Dominum promisisse coronam vitæ *iis qui ipsum diligunt*. quibus verbis innuit, Deum impelli atque moveri illa dilectione strenuè pro ipsius gloria certantium, ut eos vicissim diligat, ac proinde ipsorum certamina corona vitæ compenset. Nec tamen propterea putandum, nos nostra dilectione quicquam á Deo promereri. nam quód ipsum diligimus, hoc quoque gratuitum ejus donum est.

DE

DE SECUNDA PARTE CAPITIS.

13 *Nemo quum tentatur, dicat, A Deo tentor. nam Deus tentari malis non potest, nec quenquam tentat.*

14 *Sed unusquisque tentatur, dum á propria cupiditate abstrahitur & inescatur.*

15 *Deinde cupiditas, posteaquam concepit, parit peccatum: peccatum verò peractum gignit mortem.*

16 *Ne errate, fratres mei dilecti.*

17 *Omnis donatio bona & omne donum perfectum, é supernis est, descendens á Patre luminum, apud quem non inest transmutatio, aut conversionis obumbratio.*

18 *Is quia voluit, progenuit nos sermone veritatis, ut essemus primitiæ quædam suarum creaturarum.*

Hic reprehendit blasphemiam eorum qui peccatorum suorum causam transferebant in Deum, ut sese hoc modo excusarent. Docet igitur, Deum non esse peccati causam: & contrá veras peccati causas, & quo ordine seu quibus gradibus ipsum generetur, exponit. Igitur initio vers. 13. a blasphemia illa dehortatur, inquiens: *Nemo quum tentatur* (id est ad peccandũ sollicitatur) *dicat, se á Deo tentari.* Deinde Deum neminem tentare seu ad peccandum sollicitare, probat ex immutabili ipsius sanctitate: *nam Deus tentari malis* (id est peccatis) *non potest.* Versu 14. & 15. peccati (videlicet actualis) causas procreantes veras exponit, itemque illius procreandi modum. Causæ exponuntur duæ: una in ipso homine, videlicet propria ejus cupiditas: altera extra hominem, videlicet voluptas, quæ peccato adhæret. hanc significat ubi ait, *unumquenque á propria cupiditate abstrahi & inescari*: pro quo propriè dixisset, uniuscujusque cupiditatem abstrahi & inescari ab objecta voluptate: quippe quæ esca malorum est, ut rectè Plato pronuntiavit. Modus peccati procreandi consistit in illa ipsa cupiditatis per voluptatem abstractione atque inescatione: quam Apostolus nominat conceptionem. Concipit enim innata cupiditas propositum peccandi, quum á voluptate quam peccato adhærere sentit, inescatur & abstrahitur: quo fit ut absque mora peccatum vix conceptum pariat, nisi vel vi exteriùs, vel interiùs virtute Spiritus sancti, vel etiam judicio rectæ rationis aut metu pœnæ cohibeatur. Huic expositioni procreationis peccati, veluti per gradationẽ annectit perniciosum peccati effectum, videlicet mortem, nempe mortem æternam: ut hoc argumento á peccando deterreat. Versu 16. institutam reprehensionem repetit, blasphemiam illam vocans errorem. Versu 17. probat esse errorem, si quis Deo adscribat causam peccati. hoc probat á repugnantibus, ad hunc modum: Deus est immutabiliter bonus ac sanctus: Ergo author est tantùm actionum bonarum & sanctarum, ac omnino donorum bonorum. Non igitur est author peccati. nam si esset author peccati, oporteret ipsum esse malum: saltem ad tempus: ac proinde non esset immutabiliter bonus. Versu 18. sententiam præcedentem de bonis Dei donis declarat exemplo regenerationis atque sanctificationis Hebræorum ad quos scribit: commemorans simul regenerationis illius instrumentum, sermonem veritatis, id est Euangelium. Sanctificationem verò illustrat similitudine primitiarum: quæ olim in Lege Deo sacræ erant & in templo offerebantur. Ita fideles Deo sacri sunt.

DE TERTIA PARTE.

19 *Itaque fratres mei dilecti, sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram.*

20 *Nam ira viri, justitiam Dei non exequitur.*

21 *Quapropter abjectis omnibus sordibus & excremento malitiæ, cum lenitate recipite insitum illum sermonem, qui potest servare animas vestras.*

22 *Reipsa verò præstate sermonem: nec estote auditores solùm, falsò ratiocinando fallentes vosmetipsos.*

23 *Nam si quis audit sermonem, & eum non præstat, is similis est viro consideranti faciem suam nativam in speculo.*

24 *Nam simulatq; consideravit se, abiit, & statim oblitus est qualis esset.*

25 *At qui introspexerit in perfectam illam Legem libertatis, & in ea permanserit: is quia non fuerit auditor oblivioſus, sed effector operis, is* inquam *beatus erit in opere suo.*

Quoniam proximé mentionem fecit sermonis veritatis, id est, verbi Dei: addit hic exhortationem, qua partim hortatur ad docilitatem in illo audiendo, usque ad V. 22. partim ad vitam ex illius præscripto instituendam, versibus reliquis. Ad docilitatem hortatur his verbis: *Itaque fratres mei dilecti, sit omnis homo velox ad audiendum*: videlicet sermonem illum veritatis, de quo dictum est versu præcedente. Hanc hortationem amplificat dehortatione á vitiis contrariis, quæ sunt illius docilitatis causæ corrumpentes seu impedientes. Ea vitia hic commemorantur tria: præsumtio in aliis docendis, iracundia in monitis aliorum admittendis, & malitia. Præsumtionem illam vetat, ubi ait, *Tardus ad loquendum.* Iracundiam verò, ubi ait: *Tardus ad iram.* Et hujus dehortationis argumentum inserit v. 20. ab effectu pernicioso: quia ira homines impediantur quó minús exequantur justitiam Dei, hoc est, quam Deus á nobis requirit. Porró malitiam commemorat pluribus verbis initio v 21. ubi ait, *Quapropter abjectis* (nempe tanquam onere impediente cursum rectè agendi) *omnibus sordibus & excremento malitiæ.* Reliqua parte versus hortationem institutam renovat, inquiens, *Cum lenitate recipite insitum illum sermonem.* videlicet sermonem illum veritatis, quem Spiritus sanctus serere solet in animis electorum. In fine versus addit argumentum ab effectu utili, dicens, *quód ille sermo possit servare animas ipsorum.* nempe si fuerit animis penitus insitus & fide contemperatus, ut Paulus ad Hebræos loquitur. Atque hæc prima institutæ hortationis pars est. Versu 22. & deinceps hortatur ad vitam ex præscripto verbi Dei instituendam, inquiens: *Reipsa verò præstate sermonem.* nempe tum credendo promissionibus Dei, tum obediendo mandatis ejus. Hanc hortationem amplificat antithesi diversorum per comparationem imparium: ubi ait, *Nec sitis auditores solùm.* Atque hanc sententiam confirmat ab effectu pernicioso: quia qui putant se Deo placere si sermonem ejus solúm audiant, non autem reipsa quoque præstent, illi *seipsos fallunt*: quippe qui scopum suum non assequuntur, nempe ut Deo placeant. Cujus fallaciæ rationem seu modum v. 23. & 24. declarat similitudine hominis oblivioſi considerantis in speculo maculas faciei, ut nimirum illas á speculo sibi monstratas abstergat: quod tamen per oblivionem facere negligit: quo fit ut frustra in speculum introspexerit. Versu 25. hortationem institutam repetit & ab effectu utili, videlicet beatitudine, confirmat. Continuat autem similitudi-

nem

nem institutam á speculo : cui comparat *legem* Dei, quam vocat *legem libertatis*, propterea quód liberé & absque respectu personarum damnat transgressores quosvis,nemini parcens. Hanc expositionem peto ex capite sequente,ex collatione versiculi duodecimi & decimitertii cum præcedentibus.

DE QUARTA PARTE.

26 *Si quis videtur religiosus esse inter vos, non frænans linguam suam, sed fusum ipsius cor seducens,hujus vana est religio.*

27 *Religio pura & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est; invisere orphanos & viduas in afflictione ipsorum : & immaculatum sese servare à mundo.*

Monet ne quis seipsum seducat falsa persuasione religiositatis: & vitium indicat, quo qui laborat, veré religiosus non sit : videlicet si quis laboret incontinentia linguæ : quod vitium pluribus reprehendet infrà cap.3. Contrá suggerit,quænam virtutes cum vera religiositate necessarió cohæreant, videlicet beneficentia erga afflictos, ac nominatim erga orphanos & viduas : & studium sanctitatis,ac temperantiæ.

SCHOLIA IN CAP. I.

*V.*1. *Servus.* δοῦλος. Videlicet in annuntiando Euangelio. Sic Rom.1.v.1. *Duodecim tribubus.* Ταῖς δώδεκα φυλαῖς. Videlicet populi Israëlitici. *Dispersis.* Scilicet per provincias Romanorum. Ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ. Scilicet, οὔσαις : id est, quæ in dispersione sunt. Petrus istos nominat παρεπιδήμους διασπορᾶς, advenas dispersionis,hoc est dispersos. Hanc dispersionem sustinebant propter transgressiones Legis Dei, secundúm comminationem quæ extat Levit.26.v.33.& Deut.28.v.64. *Salutem.* χαίρειν. Ad verb.Gaudere. Formula salutandi Græca : quam retinuit Horatius in epistola quæ incipit,*Celsò gaudere.*

*V.*2. *Pro summo gaudio ducite.* πᾶσαν χαρὰν ἡγήσασθε. Ad verb.Omne gaudium ducite,id est,nil nisi gaudium ducite,scilicet *esse*. nam subaudiendum verbum εἶναι. Sic Phil.2.v.6. οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο.scil.εἶναι. Similes sententias confer ex Matth.5.v.12.Rom.5.v.2.& 3. 1.Pet.1.v.6. *Intentationes.* πειρασμοῖς. Intelligit persecutiones ab hostibus Euangelii : ut percipitur ex collatione versus sequentis, ubi istas tentationes nominat τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως,explorationem fidei. Tentationes autem vocat,quia Deus per ipsas tentat filios suos, id est, fidem eorum explorat ac in lucem profert:quo modo dicitur & tentasse Abrahamum,Gen.22.v.1.Similem locum vide 1.Pet.1.v.5.& 6.

*V.*3. *Explorationem fidei vestræ.* τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως. Sic vocat tentationes quas modó dixit, per metonymiam effecti. Eâdem phrasi utitur & Petrus loco modo-citato. Paulus verò Rom.5.v.3. δοκιμὴν vocat. *Parere tolerantiam.* κατεργάζεται ὑπομονήν. Contrarium huic videtur tradere Paulus Rom.5.v.3.& 4.ubi ait,εἰδότες ὅτι ἡ θλῖψις ὑπομονὴν κατεργάζεται, ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμήν : id est, scientes quód afflictio patientiam parit, patientia verò probationem. Sed ista sententia præsenti non repugnat. nam quæ á Paulo nominatur θλῖψις proprié, ea á Jacobo vocatur τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως per metonymiam effecti. AEquipollent igitur hæc duo enunciata : illud Pauli, ἡ θλῖψις ὑπομονὴν κατεργάζεται, & hoc Jacobi, τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως κατεργάζεται ὑπομονήν. Deinde nec ista pugnant : Patien-

tia parit δοκιμήν proprié dictam; ut ait Paulus: &, τὸ δοκίμιον impropriè dictum, parit patientiam, ut ait Jacobus. Parit autem afflictio patientiam non per se & suâ naturâ, sed per accidens: videlicet per accedentem operationem Spiritus sancti, qui mentes eorum qui propter Euangelium affliguntur, illuminat ut intelligant, se ita conformari capiti suo Christo ac præparari ad cœlestem illam gloriam cum eodem fruendam.

V.4. Opus perfectum habeat. ἔργον τέλειον ἐχέτω. Id est, duret εἰς τέλος, ad finem usque. Sicut dicitur Matth.10.v.22. ὁ ὑπομείνας εἰς τέλος, qui sustinuerit ad finem usque.

V.5. Sapientia. σοφίας. Videtur potissimùm intelligere sapientiam in ferenda persecutione, ex collatione præcedentium. Et sic dicitur: *Qui placidè sortem ferre scit, ille sapit. Omnibus.* πᾶσιν. Videlicet rectè petentibus, ut percipitur ex iis quæ subjungit. *Benignè.* ἁπλῶς. Ad verb. Simpliciter. Metonymia efficientis, nam simplicitas animi ex se parit benignitatem. In eadem significatione reperitur nomen ἁπλότητος apud Paulum Rom.12.v.8. Qui distribuit, distribuat ἐν ἁπλότητι. & 2.Cor.8.v.2 Profundæ eorum paupertas redundavit εἰς τὸν πλοῦτον τῆς ἁπλότητος αὐτῶν.

V.6. Nihil disceptans. μηδὲν διακρινόμενος, Videlicet ex incredulitate. Sicut plenè loquitur Paulus de fide Abrahami, Rom.4.v.20. ubi ait, Adversus promissionem Dei non disceptavit incredulitate, ἐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ.

V.8. Vir animo duplici. ἀνὴρ δίψυχος. Id est, ut qui sit vir animo duplici, &c. Pendent hi nominativi á præcedente verbo λήψεται: & notant causam efficientem. Et *inconstans.* ἀκατάστατος. Deest in Græco conjunctio copulativa.

V.9. Humilis. ὁ ταπεινὸς. Statum hîc notat seu conditionem externam, non autem animi affectionem. Intelligitur enim pauper & contemtus: quippe cui mox opponitur ὁ πλούσιος, id est dives. *In sublimitate sua.* ἐν τῷ ὕψει αὐτοῦ. Seu, in altitudine sua. Sic vocat conditionem illam in qua sunt credentes apud Deum: quippe quibus dedit ἐξουσίαν (potestatem seu jus) ut sint filii Dei, Johan.1.v.12. ac proinde heredes Dei, coheredes autem Christi, Rom.8.v.17.

V.10. In demissione sui. ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ. Seu, in humiliatione sui. Repete καυχάσθω, glorietur. Hîc intelligit εὐεργεσίαν virtutis, quam Græci vocant ταπεινοφροσύνην, quum quis modestè de se sentit, nec inferiores præ se contemnit. Habet autem ista antithesis elegantiam ex apparente contradictione, qua uni eidemq; videntur attribui repugnantia: puta, humilitas & sublimitas, item divitiæ & humilitas. Sed in priore enuntiato tollitur contradictio ex diverso respectu, nihil enim vetat quó minus unus & idem sit humilis apud homines, sublimis apud Deum: in posteriore verò ex vera expositione nominis ταπείνωσις, quod hîc non statum, sed animi affectum notat & ad mores refertur.

V.11. Nam ut exortus est sol, &c. ἀνέτειλε γὰρ ὁ ἥλιος, &c. Ad verbum sic sonant Græca: *Exortus est enim sol cum æstu, & arefecit gramen, & flos ejus decidit, & decor faciei ejus periit.* Quod genus loquendi Hebraicum est, & sic resolvendum: Quum enim sol exoritur cum æstu, arefacit gramen: Unde flos ejus decidit, & decor faciei ejus perit. Hebraismus geminus est: unus in enallage temporis præteriti, loco præsentis significantis, actum consuetum: alter in sententiarum compositione per enunciatum copulativum, vim habens connexivi talis, quod est relativum temporis. Mutuatus est autem Apostolus hæc verba ab Esaia cap.40. v.6. *Ita & dives.* οὕτω καὶ ὁ πλούσιος.

πλάσιος. Apodosis hæc similitudinis annectitur protasi per ὑποσύναψιν: quippe quum protasis careat similitudinis notâ. Simile exemplum occurrit infrá cap. 2. v. 17. *In viis suis.* ἐν ταῖς πορείαις αὐτοῦ. Ad verb. In profectionibus suis. Suprá v. 8. dixit, ἐν ταῖς ὁδοῖς. Significat autem actiones humanas, per metaphoram: quia per illas homo tendit ad certum finem, veluti metam. *Marcescet.* μαρανθήσεται. Id est, peribit æterno exitio: intellige si divitiis suis confidat, non autem spem suam reponat in Deo.

V. 12. *Tentationem.* πειρασμὸν. Id est, afflictionem seu persecutionem, ut suprá v. 2. *Quum probatus erit.* δόκιμος γενόμενος. Id est, quum cognitum fuerit quód sit probatus. Sic 1. Cor. 9. v. ult. μήπως ἀδόκιμος γένωμαι, *ne quo modo reprobus fiam*: Id est, declarer & cognoscar esse reprobus. Sic Johan. 15. v. 8. καὶ γενήσεσθε ἐμοὶ μαθηταὶ, *Et eritis mihi discipuli*: id est, cognoscemini esse. *Coronam vitæ.* τὸν στέφανον τῆς ζωῆς. Coronam illam vitæ. Id est, vitam æternam, tanquã coronam: qualis scilicet dabatur victoribus certaminum apud Græcos. Cõfer 1. Cor. 9. v. 24. & deinceps, ubi ista similitudo fusé explicatur. Est autem syntaxis qualis in illo, *Vestigia fidei*, Rom. 4. v. 12. At 2. Tim. 4. v. 8. diversa syntaxis est in illo, ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος, justitiæ corona: hoc est, quæ propter justitiam cultam datur. *Promisit.* ἐπηγγείλατο. Tales promissiones extant Matth. 10. v. 22. & cap. 19. v. 28. 29. Johan. 16. v. 22.

V. 13. *Quum tentatur.* πειραζόμενος. Id est, sollicitatur ad peccandum. quo sensu diabolus nominatur ὁ πειράζων, Matth. 4. v. 3. quo item sensu dicitur πειρασμὸς in ultima petitione orationis Dominicæ. *Dicat, A Deo tentor* λεγέτω, ὅτι ἀπὸ τοῦ Θεοῦ πειράζομαι. Conjunctio ὅτι servit mimesi. *Tentari malis non potest.* Malis, id est, peccatis. *Nec quemquam tentat.* Scil. ad malum: id est, neminem sollicitat ad peccandum. nam quód dicitur tentasse Abrahamum, Gen. 22. v. 1. alium sensum habet, nempe quód exploraverit ejus fidem per mandatum de occidendo Isaaco, in quo promiserat illi semen.

V. 14. *Inescatur.* δελεαζόμενος. Scilicet suavitate voluptatis peccato inhærentis: quæ voluptas propterea nominatur δέλεαρ τῆς κακῶν, esca malorum.

V. 15. *Gignit* ἀποκύει. Vel, parit. ἀποκύειν est ἀπαλλάττεσθαι τοῦ κύματος, liberari eo quod conceptum fuit, id est fœtu. *Gignit mortem.* Id est, promeretur mortem Deúmque movet ad illam peccatori infligendam. Manet in metaphora. Intelligit autem mortem æternam. Sicut & Paulus in sententia simili Rom. 6. v. ult. ubi ait, Stipendia peccati, mors.

V. 16. *Donum perfectum.* δώρημα τέλειον. Id est, ad hominis perfectionem pertinens. Metonymia effecti.

V. 17 *E supernis est.* ἄνωθέν ἐστι. Alii vertunt, *Supernè*. Sed id Latinis idem significat quod in loco superno. At ἄνωθεν significat, é loco superno. E supernis autem: id est, é cœlo: sicut exponitur hæc vox Johann. 3. vers. 31. E cœlo autem, id est, á Deo: sicut mox exponitur, ut in illo, *Pater peccavi in cœlum*, id est contra Deum, Luc. 15. vers. 21. Metonymia subjecti: quia cœlum in Scriptura nominatur sedes Dei, & Deus dicitur esse atque habitare in cœlo tanquam templo aut palatio. *A patre luminum.* ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων. i. ab authore notitiarum in creaturis rationalibus: ut sit periphrasis Dei metaphorica. Vel, á patre illo cælesti luminosissimo, hoc est, gloriosissimo: Sicut alibi appellatur, ὁ θεὸς τῆς δόξης, Deus gloriæ, id est, gloriosus, Actor. 7. vers. 2. Sic fuerit Hebraismus geminus: unus, quòd genitivus habet vim epitheti: alter, quód numerus pluralis habet vim superlativi.

Aut conversionis obumbratio. ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. Videtur esse metaphora ab occasu Solis: tunc enim sol ad oppositum hemisphærium se convertens, obumbrat hemisphærium quod relinquit.

V. 18. Is *quia voluit.* βουληθεὶς. Deest αὐτὸς. *Progenuit.* ἀπεκύησεν. Proprié, *peperit.* Petrus de eâdem re loquens, utitur verbo ἀναγεννᾶσθαι, quod est, regigni. *Sermone veritatis.* λόγῳ ἀληθείας. Id est, vero ac certo. Intelligitur autem Euangelium, καὶ ἰδέαν. *Primitiæ quædam.* ἀπαρχήν τινα. Id est, Deo consecrati: ut olim ei consecrabantur atque offerebantur primitiæ.

V. 19. *Ad audiendum.* Scilicet sermonem veritatis, ex versu præcedente. *Ad loquendum.* Id est, ad sumendum sibi authoritatem ac magisterium in aliis docendis, tanquam supra cæteros saperet. Sic infrá 3. vers. 1. Ne sitis multi magistri.

V. 20. *Justitiam Dei.* Id est, quæ Deo probatur. Hoc sensu dicuntur *opera Dei & opus Dei.* Johan. 6. v. 28. & 29.

V. 21. *Insititium illum sermonem.* τὸν ἔμφυτον λόγον. Id est, sermonem tum Euangelii tum Legis, quem Deus in pectoribus electorum solet serere ac plantare, ut ibi radices agat & fructus Deo gratos proferat. *Animas vestras.* Id est, vos. Synecdoche membri Hebraica. Aut animabus tribuit salutem per excellentiam: sicut Petrus, ubi nominat *salutem animarum*, 1. Pet. 1. vers. 9. Sic Christus *animæ damnum* appellat; quum quis damnatur æterna morte. Matth. 16. vers. 25. Quibus loquendi formis corpus non excluditur.

V. 22. *Reipsa verò præstate sermonem.* γίνεσθε δὲ ποιηταὶ λόγου. Ad verb. Fitote autem factores sermonis: Credendo scilicet Euangelio, & obediendo Legi. Talem sensum habet & illa sententia Christi, Beati qui audiunt sermonem Dei & eum custodiunt, Luc. 11. vers. 28. *Nec estote auditores solùm.* Similiter Paulus inter se opponit Legis ἀκροατὰς & ποιητὰς, Rom. 2. vers. 13.

V. 23. *Faciem suam nativam.* τὸ πρόσωπον τῆς γενέσεως αὐτοῦ. Ad verb. Faciem generationis (id est nativitatis) suam. Nam pronomen αὐτοῦ non regitur à nomine γενέσεως, sed unà cum illo à nomine πρόσωπον: sed diversa ratione: illud quidem more Hebræorum, ad notandum epitheton: istud verò more aliis quoque linguis usitato, ad notandum possessorem. Dicitur enim facies nativitatis, id est, nativa, quam quis nascens secum attulit. Sic Psal. 2. v. 6. Unxi regem meum super montem sanctitatis meum, id est, super montem sanctum meum.

V. 24. *Nam simulatque consideravit se, abiit,* κατενόησε γὰρ ἑαυτὸν καὶ ἀπελήλυθε. Ad verb. Consideravit enim se & abiit. Genus loquendi quale, suprá vers. 11.

V. 25. *Legem libertatis.* νόμον τῆς ἐλευθερίας. Id est, Legem Dei qui liberè & absque respectu personarum damnat transgressores quosvis, nemini parcens. Confer infrá cap. 2. vers. 12. & 13. *Is quia non fuerit.* οὗτος ὁ γενόμενος. Hic incipit consequens (prædicatum appellant) sententiæ inchoatæ: ubi antecedens resumitur per pronomen οὗτος: quod genus ἐπαναλήψεως familiare est Johanni in suo Euangelio. Amplificatur autē hoc enuntiati consequens interjecta expositione causæ: unde existit enuntiatum connexivum causale, nempe hoc: *Quia non fuerit auditor oblivioſus, beatus erit.* Quanquam in Græco mentio causæ in genuina syntaxi succedit, ad hunc modum: οὗτος μακάριος ἔσται, ὁ γενόμενος &c. Id est, Is beatus erit, ut qui non fuerit.

fuerit,&c. *Auditor obliviosus.* ἀκροατὴς ἐπιλησμονῆς. Ad verb. Auditor oblivionis. Hebraismus. Is inquam *beatus erit.* οὗτος μακάριος ἔσται. Altera epanalepsis ejusdem antecedentis,per idem pronomen οὗτος facta.

V. 27. *A mundo.* ἀπὸ τοῦ κόσμου. Id est, ab impiis quorum plenus est mundus seu orbis terrarum. Vel, á mundanis voluptatibus, quibus homines mundani sunt dediti. Confer. 1. Joh. 2. v. 15. & 16.

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE.

EX CAP. I.

Ex v. 1 Epistolæ hujus doctrina est nobis pro vera atque cœlesti recipienda, tamquam profecta ab Apostolo Christi.

Ex eod. v. Exemplo duodecim tribuum dispersarum admonemur de Dei justitia & veritate & misericordia. De justitia: quia filios suos propter peccata castigat. De veritate: quia castigationes, quas peccaturis comminatur, ubi illi peccaverint, re ipsa infert. sicuti Judæos dispersit inter gentes: quod jam olim fuerat minatus, Levit. 26. vers. 33. & Deuter. 28. vers. 64. Denique de misericordia: quia castigatos consolatur per Euangelium.

Ex v. 2. 3. 5. 9. & 12. Indicantur hic aliquot causæ quibus adduci debemus ad tolerantiam crucis seu persecutionis propter confessionem Euangelii: nempe quód Deus illam nobis immittit: id quod significat Jacobus, quum persecutiones vocat tentationes: v. 2. quia nimirum Deus persecutione nos tentat: quomodo dicitur tentasse Abrahamum. Quicquid autem Deus agit, justé agit & nostro bono. deinde, quia Deus persecutione nos tentans, explorat nostram fidem: quod significat Jacobus, quum persecutionem nominat explorationem nostræ fidei. vers. 3. Dicitur autem Deus explorare nostram fidem, non quód ipse ignoret quid sit in nobis: sed per ἀνθρωποπάθειαν: ac præcipué, quia fidem nostram in lucem producit, ut innotescat & nobis ipsis ad consolationem, & Ecclesiæ ad exemplum. Tertió, quia tolerantia persecutionis est argumentum veræ ac cœlestis sapientiæ, quippe inde profecta. quod significat Jacobus, quum tolerantiam nominat sapientiam, illamque sapientiam á Deo dari affirmat, vers. 5. Quartó, quia etsi filii Dei persecutione premuntur & a mundo contemnuntur: tamen interim sublimes sunt coram Deo: quippe qui eos adoptavit in filios & cohæredes fecit filii sui unigeniti: quo honore nullus sublimior homini potest contingere: v. 9. Confer Johan. 1 vers. 12. Rom. 8. vers. 17. Eph. 1. v. 5. Quintó, quia qui tolerat tentationem, id est, persecutionem, est beatus: quoniam quum probatus compertus fuerit, accipiet coronam illam vitæ æternæ, vers. 12. Confer. Matth. 5. v. 10 & 11.

Ex v. 4. Non est satis cœpisse patienter tolerare persecutionem Euangelii causâ: sed oportet perseverare usque ad finem, ut patientia habeat opus perfectum. nam is demum, teste Christo, salvus erit, qui ad finem usque perseveraverit. Huc pertinet & illud ejusdem: Qui manum admoverit aratro & retrospexerit: non est idoneus ad regnum Dei. *Matt. 10. v. 22. Luc. 9. v. ult.*

Ex v. 5. 6. 7. & 8. Indicantur hic duo requisita legitimæ precationis. unum est, ut dirigatur ad Deum, nempe ad verum Deum, conditorem, redemptorem & sanctificatorem nostrum: v. 5. *Postulet á Deo.* Sic Psal. 50. ait Deus:

Invoca me. Alterum est ut proficiscatur ex fide, hoc est, certa persuasione de paterno Dei erga nos favore, ac proinde spe certa exauditionis. hinc ait Apostolus: *Sed postulet cum fide. &c.* v.6. & deinceps. Confer infrà. cap.5. v.14. & deinceps.

Ex v.10. & 11. Divitibus cavendus est abusus divitiarum: ne scilicet divitiis suis confidant aut glorientur: sed cogitent quod res est, divitias esse bona fluxa atque caduca, instar florentis herbæ. Confer. 1.Tim.6.v.17. 18. 19. Item Luc.12.v.16. & deinceps.

Ex ℣.13.14.15.16.17. De causis peccati. Deus non est causa seu author peccati, id est, ullius actionis malæ quatenus mala est: quia est immutabiliter bonus & sanctus. Si autem esset author peccati: oporteret eum esse malum, saltem ad tempus: & sic non esset immutabiliter bonus ac sanctus. Si quis objiciat, Deum esse authorem benedictionum simul & maledictionum, Deut.28. item Esai.45.v.7. Formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum: Ergo pari ratione posse statui authorem bonarum simul & malarum actionum: neganda est consequentia, quia dissimilitudo est in exemplo. Etenim quòd Deus tam maledictionũ quám benedictionum, id est, tam pœnarum quám præmiorum author est, id nihil derogat immutabili ejus bonitati atque sanctitati: utriusque enim author est tanquam immutabiliter sanctus & justus: ac proinde benedictionibus remunerat pietatem, maledictionibus veró punit peccata. At malarum actionum seu peccatorum author esse non potest salva immutabili sua bonitate atque sanctitate. Porró causæ peccati (nempe post lapsum) hic indicantur duæ: una προηγουμένη seu antecedens, prava hominis concupiscentia: altera προκαταρκτικὴ seu irritatrix, nempe voluptas apparens quæ peccato adhæret; hæc enim concupiscentiam instar escæ allicit.

Ex ℣.17. De natura Dei. Deus est immutabilis: ac proinde immutabiliter bonus, sanctus, justus, misericors. nam quód interdum in Scriptura Deo tribuitur pœnitentia, id fit per εἰδεχοποίϊαν, id est, metaphoram á natura hominis deductam. nam propriè loquendo Deum non pœnitet: sed decreta ejus immutabilia sunt. Secundum hæc dicta: Ego Deus, & non mutor. Malach.3.v.6. Consilium meum stabit, & voluntas mea fiet. Esa.46. v.10. Dona & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα, id est, ejusmodi, ut Deum illorum non pœniteat. Rom.11.v.29.

Ex ℣.18. Regeneratio spiritualis, qua illuminantur mentes nostræ vera cognitione Dei, & voluntates flectuntur in obsequium voluntatis Dei, perficitur á Deo sermone veritatis, id est, prædicatione Euangelii. Sic 1.Petri 1.v.23. & 25.

Ex ℣.19.20. & 21. Quum officii admonemur ex verbo Dei, maximè á pastoribus & presbyteris, dociles nos præbere debemus, & admonitiones mansuetè admittere, certó persuasi illas nobis salutares fore. Confer infrà cap.5.v.19. & 20. item Matth.18.v.15.

Ex ℣.21.22.23.24. & 25. Verbum Dei tum demum nobis salutare est, quum animis nostris per virtutem Spiritus sancti insitum est & in eis radices egit: ita ut ipsum & rectè intelligamus, & perpetuó meditemur, & in illius fide atque obedientia nos exerceamus. Confer Heb.4.v.2. item 1.Petri 2.v.2.

Ex ℣.23. Verbum Dei est quasi speculum, in quo licet nobis intueri tum naturæ tum vitæ nostræ maculas, ac præterea aquam illam quâ istæ maculæ eluuntur. Maculę sunt peccata, quę ostendit Lex: aqua est sanguis Christi,

Christi, quem ostendit Euangelium.

Ex ℣.25. Quum lex Dei sit lex libertatis, id est, liberé & absque respectu personarum damnans transgressiores quosvis: non est quód quisquam sibi in lege transgredienda indulgeat, ac putet sibi parsum iri propterea quód alios authoritate aut opibus ac potentia antecellat.

Ex ℣.26.& 27. Qui vere religiosus est, hoc est, qui veré Deum colit ac diligit, is necessarió diligit proximum propter Deum, id est in honorem Dei, ut qui hanc dilectionem præcepit. qui autem proximum veré diligit, is non traducit eum lingua sua, nec ei maledicit, sed potius ei benefacit. item qui Deum veré colit, cavet ne eum offendat impura vita, qualis mundo usitata est. Hæc igitur qui non præstat, & tamen religiosus haberi vult: is non religiosus, sed hypocrita est. Confer 1. Joh. 2. v. 9. 10. 11. item cap. 3. v. 17. & 18. item cap. 4. v. 20.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Hoc capite duo admonitionum loci continentur, quintus & sextus: quorum prior est de justitia in honorandis proximis adhibenda, usque ad v. 14. posterior de cavenda inani fidei jactantia & fide ex operibus ostendenda.

1 *Fratres mei, ne cum respectu personarum habete fidem Domini nostri Iesu Christi glorioſi.*

2 *Nam si in cœtum vestrum ingrediatur vir aureum gestans annulum, veste splendida, ingrediatur autem & pauper cum sordida veste:*

3 *Et respexeritis ad eum qui vestem gestat splendidam, & dixeritis ei, Tu sede hîc pulchrè: pauperi verò dicatis, Tu sta illic, aut sede hîc subter scabellum meum:*

4 *Nónne discrimen feceritis apud vos, & facti fueritis judices perversè deliberantes?*

5 *Audite fratres mei dilecti, nónne Deus elegit pauperes mundi hujus ut fierent divites fide, & hæredes regni, quod promisit iis qui ipsum diligunt?*

6 *At vos contumelia affecistis pauperem. Nónne divites per tyrannidem opprimunt vos, & trahunt vos ad tribunalia?*

7 *Nónne blasphemant præclarum illud nomen á quo estis cognominati?*

8 *Sane si Legem regiam præstatis secundum Scripturam, Diliges proximum tuum ut teipsum, bene facitis:*

9 *Sin verò personam respicitis, peccatum committitis, & redarguimini á Lege veluti transgressores.*

10 *Quisquis enim totam Legem servaverit, offenderit autem in uno, omnibus tenetur.*

11 *Nam qui dixit, Ne mœcheris, dixit etiam, Ne occidas. Quód si non fueris mœchatus, occideris autem, factus es transgressor Legis.*

12 *Ita loquimini & ita facite ut per Legem libertatis judicandi.*

13 *Nam damnatio absque misericordia erit ei, qui non præstiterit misericordiam: & gloriatur misericordia adversus damnationem.*

VErsu 1. dehortatur á prosopolepsia, id est, specie illa injustitiæ, quæ homines æstimantur, ac proinde honorantur, vel contemnuntur, non ex meritis, sed ex rebus adventitiis: in quarum numero etiam sunt divitiæ & paupertas: quas hic commemorat v.2. & 3. Reprehendit enim eos, quód divites impios honorarent in cõgregationibus ecclesiasticis, & pauperes pios contumelia afficerent: nimirum cedendo illis locum honestiorem, istos verò repellendo. (cujus illorum facti expositionem ὑποτυπώσει & παρονομασίᾳ exornat. Argumenta verò dehortationis affert septem. Primum, quód hæc prosopolepsia adversetur fidei, ac proinde periculum sit ne hanc per illam amittant. Est igitur hoc argumentum ab effectu pernicioso. hoc significat, quum ait: *Ne cum respectu personarum habete fidem Domini nostri Iesu Christi.* Secundum argumentum notatur epitheto *glorioso*, quo innuit, pauperes fideles in honore habendos tanquam membra Christi glorioso. Est igitur hoc argumentum á causa procreante contrarii. Tertium argumentum ducitur ab adjuncta istius prosopolepsiæ turpitudine: quippe quód sic discrimen facientes inter divites & pauperes, sint *judices perversarum cogitationum*, id est, perversis cogitationibus præditi, seu perversa cogitantes ac molientes, in fine versus quarti. Quartum argumentũ sumitur á judicio seu testimonio Dei, qui pauperes fideles dignos judicat, quos maximo honore afficiat, videlicet constituendo eos hæredes regni sui, v.5. Quintum argumentum ducitur ab impiis divitum factis, quibus nimirum sese indignos reddunt ut honorentur, v.6. Sextum á factorum illorum eventu, videlicet blasphemia nominis Christiani, v.7. Septimum á mandato Dei de dilectione proximi: cui mandato prosopolepsia ista adversatur, v.8. & 9. His subjungit per prolepsin confirmationem sententiæ, quam in postremo argumento commemorando pronuntiaverat, videlicet ipsos per prosopolepsiam fieri transgressores legis. nam contra hoc poterant excipere; se non propterea habendos pro transgressoribus Legis: quia interim cæteras Legis partes observent. Respondet Apostolus: Si quis vel in una parte legem Dei violet, eum totius Legis violatæ reum esse: quippe qui contemnat Legis authorem, videlicet Deum, quem qui contemnere audet in una aliqua Legis parte: cur non etiam in reliquis? quum ipse omnium pariter sit author. Versu 12. exhortationem institutam concludit sententia generali, ut & verbis & factis justitiam erga proximos exerceant, addito argumento ab eventu pernicioso, videlicet certa injustorum damnatione per Legem Dei: quod argumentum confirmat ab adjuncta Legis libertate, quippe quæ liberè damnat transgressores quosvis, nemini parcens: deinde versu 13. specialiter exhortatur ad misericordiam erga pauperes & afflictos: ibique argumentum modó allatum repetit & per antithesin amplificat: nam immisericordes quidem manere significat certum exitium á Deo: misericordes verò exitium evasuros.

14 *Quæ utilitas, fratres mei, si fidem dicat aliquis habere se, opera verò non habeat? num potest fides illa eum servare?*

15 *Quód si frater aut soror nudi fuerint, & egentes quotidiano victu:*

16 *Dicat autem eis aliquis vestrum, Abite cum pace, calescite & saturamini: non tamen dederitis eis quæ sunt apta corpori, quæ erit utilitas?*

17 *Ita quoque fides, si opera non habeat, mortua est per se.*

18 *Quinimo dicet aliquis, Tu fidem habes, & ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam.*

19 Tu

19 *Tu credis Deum unum esse. Rectè facis. At etiam dæmonia* id *credunt, sed tamen horrescunt.*

20 *Vis verò nosse, homo vane, fidem absque operibus mortuam esse?*

21 *Abraham pater ille noster nónne ex operibus justificatus est, quum obtulisset Isaac filium suum super altare?*

22 *Vides fidem administram fuisse operum ipsius, & ex operibus fidem perfectam fuisse.*

23 *Itaque impleta est Scriptura, quæ dicit, Credidit autem Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam, & amicus Dei vocatus est.*

24 *Videtis igitur ex operibus justificari hominem, & non ex fide tantùm?*

25 *Similiter autem etiam Rahab illa meretrix annon ex operibus justificata est, quum excepisset nuntios illos, & aliâ viâ emisisset?*

26 *Nam sicut corpus absque spiritu mortuum est, ita & fides absque operibus mortua est.*

Hic reprehendit vanam jactantiam fidei, & contrá hortatur ad fidem ex operibus ostendendam. Est autem ante omnia diligenter notandum, Quæstionem hujus loci non esse, Quomodo homo justificetur: quam quæstionem tractat Paulus ad Roman. & Galatas: sed extra controversiam posito, hominem justificari sola fide: quæritur, quæ qualisve sit illa fides: seu (quod eodem recidit) ex quali fide homo justificetur, nempe ex tali quæ ex se parit bona opera. Cæterúm summa hujus loci est: Non est satis si quis dicat se fidem habere, quum interim non habeat bona opera: sed fidem oportet ex operibus ostendere. nam fides quæ sine operibus est, justificare aut servare neminem potest: quippe quæ non sit vera ac viva fides, sed fides mortua & inane fidei simulacrum. Hanc sententiam primúm proponit versu 14. exornatam communicatione, cujus interrogatio vim habet negandi. *Quæ utilitas?* quasi dicat, Nulla. Item: *Num potest?* quasi dicat, Non potest. Innixit autem ipsorum in hac negatione consensum: atque ita ab ipsorum confessione sententiam propositam confirmat. Deinde sententiam propositam illustrat similitudine, cujus protasis continetur versu 15. & 16. apodosis versu 17. Sententia est: sicut verba sine ope non juvant egenum: sic fides sine operibus non juvat credentem. Etenim sicut illa non est vera charitas, sermone tantúm & lingua (ut Johannes loquitur) diligere, non etiã opere & veritate: sic ista non est vera fides, sed mortua, quæ nulla bona opera ex se parit. 1. *Johan.* 3. 18

Versu 18. hortatur ad fidem ex operibus ostendendam: eamque hortationem exornat prosopopœia, quæ rursum exornatur communicatione. Introducit enim loquentem aliquem vera fide præditum, qui alloquitur illum vanum fidei jactatorem, eumq; urget postulatione bonorum operum, quibus ille tanquam certis effectis ostendat, se vera fide (quam jactat) esse præditum. Versu 19. ostendit, non solum non esse satis si quis fidem jactet: sed ne quidem si quis veré præditus sit fide illa generali, quam historicam vocant: qua quis in genere de Deo credit ea omnia quæ in sacris literis sunt tradita. Hanc fidem primúm significat exemplo, inquiens; *Tu credis, Deum unum esse.* deinde ostendit, eam non sufficere ad salutem: id quod probat exemplo dæmoniorum, inquiens: *Rectè facis: sed & dæmonia id credunt, & tamen horrescunt.* quasi dicat: Rectè quidem facis, quód credis Deum unum esse, nam hoc verum est & in sacris literis traditum: Sed hoc non est satis ad salutem. nam si hæc fides sufficeret ad salutem consequendam: sequeretur, etiam dæmonia salutem adeptura: quippe quæ ipsa quoque illud credunt. At dæmonia spem salutis

non habent: id quod probat ab effectu contrarii, videlicet horrore illo quo concutiuntur ex metu atque exspectatione æternæ damnationis. Paralogismus igitur vani istius jactatoris est:

Si credo Deum unum esse, servabor.
Atqui id credo.
Servabor igitur.

Apostolus concedit assumtionem: propositionem verò, id est, consequentiam illius connexi negat; eamque exemplo dæmoniorum refutat ad hunc modum:

Si quis ideo servaretur, quia credit Deum unum esse: servarentur & dæmonia: quippe quæ id credunt.
At dæmonia non servabuntur. quia horrescunt damnationem, quam nôrunt sibi certò esse paratam.
Ergo non servatur aliquis ideo, quia credit Deum unum esse, id est, quia præditus est fide historica.

Versu 20. & deinceps pergit in proposito; & fidem, quæ destituta est bonis operibus, esse mortuam, ac proinde neminem posse justificare aut servare, probat duobus illustribus exemplis Scripturæ; uno Abrahami patris credentium, altero Rahabæ meretricis. Ipsam igitur sententiam demonstrandam primùm repetit versu 20. exornatam communicatione & aspera objurgatione adversarii, deinde exemplum Abrahæ affert: quasi dicat.

Si Abraham justificatus est non ex fide, quæ bonis operibus esset destituta, sed ex fide quæ bona opera ex se peperit: consequens est, omnes in universum ex tali fide justificari.
Sed Abraham justificatus est ex fide quæ bona opera ex se peperit.
Ergo omnes in universum ex tali fide justificantur.

Propositio ut per se nota omittitur, quum non sit nisi una justificationis ratio. Assumtio probatur duobus Scripturæ testimoniis: quorum uno (quod extat Genes. 22.) commemoratur opus fidei Abrahæ, videlicet oblatio filii Isaaci: de quo testatur & Paulus Hebr. 11. versu 17. 18. & 19. altero verò (quod habetur Gen. 15.) affirmatur ipsa fidei justificatio. Assumtio recitatur hic in principio vers. 21. his verbis: *Abraham pater ille noster nónne ex operibus justificatus est.* id est, ex fide quæ ex se peperit bona opera. Metonymia effecti. Hanc expositionem postulat cohærentia sententiarum. Etenim versu superiore proposuit demonstrandam hanc sententiam, quòd fides sine operibus sit mortua, hoc est, quòd fides illa quæ non ex se parit bona opera, sit inutilis atque inefficax ad justificandum & servandum. hoc enim est, quod Apostolus statim initio hujus loci proposuit, vers. 14. & postea similitudine declaravit, tribus versibus sequentibus. Nunc verò ad illam sententiam probandam affert exemplum Abrahæ: quare necesse est ut quod de illo dicit, eundem habeat sensum, secus nihil faceret exemplum ad demonstrandum propositum. Atque hæc mihi videtur simplex ac genuina hujus loci expositio: qua observata, non est necesse ut dicamus, Justificandi verbum hic aliter accipi quàm apud Paulum, nempe ut Justificari hîc idem sit quod Justificatum esse declarari apud homines. Etenim Jacobum loqui de justificatione Abrahæ coram Deo: planum est tum ex quæstione proposita, quam exemplo Abrahæ confirmat: tum ex loco illo Genes. 15. quem de justificatione Abrahæ citat: is enim locus citra controversiam intelligendus est de justificatione coram Deo, ut liquet ex epi-

stola

stola ad Romanos. Atque hæc dicere necesse fuit de verbis assumtionis. Probatio assumtionis continenter annectitur reliqua parte versus 21. saltem quo ad unam partem, ubi dicit: *Quum obtulisset Isaacum filium suum super altare.* quod opus quomodo ex fide profectum sit, declarat Paulus Hebr. 11. v. 17. 18. & 19. quia nimirum credidit Abraham, Deum ad promissionem suam de Christo ex Isaac orituro implendam, Isaacum pro sua potentia é cineribus excitaturum, si in illos redactus fuisset. Versu 22. per quandam exclamationem & communicationem in consideratione propositi exempli commoratur. ubi rursus verba ex mente scriptoris commodé exponenda sunt: nihil enim aliud vult dicere, quám Abrahami fidem bona opera ex se peperisse, & ex illis cognitum esse quód esset perfecta, hoc est, vera & viva, non autem mortua aut inane simulacrum, aut etiam nuda notitia naturæ Dei: sed fides veré agnoscens Dei erga se dilectionem, ac proinde Deum vicissim diligens eique ex dilectione obediens. Versu 23. alteram partem probationis annectit, ubi quod dicit, Scripturam illam, *Credidit Abraham Deo, &c.* tunc esse impletam, quum ille Isaacum obtulit: id sic est intelligendum, quód tum cognitum sit in Ecclesia, Abrahamum vera fide esse præditum, ac proinde fide esse justificatum: sicut Moses illo dicto Genes. 15. jam ante illius oblationis narrationem fuerat testatus. Versu 24. infert syllogismi propositi conclusionem: ubi rursus verba ex mente scriptoris & ex collatione cum quæstione antea proposita sunt interpretanda. nihil enim aliud dicere vult, quám hominem justificari ex tali fide quæ bona opera ex se pariat: non autem quæ sola sit & bonis operibus destituta. Ubi si quis verbum *justificari* interpretetur, justificatum declarari apud homines: sequetur, declarationem illam fieri non solúm per opera, sed etiam per ipsam fidem: id quod veré dici non potest: quum nemo alterius fidem videat, nempe in se & per se, nam per opera videre eam licet aliquo modo. Versu 25. alterum exemplum ad propositum confirmandum affert: cujus verba similiter exponenda sunt, ut suprà v. 21. verba de Abrahamo. nam quum dicit, Rahabam justificatam ex operibus: metonymicé loquens intelligit, eam justificatam esse ex tali fide, quæ bona opera ex sese pepererit, videlicet illam protectionem exploratorum qui ad ipsam diverterant. nam nisi credidisset promissionibus Dei, populo Israëlitico factis, de Cananæa illi tradenda ac omninó de suo erga hunc populum favore, itemque erga eos qui se huic populo aggregarent, ipsiusque religionem susciperent: non protexisset hujus populi exploratores, nec pacta ab illis esset conservationem sui suæque familiæ. quin illa fidem suam apertè professa est, inquiens: *Novi, Jehovam dedisse vobis terram hanc.* item, *Jehova Deus vester, est Deus in cœlis suprá, & in terra infrá.* Versu ultimo explicat illam metaphoram, qua in præcedentibus semel atque iterum usus erat, dicens, fidem, si sit sine operibus, esse mortuam. Sententia est: Sicut corpus hominis absque spiritu (id est anima) mortuum est, ac proinde non est ampliús verum corpus, quum non sit ampliús instrumentum animæ: ita fides, si sit sine bonis operibus, mortua est, hoc est, non est vera fides, quia non exerit suam vim in pariendis bonis operibus. Summa igitur hujus disputationis est, hominem justificari ac servari non inani fidei jactantia, nec nuda notitia & approbatione historiæ sacræ: sed fide vera ac viva, quæ per bona opera sese ostendit: ac proinde inanem illam fidei jactantiam cavendam, fidem veró ex bonis operibus ostendendam esse.

SCHO-

SCHOLIA IN CAP. II.

V.1. Cum respectu personarum. ἐν προσωπολημψίαις. Ad verb. In faciei acceptionibus. ἐν pro μετὰ per Hebraismum. Cæterùm de nomine προσωπολημψία, itemque de phrasi cognata, προσωπον λαμβάνειν: quantum satis est, dixi in Scholiis ad v.11. cap.2. epistolæ ad Romanos: ubi (si placet) vide. *Fidem Domini nostri Jesu Christi glorioſi.* τὴν πίστιν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς δόξης. Nomen δόξης secundum hanc versionem valet epitheton more Hebræorum; & sic acceptum, pendet à nomine appellativo κυρίου potiùs quàm à propriis illis, Ἰησοῦ Χριστοῦ. Et sic à Paulo quoque Christus nominatur ὁ κύριος τῆς δόξης, dominus gloriæ, id est Jehova glorioſus, 1. Corinth.2.v.8. Similiter à Stephano dicitur ὁ θεὸς τῆς δόξης, Deus ille gloriæ, hoc est, glorioſus, Act.7.v.2. Potest tamen hic locus etiam aliter exponi: videlicet ut nomen δόξης regatur à nomine πίστιν, & ab ipso per trajectionem regantur genitivi illi τοῦ κυρίου, etc. Et tum sic erit vertendum: *Ne cum respectu personarum habete fidem gloriæ Domini nostri Jesu Christi.* quæ syntaxis mollior ac simplicior est, & satis commodum sensum gignit: ut nimirum intelligamus *fidem gloriæ Christi*, fidem qua credimus gloriam Christi, quòd scilicet Christus posteaquam pro nobis passus esset, introierit in gloriam suam, ut ipsemet loquitur Luc.24. v.26. Atque ita per synecdochen membri comprehenditur quicquid nobis de Christo credendum est. Etenim gloria illa cœlestis qua Christus nunc fruitur & in æternum fruetur, cætera omnia de Christo credenda, tanquam extrema clausula operis redemtionis præsupponit.

V.2. In cœtum vestrum. εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν. Videlicet cœtum sacrum sive Ecclesiasticum, quum convenitis ad audiendum verbum Dei. *Aureum gestans annulum.* χρυσοδακτύλιος. Vel etiam, aureos gestans annulos. nam vox Græca utramque significationem admittit.

V.3. Respexeritis. ἐπιβλέψητε. Nempe cum reverentia & veneratione. *Pulchrè.* καλῶς. vel commodè. *Subter scabellum meum.* ὑπὸ τὸ ὑποπόδιόν μου. Græca vox majorem emphasin habet, notans scilicet scabellum, quod pedibus sedentium subjicitur ad illos sustentandum.

V.4. Nonne discrimen feceritis. οὐ διεκρίθητε. Interrogatio vim habet affirmandi vehementer: qua innuitur, quòd non possint negare crimen quod objicitur. Conjunctio οὐ redundat more Hebræorum, serviens annectendo consequenti enuntiati connexivi. Continetur enim hîc tribus versibus, 2.3. & 4. enuntiatum unum connexivum: cujus antecedens duo principalia membra continet; prius v.2. posterius v.3. & utrumque iterum bimembre est secundum antithesin divitis & pauperis. Porrò διακρίνεσθαι per synecdochen generis hîc significat discernere ita ut aliud alii præferatur, quod propriè est προσκρίνειν: quo sensu nomine προσκρίματος utitur Paulus 1. Timoth.5. v.21. Atque in eundem sensum videtur dici sapientia ἀδιάκριτος, quæ non discernit homines per προσωπολημψίας, ex rebus scilicet externis. At Judas epistolæ suæ v.22. verbo διακρίνειν utitur in significatione generali, pro discernere ac delectum habere, considerata ipsa rerum naturâ diversâ. *Judices perversè deliberantes.* κριταὶ διαλογισμῶν πονηρῶν. Ad verb. Judices perversarum ratiocinationum seu cogitationum: id est, perversis cogitationibus præditi seu affecti. Hebraismus.

V.5. Nonne Deus. οὐχ ὁ θεὸς, &c. Interrogatio similis præcedenti. *Elegit.*

git. ἐξελίξατο. Scilicet ex genere humano ad vitam æternam: ut passim in Scriptura. *Pauperes.* τοὺς πτωχούς. Scilicet plures quám divites: atque ita plures ut si divites cum illis conferantur, solos pauperes elegisse videri queat. tam paucos divites electos esse apparet. Huic sententiæ affinis est illa Pauli 1. Cor. 1. vers. 26. & deinceps: Videtis vocationem vestram, fratres: vos non esse multos sapientes secundum carnem, &c. *Pauperes mundi hujus.* τοὺς πτωχοὺς τοῦ κόσμου τούτου. Id est, quod ad bona mundana sive terrena attinet. Ut fierent *divites.* πλουσίους. Hic accusativus regitur á verbo ἐξελίξατο non per se, sed mediante infinitivo subintellecto τοῦ γενέσθαι vel τοῦ εἶναι. Similis est syntaxis Rom. 8. vers. 29. συμμόρφους τοῦ εἰκόνος. pro eo quod est, συμμόρφους τῇ εἰκόνι. Et ista ellipsis hoc loco eó diligentiús notanda est, ne quis ea illis verbis colligat, electos credere antequam eligantur, atque adeó eligi quia credant. quæ sententia repugnat Scripturæ: quæ passim tradit, fidem pendere ab electione, tanquam effectum á causa: non contrá, ut Roman. 8. versu 30. Quos prædestinavit, eos etiam vocavit. scilicet efficaciter. id est, fide donavit. Ephes. 1. vers. 5. Prædestinavit nos εἰς υἱοθεσίαν ad adoptionem: adoptio autem fit per fidem, secundum illud Johan. 1. vers. 12. Potestatem dedit, ut sint filii Dei, quotquot credunt, &c. *Regni.* τῆς βασιλείας. Nempe regni illius cælestis. *Quod promisit.* ἣν ἐπηγγείλατο. Pro ἐκείνην ἣν ἐπηγγείλατο. Hellenismus.

V. 6. Contumelia affecistis. ἠτιμάσατε. Quasi dicas, Inhonoratis vel dehonoratis. *Pauperem.* τὸν πτωχόν. Non significatur hic species individua, seu certa persona: sed universum pauperum genus. *Nonne.* οὐχί. Interrogatio, quales præcedentes. *Divites per tyrannidem opprimunt vos.* οἱ πλούσιοι καταδυναστεύουσιν ὑμῶν. Intelligendum hoc de plerisque, nam etiam pii quidam divites, licet pauci, inter ipsos erant. *Et trahunt.* καὶ αὐτοὶ ἕλκουσι. Pleonasmus Hebraicus in pronomine αὐτοὶ. *Trahunt vos ad tribunalia.* ἕλκουσιν ὑμᾶς εἰς κριτήρια. Scilicet ut litigando vos spolient vestris facultatibus sub specie juris.

V. 7. Blasphemant. βλασφημοῦσι. Id est, factis suis occasionem blasphemandi præbent hostibus Euangelii. loquitur enim de iis qui sunt in Ecclesia. Metonymia effecti. Similis extat sententia Rom. 2. vers. 24. Nomen Dei propter vos blasphematur inter Gentes. *A quo estis cognominati.* τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς. Ad verb. Quod invocatum est super vos. Phrasis Hebræa: cujus exempla vide Gen. 48. vers. 16. Esa. 4. v. 1.

V. 8. Legem regiam. νόμον βασιλικὸν. Id est, legem illam Dei de diligendo proximo: quæ est veluti via regia: qua qui ingrediuntur, non aberrant á recto. quanquam doctissimo Fr. Junio placet, legem regiam sive regalem eó appellari, quód regio ferme spiritu, id est forti & constanti animo á piis omnibus præstari debeat, tanquam lex digna regalibus ingeniis. nam tali animo hominem oportet instructum esse qui ἀνθρωποπολιτεύεται in hac senescentis mundi colluvie ambulare velit.

V. 9. Personam respicitis. προσωπολημπτεῖτε. Faciem accipitis, faciei acceptores agitis. Verbum enim προσωπολημπτεῖν deductum est á nomine προσωπολήμπτης.

V. 10. Offenderit. πταίσῃ. Vel, impegerit. Metaphora ab iis, qui inter ambulandum aut currendum ad obstaculum aliquod offendunt ac pedem impingunt.

V. 11. Nam qui dixit. ὁ γὰρ εἰπών. Videlicet Deus.

V. 12. Per legem libertatis. διὰ νόμου ἐλευθερίας. Id est, per legem Dei liberé

beré damnantem quoſvis tranſgreſſores. Sic expono ex collatione verſus ſequentis: atque adeó ex re ipſa. nam monet ne quis putet ſibi parſum iri á Deo propter potentiam humanam, etiamſi Legem fuerit tranſgreſſus.

*V.*13. *Et gloriatur miſericordia adverſus damnationem.* κὴ κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως. Genitivus κρίσεως regitur á verbo κατακαυχᾶται, vi præpoſitionis κατ', ex qua illud eſt compoſitum. Sententia videtur eſſe hæc: Contrá verò qui miſericordiam erga proximum exercet, ei non erit damnatio: ſed is poterit gloriari & gaudere, ut qui damnationem evaſerit. Hanc expoſitionem peto ex ipſa ſententiarum antitheſi: ubi more Hebræorum, Et ponitur pro At.

*V.*14. *Dicat habere ſe.* λέγῃ ἔχειν. Scilicet. ἑαυτὸν. Ellipſis Græca. Notanda eſt autem emphaſis verbi, *dicat*. neque enim ait, *Si quis fidem habeat*: ſed, *Si quis dicat ſe habere*: id eſt, jactet fidem, jactet ſe fide juſtum eſſe, ac proinde ſe opera nil curare. Innuit igitur ſe diſputare contra eos qui non habent veram fidem, ſed illam falsò jactant: quum vera fides, neceſſariò producat bona opera. *Opera.* ἔργα. Scilicet. καλὰ, id eſt, bona. *Fides illa.* ἡ πίστις. nempe quam quis dicit ſe habere, quum interim non habeat bona opera, tanquam fidei fructus. Articulus eſt διαφορικὸς. Perinde eſt ac ſi diceret, Num poteſt inanis illa fidei profeſſio quenquam ſervare?

*V.*15. *Frater aut ſoror.* ἀδελφὸς ἢ ἀδελφὴ. Id eſt, vir Chriſtianus aut mulier Chriſtiana. *Nudi* γυμνοὶ. Deſtituti neceſſario veſtitu.

*V.*16. *Quæ erit utilitas?* τί τὸ ὄφελος; Scilicet ἔσται. Videlicet illius humani alloquii, non accedente ope. quaſi dicat. Non propterea poteritis laudari ut humani ac benefici. Sic exponi hæc verba poſtulat inſtituta ſimilitudo. Nam ſicut iſta falſa charitas nihil prodeſt eam habenti: ita falſa fides nihil prodeſt eam habenti. Alioquin prima fronte videri poſſit hoc dici, humanum iſtud alloquium, ſine ope, non prodeſſe egenti. quod quidem verum eſt: ſed ad ſcopum Apoſtoli hic non facit. Ergo quum ait, *Quæ erit utilitas*: perinde eſt ac ſi dicat, Quæ erit laus illi dicenti? quæve remuneratio á Deo?

*V.*17. *Ita quoque.* οὕτω κὴ. Apodoſis comparationis, cujus protaſis antecеſſit, v. 15. & 16. Annectitur autem per ὁμοιωτικὸν.

*V.*17. *Mortua eſt per ſe.* νεκρά ἐστι καθ' ἑαυτήν. Id eſt, non eſt efficax ad juſtificandum & ſervandum: quippe quæ non eſt fides vera, ſed tantùm inanis fidei profeſſio.

*V.*18. *Quinimò dicet aliquis.* ἀλλ' ἐρεῖ τις. Quaſi dicat: Imò tantum abeſt ut inanis illa fidei profeſſio utilis ſit ad juſtificandum & ſervandum, ut potiùs obnoxia ſit juſtæ reprehenſioni hypocriſeos: quum non poſſit iſtiuſmodi homo oſtendere ex operibus, ſe vera fide, quam profitetur & jactat, eſſe præditum. *Dicet aliquis.* ἐρεῖ τις. Nempe tibi qui fidem dicis te habere, & interim opera non habes. *Tu fidem habes.* σὺ πίστιν ἔχεις. Hoc dicitur per conceſſionem. quaſi diceret, Eſto: ſit ita ut dicis, te ſcilicet fidem habere. *Et ego.* κἀγώ. Id eſt, Contrá ego: vel, Viciſſim ego. *Opera habeo.* ἔργα ἔχω. Scil. καλὰ, bona. *Oſtende mihi.* δεῖξόν μοι. quaſi dicat: Age, ſi verè dicis te fidem habere: oſtende eam mihi é propriis ſuis effectis, videlicet bonis operibus. quod ni feceris: apparebit te fidem falsò profiteri. *Et ego oſtendam, &c.* κἀγὼ δείξω. quaſi dicat, Et ne poſſis conqueri me conditionem iniquam tibi proponere, aut rem iniquam abs te poſtulare: en ego meam fidem eidem examini ſubjicio, paratus illam oſtendere é fructibus ſuis,

videlicet

videlicet bonis operibus.

V.19. Deum unum esse. ὅτι ὁ Θεὸς εἷς ἐστι. Sicut scilicet se patefecit certo verbo: ac proinde negas πολυθεΐαν illam commentitiam Ethnicorum. *Rectè facis.* καλῶς ποιεῖς. Responsio ad præcedentem objectionem. quasi dicat: Rectè quidem facis, quòd istud credis; quia scilicet verum est: sed errás, si hinc colligis, te vi illius fidei salvum fore. quippe quum fides illa possit esse sine bonis operibus, ac proinde cadat etiam in dæmonia seu malos spiritus: qui idem credunt: & tamen interim horrescunt, metu scilicet justi judicii Dei ipsis imminentis; quum non confidant ejus gratia, neque eum ut patrem sanctè colant. At *etiam dæmonia, &c.* καὶ τὰ δαιμόνια, &c. Hîc perspicuitatis gratiâ aliquot particulas supplevimus.

V.20. Vis verò nosse, &c. Θέλεις δὲ γνῶναι, &c. Interrogatio docturientis (ut sic loquar) id est, cupientis docere. quasi dicat, Si cupis nosse; age attende, docebo te. Sic apud Ciceronem in Paradoxis: *Vultis incipiam a Romulo?* Sic Rom.13. *Vis non timere potestatem?* Id est, Si cupis scire, quomodo id consequi possis, docebo te: id quod ibidem facit. Sic Joh.13.v.12. *Intelligitis quid fecerim vobis?* quasi dicat: Si nondum intelligitis, docebo vos. quod & facit. *Homo vane.* ὦ ἄνθρωπε κενέ. Hîc videmus manifestè contra quos Apostolus hic disputet, videlicet contra vanos fidei jactatores. *Fidem sine operibus mortuam esse.* ὅτι ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστι. Sic verto, & sic construo: ut hæc verba, χωρὶς τῶν ἔργων, pendeant ab illis, νεκρά ἐστιν: subintellectis verbis, ἐὰν ᾖ, id est, *Si sit*: ex collatione v.17. ubi sic habetur, ἡ πίστις ἐὰν μὴ ἔργα ἔχῃ, νεκρά ἐστι: Fides, si opera non habeat, mortua est. Hoc autem perinde est atque cum dicitur: ἡ πίστις ἐὰν ᾖ χωρὶς τῶν ἔργων, νεκρά ἐστι: Fides si sit sine operibus, mortua est. Eodem tamen recidit interpretatio eorum qui vertunt, Fidem illam *quæ est* absque operibus, mortuam esse: Supplentes nimirum articulum ἡ ante χωρὶς. quæ ellipsis alioquin est frequens, etsi huc eam accersere non est opus.

V.21. Abraham pater, &c. Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ, &c. Subjectio ad præcedentem interrogationem: docet enim nunc quod illa interrogatione fuerat pollicitus. quasi dicat, Audi igitur quod dicam. Abraham pater, &c. *Ex operibus.* ἐξ ἔργων. Id est, ex tali fide quæ conjuncta fuit cum bonis operibus, pariendo scilicet illa ex se tanquam nativos fructus. Metonymia effecti, quippe qua ex effecto significatur causa procreans. *Quum obtulisset, &c.* ἀνενέγκας. Nempe ad mandatum Dei: cui paruit ex fide, sicut docet Paulus Heb.11.v.17. & deinceps.

V.22. Vides. βλέπεις. Vel, videne. ut meliùs exprimatur interrogatio: quæ vim habet affirmandi. quasi dicat, Certè puto te videre. quamquam potest etiam legi absque interrogatione, eodem manente sensu. *Administram fuisse operum ipsius.* ὅτι συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ. Ad verb. Cooperatam esse operibus ipsius. Id est, produxisse ex se opera ipsius. Etenim per fidem (πίστει, ut ait Paulus Heb.11.v.17.) obtulit Abraham Isaacum. Impropria igitur hic est locutio. *Perfectam fuisse.* ἐτελειώθη. Id est, cognitum fuit quòd esset perfecta, id est, vera ac sincera. secundum illam vocem Domini: *Nunc cognovi, timentem Dei esse te, &c.* Gen.22.v.12. Phrasis qualis suprà cap.1.v.12. in illo, δόκιμος γενόμενος.

V.23. Itaque impleta est Scriptura. καὶ ἐπληρώθη ἡ γραφὴ. Id est, Et ita patefactum fuit, Abrahamum vera fide esse præditum, ac proinde á Deo justificatum: sicut testatur Scriptura, Genes.15. *Et amicus Dei vocatus est.* φίλος θεοῦ ἐκλήθη. Hîc incipit nova sententia: neque enim ista verba cum præce-

præcedentibus conjuncta reperiuntur apud Mosen. Imó nec alibi uspiam (quod sciam) in Scriptura de Abrahamo hæc verba leguntur: sed tamen (id quod satis est ad veritatem) leguntur verba in hanc sententiam: id est, talia, ex quibus firmiter colligitur, Abrahamum á Deo pro amico esse habitum. Hoc enim ostendunt tot ac tam familiares apparitiones & collocutiones, ac promissiones repetitæ. Inter quas amicitiam maximé præ se fert illa Gen. 12. *Benedicam iis qui benedicent tibi: & qui maledixerit tibi, eum exsecrabor.* Etenim amici communes habent amicos & inimicos. Et quid familiarius fieri potuit illo colloquio Jehovæ cum Abrahamo prandentis? Gen. 18.

V. 24. *Videtis igitur.* ὁρᾶτε τοίνυν. Puto rectiùs legi absque interrogatione. *Ex operibus justificari hominem, & non ex fide tantùm.* ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος, καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον. Id est, Hominem justificari ex tali fide quæ conjuncta sit cum operibus, non autem ex fide quæ operibus caret. Hunc esse sensum, evincit collatio antecedentium, ut consideranti patet. Quare rursus hîc est impropria locutio. neque enim sentit Jacobus, fidem & opera tanquam duas diversas causas, concurrere ad effectum justificationis producendum: quum nihil aliud propositum habeat, quám reprehendere eos qui se fide salvos fore jactabant, quum interim vera & justificante fide essent destituti: quippe destituti bonis operibus, quæ vera & justificans illa atque salvifica fides necessariò ex se gignit. Denique certum est, Spiritum sanctum qui hîc loquitur per Jacobum, non contradicere sibi ipsi loquenti per Paulum: qui multis argumentis in epistola ad Romanos, itemq; in ea quæ ad Galatas, demonstrat hominem justificari fide absque operibus Legis. Quare frustra hinc Papistæ argumentum sui erroris petunt.

V. 25. *Ex operibus.* ἐξ ἔργων. Id est, ex fide tali quæ ex se peperit bona opera: sicut pauló anté v. 21. Metonymia effecti. *Nuntios illos.* τοὺς ἀγγέλους. Exploratores Israëlitarum.

V. 26. *Corpus.* τὸ σῶμα. Videlicet hominis, atque etiam cujusvis animalis. *Absque spiritu.* χωρὶς πνεύματος. Id est, absque anima, qua præsente corpus spirat. Metonymia effecti. Potest tamen hic locus etiam paulo aliter exponi, nempe sic: Quemadmodum percipitur corpus esse mortuum, quum caret spiritu, seu quũ exspiravit: sic fidem percipitur esse mortuam, quum destituitur operibus. nam sicut anima quamdiu est in animali, efficit spiritum seu respirationem: sic fides, quamdiu est in homine, efficit bona opera. *Ita & fides absque operibus, &c.* οὕτω καὶ ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων, &c. Verto & construo ut suprá v. 20 ubi vide.

OBSERVATIONES EX CAP. II.

E sex primis versibus. Nemo pius contemnendus est propter paupertatem: nec quisquam impius honorandus propter divitias. Sed pii omnes, quantumvis pauperes, honorandi sunt, tanquam membra Christi glorioši & tanquam á Deo electi ad hæreditatem regni cœlestis. Impii verò, quantumvis divites, contemnendi ac pro nihilo putandi sunt: ut qui tyrannidem in pios exerceant, & occasionem præbeant exteris blasphemandi nomen Christianum. Hinc Psal. 15. in descriptione veré pii habetur & hoc: In oculis ejus contemtus est reprobus, timentes verò Jehovæ honorat.

Ex v. 1. & 5. Pauperes pii contra molestiam paupertatis & contemtum mundi

mundi sese consolentur, quód sunt membra glorioſi capitis Christi, quodq; á Deo electi sunt, ut sint divites fide & hęredes regni cœlestis. Confer suprá cap. 1. v. 9. item 1. Cor. 1. v. 26. 27. & 28.

Ex v. 5. Quum fides pendeat ab electione (ut intelligitur ex verbis, *Deus elegit pauperes ut fierent divites in fide*) falluntur ergo qui putant, fidem esse electionis causam; ut qui dicunt, Deum elegisse aliquos propter prævisam ipsorum fidem. Confer Rom. 8. 30. Quos prædestinavit, eos etiam vocavit, id est, fide donavit. Sic Ephes. 1. 5. Prædestinavit nos *εἰς υἱοθεσίαν*, in adoptionem filiorum. Adoptamur autem in filios per fidem, Johan. 1. 12.

Ex v. 6. Etsi divitiæ consistere possunt cum vera pietate: ut docent exempla divitum vere-piorum, Abrahami, Davidis & aliorum: tamen quum plerique divitiis abutantur ad contemtum & oppressionem pauperum, sollicité hic abusus cavendus est.

Ex v. 7. Qui sese Christianos & filios Dei profitentur, & interim impié vivunt: illi nomen Dei blasphemant. id est, blasphemandi illud occasionem aliis præbent. Confer Rom. 2. v. 24. Quare ne nomen Dei propter nos blasphemetur, studeamus pié vivere.

Ex v. 8. Quum lex de diligendo proximo sit lex regia, id est eximia & latè patens omniaque alia de officiis proximo præstandis præcepta comprehendens: inprimis nobis commendata esse debet.

Ex v. 9. 10. & 11. Vera pietas, est propositum & studium vivendi secundũ omnes Dei leges, seu secundum omnia Legis divinæ præcepta. nam qui sibi indulget vel in uno præcepto transgrediendo, is Deum legislatorem contemnit, ac proinde vere-pius non est, sed Legis violatæ reus.

Ex v. 12. & 13. Hic recurrit eadem doctrina, quam proposuimus capite superiore v. 25. Illic vide.

Ex v. 14. & reliquis usque ad finem capitis. Ut sis verus Christianus, id est, per fidem in Christum veré coram Deo justus Deoque placens, non est satis te fidem jactare, aut fide illa generali, quam etiam dæmonia habent, præditum esse: sed oportet te bonis operibus demonstrare, quód verâ illâ fide sis præditus. Etenim vera fides bona opera necessariò ex se parit, tanquam bona arbor bonos fructus. quoniam qui vera fide præditus est, agnoscit se vita æterna indignum, imó mortem æternam commeritum, ex mera Dei gratia atque misericordia per Christum á morte ereptum & in vitam translatum esse: quod maximum Dei beneficium qui veré agnoscit, fieri nequit quin toto animi affectu gratum sese Deo exhibere eique placere studeat: hoc autem fit per studium bonorum operum á Deo mandatorum.

Ex v. 19. Quum ad justitiam coram Deo & salutem æternam consequendam non sit satis, credere ea, quæ verbum Dei de Deo tradit; verbi gratia, Deum esse unum, esse conditorem & gubernatorem cœli & terræ & omnium rerum illis comprehensarum, esse judicem universorum, quin etiam esse redemtorem & sanctificatorem Ecclesiæ: quippe quum dæmonia quoque hæc omnia credant, & tamen Deum judicem horrescant: quæritur, quidnam igitur ampliús credere oporteat? Respondeo, Oportet te præter illa omnia credere, Deum donasse Christum tibi non minús ac aliis salvandis, & Christum dilexisse te, seque ipsum tradidisse pro te in mortem, tuaque peccata sua morte expiasse, favorem Dei patris vitamque æternam tibi promeritum esse. Hæc demum est fides illa justifica & salvifica, quam Scriptura, & maximé Paulus, celebrat. Id liquet ex his, & aliis similibus dictis,

ctis, Rom. 4. v. 23. 24. & 25. Non scriptum est autem propter eum solum, quòd hoc imputatum fuerit ei: sed etiam propter nos, quibus futurum est ut imputetur, iis nimirum, qui credunt in eum qui excitavit Jesum dominum nostrum á mortuis, traditum propter offensas *nostras*, & excitatum propter justificationem *nostri*. Et cap. 5. v. 5. Charitas Dei (id est, sensus charitatis, qua Deus nos propter Christum complectitur) effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Et v. 8. Commendat autem suam charitatem erga *nos* Deus, quòd quum adhuc essemus peccatores, Christus pro *nobis* mortuus sit. Item cap. 8. vers. 16. Ipse Spiritus testatur unâ cum spiritu nostro, nos esse filios Dei. Et v. 31. ac deinceps usque ad finem capitis. Quid igitur dicemus ad hæc? Si Deus pro *nobis*: quis contra nos? Qui sanè proprio filio non pepercit, sed pro *nobis* omnibus tradidit eum &c. Sic Galat. 2. v. 20. Paulus fidem suam declarat his verbis: Vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem filii Dei qui dilexit *me*, & tradidit semetipsum pro *me*.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hoc capite continentur tres admonitionum loci, videlicet septimus, octavus & nonus. Quorum primus est de cavenda arrogantia in corripiendis fratribus, vers. 1. & primo membro secundi. Secundus, de lingua frenanda, vers. 2. ibi. *Si quis in sermone*: usque ad vers. 13. Tertius de mansuetudine præstanda & cavenda invidia ac rixis, á vers. 13. usque ad finem capitis.

DE PRIMA PARTE CAPITIS.

NE estote multi doctores, fratres mei, scientes fore ut gravius judicium auferamus.

2 In multis enim offendimus omnes.

REprehendit eos, qui quum ad docendum vocati non sint, tamen munus illud privato ausu affectant, ac proinde ex ambitione jus rigidæ censuræ sibi in proximos arrogant & usurpant. Hos igitur ab ista arrogantia & isto rigore in fratrum vitiis arguendis ac damnandis dehortatur argumento ab effectu pernicioso: quia sic futurum sit, ut isti censores gravius judicium á Deo auferant. quod argumentum cõfirmat á pari, quòd nimirum ipsi non minùs labantur in multis, quàm illi quos tam rigidè arguũt ac damnant. hoc significat per gnomam, id est, sententiam generalem de hominis natura atque conditione, inquiens, *In multis enim labimur omnes*. Quòd autem dicit, istos censores gravius judicium ablaturos: significat, eos gravius peccare: quippe qui non peccent ex ignorantia, ut illi quos damnant; sed contra conscientiam, ut qui se profiteantur aliorum doctores. Similis est illa reprehensio, qua Paulus reprehendit hypocritas Judæos Rom. 2. v. 21. ubi ait, *Qui igitur doces alium, te ipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? &c.*

DE

DE SECUNDA PARTE CAPITIS.

2 *Si quis in sermone non offendit, hic perfectus* est *vir, ut qui possit fræno moderari totum etiam corpus.*

3 *Ecce, equis fræna in ora immittimus, ut obediant nobis, & totum corpus eorum circumagimus:*

4 *Ecce, naves quoque, quum tantæ sint, & á ventis sævis agitentur, circumaguntur á minimo gubernaculo quocunque impulsu gubernatoris voluerit.*

5 *Ita & lingua pusillum membrum est, & sese effert magnificé. Ecce, exiguus ignis quantam materiam incendit?*

6 *Etiam lingua ignis* est, & *mundus iniquitatis: ita* inquam *lingua constituta est inter membra nostra, maculans totum corpus, inflammans rotam nativitatis nostræ, & inflammata á gehenna.*

7 *Omnis enim natura & ferarum & volucrum, serpentiúmque & marinorum domatur & domita est á natura humana.*

8 *Linguam autem nullus hominum domare potest. malum* est *quod coërcere non possis: plena* est *veneno mortifero.*

9 *Per ipsam benedicimus Deo & Patri, & per ipsam maledicimus hominibus, qui ad similitudinem Dei conditi sunt.*

10 *Ex eodem ore procedit benedictio & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.*

11 *Num fons ex eodem foramine fundit dulcem & amaram* aquam?

12 *Nunquid potest, fratres mei, ficus oleas edere, aut vitis ficus? ita nullus fons salsam & dulcem aquam* potest *edere.*

Occasione illius verbi, *Labimur,* quo in sententia proxime præcedente usus est, transit nunc ad admonitionem de lapsu linguæ cavendo. Primúm autem moderationem linguæ ac omnino rectum linguæ usum commendat, vers. 2. 3. 4. & principio quinti: deinde linguæ intemperantiam ac omnino abusum vituperat, versibus reliquis. Rectum linguæ usum commendat primúm á causa efficiente, deinde ex effectis. Causam efficientem recti usus linguæ statuit prudentiam, ubi dicit, *Si quis in sermone non labitur, hic perfectus est vir,* hoc est, Si quis lingua recté noverit uti, cognoscitur inde vere prudens esse seu vera ac perfecta sapientia præditus. Quód autem vocabulo *perfecti* prudentem hic intelligat, percipitur ex verbis sequentibus, ubi dicit, quód talis possit moderari totum corpus. hæc enim moderatio, propria prudentiæ atque temperantiæ actio est. Effecta recti usus linguæ notat uno verbo, ubi dicit in principio versus quinti, lingua μεγαλαυχεῖν, id est, magna jactare, seu de magnis se jactare. Quo significat, linguam si quis ea recté utatur, efficere res magnas, pertinentes nimirum ad gloriam Dei & hominum salutem: adeó ut de illis per se effectis jure possit gloriari seseque jactare. Est igitur in verbo μεγαλαυχεῖν, geminus tropus, videlicet metonymia effecti καταχρηστικὴ & metaphora ὑπερβολικὴ. Esse autem hoc verbum sic exponendum, de effectis scilicet bonis: percipitur ex utraque similitudine, qua Apostolus sententiam propositam illustrat: etenim utraque illa effectum quoddam bonum commemorat: prior quidem obedientiam equi ad sessoris usum, posterior veró gubernationem navis ad usum vectorum, Igitur sententiam illam de magnis atque utilibus linguæ effectis illustrat duabus similitudinibus: quarum

priore linguam comparat freno, vers.3.posteriore veró gubernaculo, seu clavo,vers.4. Similitudo autem hic spectatur partim in agentium pusillitate, partim in effectorum magnitudine, atque etiam in magnitudine objectorum. Agentia pusilla sunt,frenum, gubernaculum, lingua : objecta magna,equus respectu frenj,navis respectu gubernaculi, Deus & homo respectu linguæ.Magna item effecta sunt : obedientia equi per frenum, gubernatio navis per clavum,gloria Dei & salus hominum per linguam. Atque sic rectum linguæ usum commendavit: jam pravum illius usum vituperat primúm in genere,v. 5. 6. 7. & 8. deinde vituperat in specie maledicentiam,versibus reliquis. Generalis vituperatio sumitur partim ex effectis,partim ex causa efficiente,partim ex quodam adjuncto. Effecta mala malę linguę significantur duob.similibus:primúm enim pravitas linguę cóparatur igni consumenti res utiles, v.5.& 6. deinde veneno lethali, v 8. Et amplificantur hæc effecta ab adjuncto numero . ubi dicit, *Quantam materiam accendit?* item,ubi dicit linguam pravam esse *mundum iniquitatis*.item, *inflammare rotam nativitatis nostræ*,hoc est,totius vitæ curriculum.Causa efficiens pravitatis linguæ statuitur diabolus : ubi dicit,linguam *inflammari à gehenna*. id est,á diabolo cui sedes destinata est gehenna.Porró adjunctum pravæ linguæ statuit ἀδυναμίαν naturalem emendationis : quód scilicet lingua non possit domari aut coërceri. Quam sententiam amplificat dissimilitudine : cujus protasis continetur v.7.apodosis initio versus octavi. Atque in hac dissimilitudine latet amplificatio á collatione imparium : quatenus significat , linguam feris bestiis efferatiorem esse: quippe quum hæ possint domari atque cicurari, illa non item. Quod tamen utrumque intelligendum est per synecdochen de maxima solùm parte. nam & feræ quædam reperiuntur incicurabiles, & linguæ quædam cicurantur, inprimis eorum,qui Spiritu Dei regenerati sunt. Hactenus fuit vituperatio pravi usus linguæ generalis : sequitur v.9.& deinceps specialis vituperatio maledicentiæ, ac nominatim in iis, qui haberi volunt religiosi, ut qui in cœtibus fidelium lingua sua Deo benedicant hymnos canendo aut preces recitando. Horum maledicentiam,qua lædunt homines, reprehendit primùm á pari, deinde á contrariis. A pari sic: Si per linguam Deo benedicis, debes quoque per eandem benedicere hominibus. At illud facis. Quare hoc quoque facere debes : ac proinde vitare debes contrarium, ne scilicet proximo maledicas. Connexum probatur á pari: quia homines ad similitudinem Dei conditi sunt. Simul autem significat, maledicentiam, qua homo lædituri,in Deum ipsum redundare,tanquam illius opificem:quę jam manifesta est impietas.A contrariis veró sic.

Quod repugnat naturæ, id non oportet fieri.

At naturæ repugnat ut contraria effecta (cujusmodi sunt benedictio & maledictio)oriantur ex eadem causa procreante, ut ex eodem ore.

Ergo hoc non oportet fieri.Et per consequens,quum extra controversiam sit,quód ex ore prodire debeat benedictio, non ergo debet ex eo audiri maledictio.

Propositio, ut nota omittitur. Assumtio significatur tribus exemplis: fontis, ficus & vitis. Fons non producit simul aquam dulcem & amaram: nec ficus simul fert ficus & oleas : nec vitis simul gignit uvas & ficus. In primo exemplo oppositio est adversorum : in secundo disparatorum, sed adversis qualitatibus præditorum : etenim ficus quidem dulces sunt, oleæ

verò

verò ſubamaræ. In tertio exemplo oppoſitio eſt diſparatorum, quæ tamen qualitates ſimiles habent: nam & uvæ & ficus dulces ſunt. Concluſio præcedit v. 10. Aſſumtio ſequitur v. 11. & 12.

DE TERTIA PARTE CAPITIS.

13 *Quis ſapiens & ſcientia præditus eſt inter vos? demonſtret ex bona converſatione opera ſua, cum manſuetudine ſapientiæ.*

14 *Quòd ſi invidiam amaram habetis & irritationem in corde veſtro, ne gloriamini, & ne mendaces eſtote adverſus veritatem.*

15 *Non eſt enim iſta ſapientia è ſupernis deſcendens; ſed terrena, animalis, dæmoniaca.*

16 *Ubi enim invidia eſt & rixa, ibi tumultuatio & omne opus pravum.*

17 *Quæ autem è ſupernis eſt ſapientia, primùm quidem pura eſt, deinde pacifica, moderata, obſequens, plena miſericordiæ & fructuum bonorum, abſque diſceptatione, ſine ſimulatione.*

18 *Fructus autem juſtitiæ ſitus in pace, iis qui dant operam paci.*

Commendat manſuetudinem & ſtudium pacis: & contrà reprehendit invidiam, iracundiam & libidinem rixandi. Manſuetudinem & ſtudium pacis commendat primùm á cauſa efficiente, ſignificans virtutes illas oriri ex vera atque cœleſti ſapientia, v. 13. & 17. Deinde ab effecto, videlicet pace, id eſt vera felicitate, quam vocat *fructum juſtitiæ*: quia ex juſtitia veluti naſcitur, & illi tanquam præmium rependitur, v. ult. Similiter á cauſa efficiente reprehendit invidiam, iracundiam & libidinem rixandi: ſignificans, iſta vitia naſci ex hypocriſi, ubi ait, *Ne mendaces eſtote adverſus veritatem: non eſt enim iſta ſapientia ſupernè deſcendens.* v. 14. & 15. Imò autorem illorum vitiorum ſignificat eſſe diabolum, ubi ſapientiam hanc dicit eſſe *dæmoniacam.* Deinde reprehendit quoque hæc vitia ab effectis: quæ ſunt *tumultuatio & omne opus pravum*, v. 16.

SCHOLIA IN CAP. III.

V. 1. *Ne eſtote multi doctores.* μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε. Id eſt, Ne uſurpate vobis magiſterium & authoritatem in aliis judicandis & reprehendendis. Similis eſt ſententia illa Chriſti, *Nolite judicare, ne judicemini*: Matth. 7. verſ. 1. *Fore ut gravius judicium auferamus*, ὅτι μεῖζον κρῖμα λημψόμεθα. Si ſcilicet alios peccantes nimis rigidè damnaverimus: ex collatione ſententiæ præcedentis. *Judicium.* κρῖμα. Id eſt, pœnam Metonymia efficientis. Sic 1. Cor. 11. v. 31. & 32. *Si nos ipſi dijudicaremus, non judicaremur: ſed quum judicamur, á Domino caſtigamur.* Id eſt, non puniremur: Item, quum punimur.

V. 2. *In multis.* πολλὰ. Subaudiendum χῦ. *Offendimus.* πταίομεν Vel Impingimus. Vide ſuprà ad verſ. 10. cap. 2. Paulus hujuſmodi πταῖσμα nominat παράπτωμα in ſimili hortatione, Gal. 6. v. 1. *Perfectus.* τέλειος. Vera virtute præditus.

V. 3. *Equis frena &c.* τῶν ἵππων τοὺς χαλινοὺς &c. In Græco verba trajecta ſunt. Ordo enim naturalis hic eſt: βάλλομεν τοὺς χαλινοὺς εἰς τὰ στόματα τῶν ἵππων, immittimus frena in ora equorum. *Immittimus & circumagimus.* βάλλομεν καὶ μετάγομεν. Id eſt, immittentes circumagimus: vel, immittimus & ita circumagimus.

V.4. A ventis sævis. ὑπὸ σκληρῶν ἀνέμων. Proprié duris. Metaph.

V.5. Ita &c οὕτω καὶ. Apodosis similitudinis per ἐπισύναψιν annexa: ut supra 1.11.& 2. 17. *Et sese effert magnificé.* καὶ μεγαλαυχεῖ. Vel, Et de magnis se jactat, hoc est, res magnas efficit. Vide pleniorem hujus verbi expositionem in Analysi. Porró in verbo μεγαλαυχεῖν est metaphora ab equo, qui effert τὴν αὐχένα, id est, cervicem. *Materiam.* ὕλην. Materiam hic intellige ligna, ex quibus ignis accenditur: quæ vocabuli Græci significatio antiquissima est, ac proinde propria videtur. Esse autem antiquissimam, Henricus Stephanus in suo Thesauro multis exemplis ex Homero prolatis ostendit. Quin & Latini vocabulo materiæ ad significandum ligna crebró utuntur. Sunt autem hoc loco versus non satis commodé distincti: nam sententia ista, ἰδοὺ, ὀλίγον πῦρ &c. pertinet ad versum sequentem: quippe ubi continetur ejus apodosis.

V.6. Lingua etiam. καὶ ἡ γλῶσσα. Pro, οὕτω καὶ ἡ γλῶσσα, ita & lingua. Continetur enim hic apodosis similitudinis, cujus protasis proximé præcessit. *Ignis est.* πῦρ. Scilicet ἐστὶ, id est, quasi ignis, seu similis igni. Enuntiatum metaphoricum, id est in cujus prædicato metaphora est. Et *mundus iniquitatis.* ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας. Id est, res plenissima iniquitatis: mundus enim plurimis rebus repletus est. Sic dicitur, ἰλιὰς κακῶν & mare malorum. Metaphora. *Rotam nativitatis nostræ.* τὴν τροχὸν τῆς γενέσεως. In Græco addendum ἡμῶν, ex veteri interprete. Sic autem appellat totius vitæ nostræ curriculum inde á nativitate usque. Rota pro curriculo dicitur per metonymiam efficientis: (nisi potiús legendum τρόχον, id est, cursum) & curriculum pro actionibus per quas vita nostra quasi decurrit, per metaphoram. Nativitas autem pro tota vita, per synecdochen membri: cujus respectu sententiæ huic inest ὑπερβολὴ. neque enim statim á nativitate linguâ abutimur: sed annis demum, qui vocantur discretionis. *A gehenna.* ὑπὸ τῆς γεέννης. Id est, á diabolo. Metonymia subjecti. Sicut contrá *cœlum* ponitur ad significandum Deum. ut, *Peccavi in cœlum*, Lucæ 15. Cæterúm γεέννα dicitur corrupté ex Hebræo גיאהנם gehinnóm, id est, vallis Hinnomi. Sic autem tempore Christi & Apostolorum appellatus fuit locus damnatorum, qui vulgo dicitur infernus, á profanis orcus: propterea quód illic damnati excruciabantur igne, sicut olim in valle Hinnomi excruciati fuerunt igne pueri, quos idolo Moloch offerentes, per ignem traducebant. Vide Matth. 5. vers. 22 29. 30. & cap. 10. vers. 28 & cap. 18. vers. 9. & cap. 23. vers. 15. & 33. Jos. 15. vers. 8. 2. Reg. 23. vers. 10. Jerem. 7. vers. 31.

V.7. Domita est á natura humana. δεδάμασται τῇ φύσει τῇ ἀνθρωπίνῃ. Id est, ὑπὸ τῆς φύσεως ἀνθρωπίνης. Hellenismus.

V.9. Per ipsam. ἐν αὐτῇ. Pro αὐτῇ vel δι' αὐτῆς. Hebraismus. *Benedicimus Deo.* εὐλογοῦμεν τὸν θεὸν. Ad verb. Benedicimus Deum. Phrasis Hebræa. id est, Laudamus Deum. *Deum & patrem.* Θεῷ καὶ πατέρι. Id est, Deum, qui est pater noster. Conjunctio *Et* posita ἐπεξηγητικῶς. *Maledicimus hominibus.* καταρώμεθα τοὺς ἀνθρώπους. Ad verb: Maledicimus homines, id est, exsecramur.

V.11. Dulcem & amaram aquam. τὸ γλυκὺ καὶ τὸ πικρὸν. Supple. ὕδωρ.

V.13. Quis sapiens &c. τίς σοφὸς, &c. Interrogatio docturientis. quasi dicat: Est ne inter vos qui cupiat haberi sapiens? Ego docebo eum, quid ipsi sit agendum, ut se sapientem esse demonstret, ac proinde pro sapiente meritó habeatur. Talis interrogatio fuit suprá cap. 2. vers. 20. Atque adeó

interrogatio

interrogatio hujusmodi & subjectio vim habent enuntiati connexivi: quasi dicatur, Si quis sapiens & scientiâ præditus est inter vos, is demonstret &c. Similia exempla vide Johan. 14. v. 1. *Creditis in Deum? etiam in me credite.* 1. Cor 7. vers. 18. *Circumcisus aliquis vocatus est? ne attrahat præputium. In præputio aliquis vocatus est? ne circumcidatur.* Et vers. 21 *Servus vocatus es? ne sit tibi curæ.* Et vers. 27. *Alligatus es uxori? ne quære dissolutionem. Solutus es ab uxore? ne quære uxorem.* Sic 2 Cor. 11. v. 22 *Hebræi sunt? & ego,* &c.

V. 14. *Ne gloriamini.* μὴ κατακαυχᾶσθε. Per Zeugma cohæret cum eo quod sequitur, *Adversus veritatem* Hoc in Græco percipitur ex præpositione κατ. Intelligit autem gloriationem qua quis gloriatur, se esse sapientem & scientiâ Dei præditum.

V. 15. *E superno.* ἄνωθεν. Id est, é cœlo. ut suprá cap. 1. v. 17. Et hoc ipsum percipitur ex eo quod subjicitur per antithesin, ἀλλὰ ψυχικός. *Animalis.* ψυχικὴ. Id est concepta vi animæ, qualis illa est á natura, nondum regenerata per Spiritum sanctum. Eodem sensu Paulus ψυχικοὺς ἀνθρώπους appellat 1. Cor. 1. v. 14 cui ibidem opponit τὰ πνευματικὰ. *Damoniaca.* δαιμονιώδης. Id est, á dæmoniis seu malis spiritibus inspirata.

V. 17. *Pura.* ἁγνή Casta. *Moderata.* ἐπιεικὴς. Cedens de suo jure, pacis causâ. Sic Philip. 4. v. 5. τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν &c. *Obsequens.* εὐπειθὴς. Quæ facilé paret recta monenti. *Fructuum bonorum.* καρπῶν ἀγαθῶν. Id est, operum bonorum: quæ sunt quasi fructus veræ sapientiæ. *Absque disceptatione.* ἀδιάκριτος. Talis quæ non discernit inter proximos ex prosopolepsia. Confer suprâ cap. 2. vers. 4.

V. 18. *Fructus autem justitiæ* situs *in pace.* καρπὸς δὲ τῆς δικαιοσύνης ἐν εἰρήνῃ. Subaudio articulum, ὁ ante ἐν εἰρήνῃ, quasi scriptum sit, ὁ ἐν εἰρήνῃ. σπειρόμενος. Ut sensus sit: Pax (hoc est, vera felicitas) quæ quasi fructus e justitia nascitur, seritur iis qui operam dant paci. Ubi simul noranda est suavis ἀντανάκλασις in nomine *pacis* diversa significatione repetito. *Iis qui operam dant paci.* τοῖς ποιοῦσιν εἰρήνην. Ad verb. Qui faciunt (hoc est, exercent) pacem. Hebraïs. qualis in illo, Facere judicium & justitiam. Item, Operarii iniquitatis.

OBSERVATIONES EX CAP. III.

Ex vers. 1. & 2. Cavenda est arrogantia & rigor in fratrum vitiis arguendis ac damnandis: singulis autem rigidè in sua ipsorum vitia inquirendum: proximus verò, si res postulet, corrigendus est fraternè. Etenim qui in propriis vitiis cœci, in vitiis proximi cernendis acuti & reprehendendis rigidi fuerint, eó gravius judicium á Deo auferent. Huc pertinet illud Christi, Nolite judicare, ut ne judicemini, Matt. 7. v. 1. quam doctrinam ibidem illustrat similitudine trabis & festucæ in oculo. Eandem doctrinam tradit Paulus Rom. 2. v. 1. 2. 3. item v. 17 & deinceps.

Ex v. 2. & deinceps usque ad 13. Quum magna sit linguæ vis in utramque partem: id est, sive ea utamur rectè sive abutamur: eó majore sollicitudine opera nobis danda est, ut ea utamur rectè, abusum verò illius caveamus. Quumque ad linguæ abusum á natura proclives simus, atque adeó quum á natura impossibile nobis sit rectè lingua uti: orandus nobis est Deus, ut per Spiritum sanctum & mentes & linguas nostras gubernet: ut & abusum cavere, & rectum usum consequi possimus. Consistit autem rectus linguæ usus in prædicandis virtutibus ac beneficiis Dei, in proximo

erudiendo de Deo & aliis rebus utilibus, item in suadendo illi salutaria, in corrigendo delinquente, &c. Abusus verò est, si quis Deum blasphemet, aut proximo convitietur, aut falsa doceat, aut noxia suadeat, &c.

Ex v. 13. & sequentibus. Vera ac cœlestis sapientia conjuncta est cum vitæ honestate, castitate, mansuetudine, studio pacis, misericordia atque beneficentia erga afflictos, candore ac simplicitate. Quare ubi hæ virtutes non sunt, ibi nec vera sapientia est.

Ex v. 14. 15. & 16. Ab invidia & irritatione deterrere nos debet, quód isti affectus oriuntur á corrupta nostra natura, quódque inflammantur à diabolo: tum verò etiam quód ex se pariunt tumultuationem & omne opus pravum.

Ex v. 18. Ad studium justitiæ & pacis excitare nos debet fructus pulcherrimus atque suavissimus, videlicet pax illa seu felicitas cælestis. Confer. Rom. 2. v. 7.

ANALYSIS CAP. IIII.

ARGUMENTUM.

Hoc capite continentur tres admonitionum loci: decimus, undecimus & duodecimus. Quorum primus est de cavenda avaritia, intemperantia, & superbia, usque ad v. 11. secundus de cavendis obtrectationibus, v 11. & 12. tertius de cavenda inani confidentia in negotiis instituendis, á v. 13. usque ad finem capitis.

DE PRIMA PARTE CAPITIS.

1 *UNde bella & pugnæ inter vos? nónne hinc*, nimirum *ex voluptatibus vestris, quæ militant in membris vestris?*

2 *Concupiscitis, & non habetis: invidetis, & ambitis, nec potestis assequi: pugnatis & bellatis, nec tamen obtinetis; propterea quód non petitis.*

3 *Petitis, & non accipitis, eó quód malè petatis*: nempe, *ut in voluptates vestras insumatis.*

4 *Adulteri & adulteræ, nescitis, amicitiam mundi inimicitiam esse adversus Deum? Quicunq; ergo voluerit amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur.*

5 *An putatis, Scripturam inaniter dicere, Ad invidiam fertur Spiritus qui habitat in nobis?*

6 *Sed majorem dat gratiam: quia dicit, Deus superbis resistit, demissis autem dat gratiam.*

7 *Subjicite igitur vos Deo: resistite diabolo, & fugiet á vobis.*

8 *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis: emundate manus, peccatores: & purificate corda, duplices animo.*

9 *Affligimini & lugete, & flete. risus vester in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem.*

10 *Demittite vos in conspectu Domini, & extollet vos.*

A reprehensione rixarum transit ad reprehensionem avaritiæ, intemperantiæ & superbiæ, tanquam causarum ex quibus rixæ solent oriri. quod ipsum

ipsum affirmat v.1. ubi per voluptates intelligit illa ipsa vitia, ut quorum scopus sit perfruitio voluptatum. Unde Syrus vertit *concupiscentias*. Reprehensio igitur generalis continetur v.1. cujus summa est, Non esse indulgendum illis vitiis ac pravis cupiditatibus, unde contentiones & rixæ nascuntur. Deinde v.2. subjicitur reprehensio specialis prima, quæ est avaritia: ubi ait, *Concupiscitis, invidetis & studiosè affectatis, pugnatis & bellatis*. Ab hoc vitio deterret per argumentum á malesto eventu, videlicet frustratione: quód nimirum Deus avaritiam ipsorum frustretur. hunc eventum significat his verbis: *Non habetis, non potestis assequi, non obtinetis*. Simul a. per occasionem reprehendit omissionem precum, quibus tanquam causa instrumentali omnis generis bona á Deo possint impetrari: ubi ait, *Non obtinetis, propterea quod non petitis*. Versu 3. reprehensionem proximam per prolepsin corrigit, & ea occasione aliud vitium reprehendit, videlicet vitiosum precandi modum propter malum finem, quasi dicat: Sed esto, sint aliqui inter vos, qui hujus vitæ bona á Deo petunt: at ne illi quidem ea impetrant, eó quód malé petunt, id est propter malum finem, nempe ut ea insumant in suas voluptates. Atque sic simul reprehendit intemperantiam: quæ jam altera est ex tribus propositis reprehensio specialis, quam v.4. prosequitur: ubi sub exemplo adulterii ab intemperantia ac fœda libidine deterret per argumentum ab effectu noxio: quod videlicet qui per intemperantiam amicitiam colunt cum mundo, id est, hominib. non renatis, hoc ipso inimici Dei constituantur: id quod perniciosum est, Deus enim inimicos suos pro sua potentia & justitia gravissimé ulciscetur. V.5. sequitur reprehensio specialis tertia quæ est superbiæ: quam hic significat vocabulo invidiæ, eó quód superbi aliis invident eminentiam, quum ipsi soli eminere velint. Ab hac deterret expositione causæ corrumpentis, quæ est Sp. S. habitans in nobis: ut qui non sit author invidiæ & superbiæ, sed potiús modestiæ. Ubi observandum, sententiam illam, *Ad invidiam concupiscit Spiritus qui habitat in nobis*, legendam esse cum interrogatione, quæ vim habet negandi. Et videtur citari hæc sententia ex responso Mosis ad Josuam. Num. 11. v. 29. *An invides mea causa? ó si daretur, totum populum prophetas Jehovæ esse &c.* sicut doctiss. Fr. Junius observavit. Deinde v 6. á superbia deterret, & contrá ad modestiam hortatur ab effectis: quód nimirum superbis Deus resistat, modestis autem det gratiam. Versu 7. & deinceps ex argumentis expositis, hortationes ipsas colligit ac deducit, rursumque argumenta ab effectis inserit. Ac primúm quidem hortatur ad modestiam, inquiens: *Subjicite igitur vos Deo*. deinde ad preces, addens argumenta ab effectis, ubi ait: *Resistite diabolo, & fugiet á vobis: appropinquate Deo: & appropinquabit vobis*. tertió ad justitiam & sinceritatem, ubi ait. *Emundate manus, peccatores: & purificate corda, duplices animo*, &c. quartó ad luctum propter peccata ex intemperantia admissa, ubi ait, *Affligimini & lugete, &c.* quintó rursus ad modestiam, addito argumento ab effectu, nempe glorioso ac læto eventu, ubi ait: *Summittite vos in conspectu Domini & extollet vos*.

DE SECUNDA PARTE CAPITIS.

11 *Ne alii aliis detrahite, fratres: qui detrahit fratri, quique damnat fratrem suum, detrahit Legi, & judicat Legem, quód si judicas Legem, non es observator Legis, sed judex.*

12 *Unus est Legislator, qui potest servare & perdere: tu quis es qui judicas alium?*

Obtrectandi libidinem reprehendit & ab obtrectationibus deterret duobus argumentis, quorum utrumque sumptum est ab effectu indecoro ac periculoso. Primum effectum est, quód qui obtrectando damnat fratrem, nimirum ex privato arbitrio & pravo animi affectu illum certó impium ac proinde exitio dignum pronuntiando: is hoc ipso damnat Legem Dei: quippe quæ obtrectationes istiusmodi vetuit, quas obtrectator ille sibi tanquam licitas indulget & usurpat: quum tamen officii nostri sit, non judicare Legem: sed per omnia observare: vers. 11. Alterum effectum est, quód obtrectator ille invadit sibique usurpat jus Dei proprium. Etenim judicare, & judicando damnare vel absolvere, perdere vel servare, Dei proprium est: ut qui solus est Legislator, ac proinde solus potestatem habet secundum Legem judicandi.

DE TERTIA PARTE CAPITIS.

13 *Age nunc qui dicitis, Hodie vel cras proficiscemur in illam urbem, & agemus ibi annum unum, & mercabimur, & lucrabimur.*

14 *Qui ignoratis quid* futurum sit *postero die. quæ est enim vita vestra? vapor enim est, qui ad exiguum* tempus *apparet, & deinde evanescit.*

15 *Pro eo quod dicere debuistis, Si Dominus voluerit, & vivamus, faciemus hoc aut illud.*

16 *Nunc autem gloriamini de arrogantia vestra. omnis ejusmodi gloriatio, mala est.*

17 *Igitur qui noverit rectè facere, nec facit, hic peccato tenetur.*

Confidentiam illam inanem, qua homines sibi certó pollicentur successum negotiorum, quæ suscipiunt atque instituunt, reprehendit duobus argumentis, quorum utrumque sumtum est ab adjuncto quodam: prius quidem ab adjuncta rerum futurarum incertitudine, ut quæ homini per naturam certó innotescere non possint: posterius verò ab adjuncta vitæ humanæ fragilitate, qua fit ut nemo sibi possit certó crastinum pollicere. Primó autem confidentiam istorum exponit per prosopopœiam, v. 13. deinde argumenta reprehensionis subjungit v. 14. quorum prius amplificat á comparatis: Non scitis quid vel postero die futurum sit: Ergó multó minús scitis, quid futurum sit per totum annum. Posterius verò illustrat similitudine vaporis. Tertió hortatur eos (v. 15.) ad virtutem isti vitio contrariam, videlicet ad fiduciam collocandam in providentia & paterna voluntate Dei: ut á qua & vita nostra & omnes nostræ actiones, actionumque eventus dependent. ubi formulam pii sermonis præscribit, qua fiduciam illam suam testentur: non quód præcisé requirat, ut eam perpetuó verbis exprimant: veruntamen ut ad illam se assuefaciant. Præcipuum enim quod requirit, est illa fiducia: qua quis á voluntate Dei perpetuó dependet, illiusque providentiæ se suáque omnia committit. Quartó, confidentiam illam & ex eà natam arrogantem gloriationem expressé reprehendit versu 16. Quintó per prolepsin moner, non esse satis, si quis nôrit, quid facto sit opus (hoc enim poterant nonnulli objicere, se scire, omnia esse committenda providentiæ Dei) sed quod quis rectum esse novit, factis præstandum esse. Secus judicium Dei ipsi ut peccatori incumbere.

SCHOLIA IN CAP. IIII.

V. 1. Unde. πόθεν. Scil. *γίνονται*, oriuntur, existunt. Communicatio rhetorica. *Pugnæ. μάχαι.* intelligit lites & contentiones: quippe quas opponit studio

ſtudio pacis, ad quod hortatus fuit verſu ultimo capitis præcedentis. Vocat autem pugnas & bella, amplificandi causâ. *Ex voluptatibus veſtris.* ἐκ τῶν ἡδονῶν ὑμῶν. Id eſt, ex concupiſcentiis veſtris: ſicut reddidit interpres Syrus. Metonymia finis. etenim concupiſcentiarum finis ſeu ſcopus eſt, voluptatibus frui. Et hanc expoſitionem confirmant verba quæ ſequuntur, nempe: *Quæ militant in membris veſtris.* Ad quem modum & Paulus de peccato inhabitante loquitur Rom. 7. v. 23. ubi ait, Video aliam legem in membris meis, rebellantē, ἄλλον νόμον, legi mentis meę, &c.

V. 2. *Et non habetis.* καὶ οὐκ ἔχετε. Id eſt, Sed non habetis, ἀλλ' οὐκ ἔχετε: vel, οὐκ ἔχετε δὲ: ſicut mox loquitur in fine verſus. Sic in membro proximé ſequente, καὶ οὐ δύνασθε, Sed non poteſtis. *Invidetis,* φθονεῖτε. Haud dubié legendum φθονεῖτε. Id enim plané poſtulat tum verbum ſynonymum ζηλοῦτε: tum ſententia ἀντίθετος illa, *Sed non poteſtis aſſequi.* nempe illa bona, quæ proximo invidetis. Quomodo autem mendum illud irrepſerit, monet D. Beza: videlicet, quód pro φθονεῖτε primó ſcriptum fuit φονεῖτε: deinde ex hoc factum φονεύετε. *Pugnatis & bellatis.* μάχεσθε καὶ πολεμεῖτε. Id eſt, acriter & hoſtiliter litigatis cum proximis de bonis illorum obtinendis. Sunt metaphoræ hyperbolicæ, ut in principio capitis. *Propterea quód non petitis.* διὰ τὸ μὴ αἰτεῖσθαι ὑμᾶς. Scilicet à Deo.

V. 3. *Petitis.* αἰτεῖτε. At hoc ipſum modó negavit? Sed accipienda ſunt iſta diſtributivé, ac proinde ſermo eſt ὁμοῖ ἄλλοι καὶ ἄλλοι. quaſi dicat: Alii veſtrûm plané non petunt: alii petunt quidem, ſed malé. Nempe *ut.* ἵνα. Appoſitio & ἐπεξήγησις adverbii κακῶς. *In voluptates.* ἐν ταῖς ἡδοναῖς. Pro, εἰς τὰς ἡδονάς. Enallage Hebræa. Planum eſt enim notari hoc loco finem ſeu cauſam finalem.

V. 4. *Adulteri, &c.* μοιχοὶ. Hæc dicuntur per vocativum caſum. *Amicitiam mundi.* ἡ φιλία τοῦ κόσμου. Id eſt, quæ intercedit alicui cum mundo, hoc eſt, impiis. Sic mox, ἔχθρα τοῦ θεοῦ, inimicitia Dei: id eſt, adverſus Deum, εἰς θεὸν: ut loquitur Paulus Roman. 8. v. 7. Sententia eſt: Qui amat mundum, is odit Deum. Similis eſt ſententia illa Johannis, *Si quis diligit mundum, non eſt dilectio patris in eo,* 1. Johan. 2. 15. *Quicunque ergo, &c.* ὃς ἂν οὖν. Infert πόρισμα vi conjugatorum.

V. 5. *Inaniter.* κενῶς. Id eſt, fruſtra, ac non potiús ad noſtram doctrinam. Nam quæcunque præſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam præſcripta ſunt, ut ait Paulus Rom. 15. *Ad invidiam fertur.* πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ. Subaudiendum ἢ vel μὴ, id eſt, an. ut integrum ſit, An ad invidiam fertur? quaſi dicat, Minimé. Sed quæritur, ubi Scriptura hoc dicat? Sunt qui putent, Jacobum reſpicere ad locum illum Geneſ. 8. ubi dicitur, figmentum cordis hominis malum eſſe á puericia ipſius. Sed ſic ſententia propoſita non eſſet legenda per interrogationem. Deinde per ſpiritum qui habitat ſeu ſedem poſuit in nobis, eſſet intelligendum cor ſeu animus hominis. At Scriptura (quod ſciam) non ſolet ita loqui de animo noſtro, ſed de Spiritu ſancto ita loquitur frequenter. Quare puto ſic potiús exponendum: Spiritus ſanctus qui habitat in nobis, non impellit quenquam ad invidiam, quare quum gloriemur, Spiritum ſanctum in nobis habitare: ne invideamus proximo. Sed nondum conſtat, ubi ſententia iſta ſcripta ſit, in vetere ſcilicet inſtrumento. Sané his ipſis verbis ſcripta non extat: ſed extat tamen ſententia, unde hæc per πόρισμα videtur deducta: videlicet Numer. 11. v. 29. ubi Moſes ait Joſuæ, *An invides mea cauſa?* quaſi dicat: non debebas prophetantibus illis, Eldad & Medad, invidere; quippe quum idem Spi-

ritus

ritus in nobis habitet, cujus afflatu illi prophetant. Hinc jam deducitur sententia generalis quam hoc loco proponit Jacobus. Atque in hanc ferè sententiam istum locũ exponit doctissimus Fr. Junius. *Fertur* ἐπιποθεῖ. Concupiscit. i. facit ut quis concupiscat seu feratur. Metonymia effecti: qualis Rom. 8. v. 26. Spiritus interpellat suspiriis. Id est, excitat suspiria in nobis.

V. 6. Imó majorem dat gratiam. μείζονα δὲ δίδωσι χάριν. Ponitur δὲ in antithesi, pro ἀλλὰ. vel ὑμῖν ἀλλὰ. Sententia est: Spiritus ille qui habitat in nobis, non solùm non impellit ad invidiam, quasi ea delectetur: sed potiùs delectatur modestia, ac proinde modestis majorem dat gratiam, hoc est, majora dona ac beneficia. per metonymiam efficientis. *Quia dicit.* διὸ λέγει. Scil. ἡ γραφὴ. Scriptura. Ellipsis: qualis Ephes. 5. v. 14. *Deus superbis, &c.* ὁ θεὸς ὑπερηφάνοις. Hic locus citatur ex Proverb. 3. v. 34. idque secundum versionem הוּא LXX. ut quæ tum in Ecclesia erat recepta. In Hebræo verba paulùm diversa habentur, sed eodem sensu: nempe, *Derisores Jehova deridet: humilibus autem* (sive mansuetis) *dat gratiam. Demissis.* ταπεινοῖς. id est, ταπεινόφροσι. Neque enim vitæ conditio hic notatur, sed animi virtus: ut planum est ex antithesi.

V. 7. Subjicite igitur vos. ὑποτάγητε οὖν. Græcum verbum vocis passivæ est, sed habet hic significationem reciprocam, ut interdum Niphál Hebræorum. *Resistite diabolo.* ἀντίστητε τῷ διαβόλῳ. Scilicet fide: ut docet Petrus 1. Per. 5. v. 9. *Et fugiet.* καὶ φεύξεται. Id est, Nam si restiteritis, fugiet.

V. 8. Et appropinquabit. καὶ ἐγγιεῖ. Id est, Nam si appropinquaveritis, appropinquabit: ut modò. *Emundate manus.* καθαρίσατε χεῖρας. Sic Esai. 1. v. 15. & 16. Manus vestræ sanguinibus plenæ sunt: lavate vos, purificate vos. *Purificate.* ἁγνίσατε. Q. d. Castificate.

V. 9. Affligimini. ταλαιπωρήσατε. Significat hic non externum hominis statum, sed internum animi affectum. Id est, Ita animis affecti estote, ac si affligeremini. Metonymia efficientis. *Mœrorem.* κατήφειαν. Proprié κατήφεια dicitur demissio vultus sive ex mœrore, sive ex pudore: à κατηφὴς, id est, mœstus vel pudibundus, qui sic dicitur quasi κάτω βάλλων τὰ φάη, qui demittit lumina seu oculos.

V. 10. Demittite vos. ταπεινώθητε. Ad verb. Humiliamini. Vox passiva habet hîc significationem reciprocam, more Hebræorum.

V. 11. Ne alii aliis detrahite. μὴ καταλαλεῖτε ἀλλήλων. Ad verb. Ne alii adversus alios loquimini. Sic mox iterum bis. Sed Latini hîc utuntur verbo Detrahendi vel obtrectandi. *Judicat.* κρίνων. Id est, damnat. ut Matth. 7. v. 1. *Judicat legem* κρίνει νόμον. Id est, damnat Legem, quippe quæ ejusmodi detractiones seu obtrectationes vetuit: ut Levit. 19. v. 16. *Ne ambulato* cum *detractione in populo tuo.*

V. 13. Agemus ibi annum unum. ποιήσομεν ἐκεῖ ἐνιαυτὸν ἕνα. Simili syntaxi & significatione usurpatur verbum ποιεῖν in his locis: Act. 18. v. 23. καὶ ποιήσας χρόνον τινὰ, Et quum peregisset *illic* aliquantum temporis. Et cap. 20. v. 3. ποιήσας τε μῆνας τρεῖς, Et *ibi* peractis mensibus tribus. Et 2. Cor. 11. v. 25 νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα, noctem ac diem in profundo egi.

V. 14. Quid futurum *sit postero die.* τὸ τῆς αὔριον. Ellipsis gemina. Integrum esset, τὸ ἐκβαὶ τῆς αὔριον ἡμέρας: eventum crastinæ (id est posteræ) diei. *Quæ.* ποία. Ad verb. Qualis. q. d. quàm incerta & fugax: *Vapor enim est.* ἀτμίς γάρ ἐστιν. Id est, quasi vapor. Enuntiatum metaphoricum. *Ad exiguum* tempus. πρὸς ὀλίγον. Supple χρόνον. *Faciemus.* καὶ ποιήσωμεν. Legendum, ποιήσομεν, per futurum indicativi. Cæterùm conjunctio καὶ redundat more Hebræorũ,

servicas

serviens tantúm annectendo consequenti enuntiati connexi.

V.17. Hic peccato tenetur. ἁμαρτία αὐτῷ ἐστιν. In Græco πλανᾶται pronomen αὐτῷ ex idiotismo Hebræorum: quia præcessit εἰδότι.

OBSERVATIONES EX CAP. IIII.

Ex v.1.& 2. Avaritia fugienda est: quoniá ex ea nascuntur contentiones & rixę. item quia Deus immodicas avarorũ cupiditates frustratur, ut sese frustra macerent atq; excrucient invidiâ, ita ut quicquid etiam ad divitias acquirendas per injuriam moliantur, nihil tamen assequantur nihilque obtineant. Hinc Christus sollicitudinem avarorum in divitiis congerendis comparat spinis: Matth.13. vers.22. quód nimirum sollicitudo illa animum miserè compungat. Item Paulus ait, quosdam dum appeterent pecuniam, doloribus multis sese transfixisse, 1. Timoth.6. versu 10. His addatur & tertium argumentum ex loco Pauli modó citato, quód videlicet avaritia homines in exitium & interitum demergat. Vide loco citato vers.9. & 10.

Ex v.2. & 3. Qui bona ad hanc vitam sustentandam & commodè degendam necessaria desiderant, petant ea á Deo: sed caveant ne petant malè, id est in malum finem, nempe ut ea insumant in suas voluptates: sed petant rectè & in finem bonum, videlicet ut habeant materiam prædicandi bonitatem Dei ac benefaciendi proximo egenti.

Ex v.4. Intemperantia fugienda est: quia qui per intemperantiam amicitiam colunt cum mundo, hoc ipso inimici Dei constituuntur.

Ex v.5. Cor hominis naturâ suâ fertur ad invidiam ac omnino ad omne vitium. Quare orandus est Deus, ut hanc naturalem cordis malitiam atque pravitatem per Spiritum sanctum emendet.

Ex v.6.7.& 10. Superbia fugienda est, & contrá modestiæ studendum: quia Deus superbis resistit, modestis autem dat gratiam. Hæc doctrina illustretur exemplis: cujusmodi sunt, Confusio linguarum, qua Deus impedivit superbum conatum ædificandi turrim Babylonicam, cujus fastigium ad cœlum usque pertingeret, Genes.11. Mirjam (aliâs Maria) soror Mosis percussa divinitus leprâ, eó quód superbè jactasset revelationes sibi factas, seseque Mosi æquiparasset, Num.12. Korach Levita: qui sacerdotii ambitu seditionem movens contra Mosen & Aharonem, divinitús cum suis conjuratis & omnibus eorum facultatibus, partim igne partim hiatu terræ periit, Numer.16. Goliath Philistæus superbè probro afficiens acies Dei, & Davidem singulari certamine congredientem spernens, ac gloriosè ante victoriam triumphum canens, lapide fundæ á Davide percussus uno ictu prosternitur, & suo ipsius gladio caput amputatur, 1.Sam.17. Nabal stultus ille dives, famulos Davidis commeatum petentes superbè atque contumeliosè repellens, póst intellecta Davidis adversum se ira ac proposito ipsum interficiendi, adeó consternatus fuit, ut decimo póst die expirârit, 1.Regum 25.v 25. & 26. David ex superbia populum numerari jubens, Dei iram in se & populum concitavit: ita ut peste (quam ex tribus plagis optione sibi data elegerat) intra triduum occubuerint de populo septuaginta millia virorum, 2.Samuel 24. Item quum Rabsaces legatus regis Assyriorum Sennacheribi ad Ezechiam regem Juda, superbè contemsisset Jehovam Deum Israëlis, deque Judæis expugnandis gloriatus esset: angelus Jehovæ una nocte in castris Assyriorum percussit

centum

centum octoginta quinque millia : quâ strage edita Sennacherib domum rediit re infecta, & domi á propriis filiis gladio percussus est, 2.Reg.19. Ezechias (aliâs Hiskias) rex Juda quum á legatis Babylonii salutatus, superbé illis suos thesauros ostentasset, graviter per Esaiam objurgatus est, & opum direptio suorumque captivitas ei denuntiata, 2.Regum 20. Ozias rex Juda superbé sacrum sacerdotium invadens, atque adeó templum ingressus ut adoleret super altare suffitus, lepra percussus est, & hominum consortio exclusus, 2. Chronic. 26. Haman aulicus regis Assueri, quum regis jussu ab omnibus adoraretur præterquam á Mardochæo Judæo, cognato reginæ Estheræ, infensus in illum obtinuit á rege mandatum de toto Judæorum populo tollendo : sed tandem tum superbiæ tum crudelitatis suæ justas pœnas luit, quum regis jussu suspensus fuit é patibulo, quod Mardochæo paraverat, Esth.3.&7. Nebucad-nezar (aliâs Nabuchodonosor) rex Babyloniæ, quum insolenter jactaret suam potentiam in ædificanda urbe illa magna Babylone: mox voce é cœlo admonitus est tum de regni amissione, tum de sui ab hominibus ad bestias depulsione & bestiali ingenio ac vivendi modo : id quod etiam eâdem hora in eo completum est, Dan.4. Item Belsatzar Nebucadnezaris filius & in regno successor, quum proceres magnificentissimo epulo excipiens, vasa domus Dei in ostentationem traduceret : Deus immissa manu in palatium, judicium illi impendens ante oculos omnium in pariete descripsit, quod fuit proxima nocte consecutum, quum á satrapis Cyri interfectus est, Daniel.5. Contrá exempla modestorum ad honores divinitus evectorum notentur ista. Joseph castus & pius ac proinde etiam modestus juvenis, evectus est mirabiliter ad gubernationem regni AEgypti, ita ut esset secundus á rege & pater patriæ salutaretur: Genes.41. Saul filius Kis regnum á Samuele oblatum modesté reculans, in regem ab illo ungitur primó privatim, deinde publicé : quum jamjam ungendus latitaret ad impedimenta, 1.Sam.9 & 10. David item vir veré modestus ad regnum evectus est: modestia autem ejus apparet ex verbis ad servos regis Saulis, nomine regis offerentes illi in matrimonium filiam regis : An leve (inquiebat) est in oculis vestris, affinitate jungi cum rege : quum ego sim vir pauper & vilis ? 1.Sam.19.v.22. Item ex verbis quibus uxori Michal, increpanti eum quód publicé saltasset ante arcam fœderis, respondens inter alia dicebat: Quin abjiciam me adhuc ampliús, & humilis ero in oculis meis: atque ita cum ancillis quas dixisti, glorioſus reddar, 2.Sam.6.v.22. Item ex verbis quibus accepta per Nathanem promissione de filio Salomone simulque de Christo cujus Salomon erat typus, gratias Deo acturus sic incipiebat : Quis sum ego domine Jehovi, & quæ est familia mea, quód deducis me eó usque, 2.Sam.7.v.18. Item Maria virgo mater Domini canens Deo hymnum inter alia dicit: Respexit humilitatem ancillæ suæ. item, Dissipavit superbos cogitatione cordis ipsorum : detraxit potentes é thronis, & extulit humiles : Luc.1.v.48.51.52.

Ex v.7. Diabolus fugatur, non si te munias signo crucis aut alia ejusmodi superstitiosa agas quæ in more sunt apud Papistas : sed si ei resistas. Resistitur autem ei fide & precibus ex fide profectis. Vide 1.Petr.5.vers.9. Ephes.6.v.10.& deinceps. Matth.4. exemplum Christi tentati á diabolo in deserto.

Ex v.8. Si cupis ut Deus tibi appropinquet sua gratia & ope : da operam ut & tu illi appropinques quotidianis precibus ex fide profectis : item

ut

ut attollas puras manus, & puro corde eum invoces, id est, cum vera resipiscentia. nam impœnitentes Deus non exaudit, Joh.9. Vide item Esai.1. ubi Deus repellit preces Judæorum, eó quód manus haberent plenas sanguine, id est, quód crudeliter per avaritiam opprimerent tenuiores.

Ex v.9. Graviter errant filii hujus seculi, quum sibi beati videntur in profano suo risu & gaudio. nam ne á vera beatitudine aberrent, necesse est ut iste eorum risus in luctum, & gaudium in mœrorem convertatur: id est, ut serió resipiscentes de carnalibus suis voluptatibus lugeant, & culpam apud Deum deprecentur.

Ex v 11.& 12. Obtrectationes sive detractiones fugiendæ sunt: tum quia á Deo vetitæ: tum quia invadunt jus Dei proprium, Levit.19.v.16. Ne ambulato cum detractione per populos tuos. Psal.15.v.3. inter notas verépii enumeratur & hæc: Non obtrectat lingua sua. Proverb.4.v.24. Removi abs te perversitatem oris, & pravitatem labiorum procul amovi abs te. Rom.1.v.30. inter peccata ethnicorum commemoratur etiam obtrectatio. Huc addatur tertia causa, pœna talionis, quam obtrectatoribus minatur Christus, Matth.7.v.1.2.& 3. Etsi autem vetantur obtrectationes ac damnationes proximi privatæ, ex pravo affectu ortæ: tamen interim á Deo instituta sunt judicia publica, tum politica tum ecclesiastica.

Ex v.13.14.15.& 16. In negotiis suscipiendis atque instituendis fugienda est inanis confidentia, ne scilicet successum nobis certó polliceamur: quum & eventus rerum nos lateant, & vita nostra fragilis sit. Quicquid autem suscipiamus aut instituamus, fiduciam omnem collocare debemus in providentia & paterna voluntate Dei: ut á qua & vita nostra & omnes nostræ actiones, actionumq; eventus dependent. Prov.16.v.9. Cor hominis excogitat viam suam: sed Jehova statuit gressum ejus. Item cap.20.v.24. A Jehova sunt gressus viri.

Ex v.17. Non est satis si quis nôrit rectè facere, sed & faciendum est. Secus pœna aggravatur. Luc 12.v.47. Servus qui novit voluntatem domini, nec fecit: cædetur multis plagis. Johan.13.v.17. Si hæc noveritis: beati eritis, si ea feceritis.

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

Hoc capite continentur sex reliqui admonitionum loci: videlicet decimustertius, decimusquartus, decimusquintus, decimussextus, decimusseptimus, & decimusoctavus. Quorum primus est de cavendo abusu divitiarum [a]: secundus de patienter ferendis injuriis quæ inferuntur á fratribus seu domesticis fidei [b]: tertius de cavenda temeritate jurandi [c]: quartus de suscipiendis exercitiis pieratis in utroque rerum statu [d]: quintus de orando pro ægrotis [e]: sextus de fratre errante in viam reducendo [f].

[a] usq; ad v.7.
[b] á v.7. usque ad 12.
[c] v.12.
[d] v.13.
[e] á v.14. usq; ad 19.
[f] duob. versib. ultimis.

DE PRIMA PARTE.

1 AGe nunc divites, flete, ejulantes super miseriis vestris superventuris.
2 Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra á tineis vorata sunt:

3 Aurum

3 *Aurum & argentum veſtrum ærugine vitiatum eſt, & ærugo eorum teſtabitur adverſum vos, & exedet carnes veſtras velut ignis: theſaurum congeſſiſtis in ultimos dies.*

4 *Ecce, merces operariorum qui meſſuerunt regiones veſtras, per vos interverſa, clamat: & vociferationes eorum qui meſſuerunt, in aures Domini Sabaoth introierunt.*

5 *In deliciis vixiſtis ſuper terram, & laſciviſtis: enutriſtis corda veſtra ut in die epuli.*

6 *Condemnaſtis, occidiſtis juſtum: non reſiſtit vobis.*

REprehendit divites propter abuſum divitiarum: & ab illo abuſu deterret. Reprehenſio conſtat quinq; partibus. Primùm enim reprehendit, quód divitias ſuas potiùs paſſi ſint veruſtate corrumpi, quám ut eas communicarent pauperibus. Hanc reprehenſionem enuntiat primùm ſententia generali, *Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt*, v. 2. deinde per partes, *Veſtimenta veſtra, &c.* v. 2. & 3. Deinde reprehendit quód nimio ſtudio divitias congeſſerint, ſuamque in illis fiduciam poſuerint: ubi ait, v. 3. *Theſaurum congeſſiſtis in ultimos dies*, intelligens (meo judicio) dies ultimos ætatis, id eſt ſenectutem: atque ita notans fiduciam quæ in divitiis collocatur, quum quis ſibi perſuadet, ſe jam ſatis inſtructum eſſe in multos annos: cujus fiduciæ exemplum nobis proponitur á Chriſto Lucæ 12. v. 19. Tertió reprehendit injuſtitiam in detinenda mercede operariorum, v. 4. Quartó reprehendit delicias & luxum: illumque luxum amplificat collatione ſimilium, videlicet ſolennium conviviorum, quæ populus Dei celebrare ſolebat in euchariſticis ſacrificiis, v. 5. Quintó reprehendit oppreſſionem innocentum, illamque oppreſſionem amplificat expoſitione cauſæ corrumpentis, videlicet patientiæ juſtorum qua fit ut non reſiſtant opprimentibus: unde illi debebant commoveri ut ab eis opprimendis deſiſterent, v. 6. Cæterúm ab omni iſto divitiarum abuſu deterret per argumentum ab effectu pernicioſo, denuntians illis (niſi ſcilicet reſipuerint) certum exitium. Hoc exitium proponit ſtatim initio per apoſtrophen, deinde v. 3. ubi dicit, *Ærugo eorum teſtabitur adverſum vos*, (id eſt, teſtabitur in judicio Dei de veſtra avaritia & immiſericordia erga pauperes) *& exedet carnes veſtras velut ignis.* poſtea rurſum v. 4. ubi commemorat clamores operariorum, poſtulantium ſcilicet á Deo vindictam, propter interceptam ſibi á divitibus mercedem. Cæterum *clamorum* nomine videtur hyperbolicé ſignificare gemitus operariorum: qui coram Deo inſtar clamorum ſunt, in vindicta poſtulanda. Reſpicit autem Apoſtolus ad legem quæ extat Deut. 24. v. 14. & 15. Porró hic argumentum illud dehortationis confirmat, ab adjuncta Dei judicis potentia, ubi eum nominat Dominum Sabaoth, id eſt, Jehovam æternum illum Deum cui omnes creaturæ inſtar exercituum tanquam ſummo Imperatori militant ac præſto ſunt ad judicia ejus exequenda.

DE SECUNDA PARTE.

7 *Patientes igitur eſtote, fratres, uſq; ad Domini adventum. Ecce, agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter eum expectans, dum accipiat pluviam, maturam & ſerotinam.*

8 *Patientes eſtote & vos, & ſtabilite corda veſtra; quoniam adventus Domini appropinquat.*

9 *Ne ingemiscite alius adversus alium, fratres: ut ne condemnemini: ecce, judex ante januam adstat.*

10 *Sumite, fratres mei, pro exemplari afflictionis ac patientiæ, Prophetas qui loquuti sunt in nomine Domini.*

11 *Ecce, beatos pronuntiamus eos qui* afflictionem *tolerant. tolerantiam Job audistis, & finem Domini vidistis: nam valde misericors est Dominus ac commiserator.*

Hortatur hic ad patientiam in ferendis injuriis quæ inferuntur, á fratribus seu socis religionis. Atq; hoc differt hæc consolatio ab illa quæ habetur in epistolæ principio: illic enim locutus est de persecutione qua affligebantur ab hostibus Euangelii. Hanc hortationem præcedenti divitum reprehensioni annectit his verbis, *Patientes igitur estote fratres, usque ad Domini adventum.* quasi dicat: Quum igitur inter vos nonnulli divites reperiantur, qui pauperes, ita ut dictum est, opprimunt: age vos qui ita opprimimini, patienter injurias istas ferte. Argumentum hortationis primum sumit á læto eventu, ubi ait, *Usq; ad Domini adventum.* quibus verbis significat fore ut Dominus in suo ad judicium adventu oppressores illos meritis suppliciis afficiat, nisi resipuerint: ipsos verò ab omni oppressione liberatos in æterna gaudia recipiat. Hoc argumentum per prolepsin illustrat exemplo agricolarum: qui tempora fructibus terræ destinata patienter expectant: similiter expectandum esse aduentum Domini: maximè quum is appropinquet: v. 7 & 8. Secundum argumentum sumit ab eventu tristi: nam si ingemiscant adversus fratres, atque ita vindictam adversum eos á Deo postulent, fore ut & ipsi condemnentur: quippe qui & ipsi peccatis non careant. Hoc argumentum amplificat á celeritate adventus judicii divini, ubi ait, *Ecce judex ante januam adstat*: v. 9. Tertium argumentum sumit ab exemplo prophetarum ac nominatim Jobi: quorum patientiam commendat, atque ita argumentum illud confirmat ex effectis, videlicet tum laude quam apud omnes pios sunt adepti, ubi ait, *Ecce beatos pronuntiamus, &c.* tum læto fine seu exitu, ex misericordia Dei, v. 10. & 11.

DE TERTIA PARTE CAPITIS.

12 *Ante omnia verò, fratres mei, ne jurate: neque per cœlum, neque per terram, neque aliud ullum juramentum. sit autem vestrum Est, est; & non, Non; ut ne in condemnationem incidatis.*

Dehortatur á temeritate jurandi, eodem modo atque adeó iisdem pœnè verbis, ut Christus fecit Matth. 5. commemorando scilicet obliquas jurandi formulas, quas dum temerè usurpabant, persuadebant interim sibi, se majestatem Dei non lædere, eó quód nomen Dei non exprimerent. Argumentum addit á tristi eventu, videlicet condemnatione divina. nam ut habetur in tertio præcepto, Deus non habebit innocentem, hoc est, non dimittet impunitum eum qui nomen ipsius in vanum sumserit.

DE QUARTA PARTE.

13 *Affligitur aliquis inter vos? oret. bono animo est aliquis? psallat.*

Præscribit exercitia pietatis, in utroque rerum statu, tristi videlicet & læto, adhibenda ad gloriam Dei & nostram salutem. Sententia verborum per se patet.

DE QUINTA PARTE.

14 *Aegrotat aliquis inter vos? accersat presbyteros Ecclesiæ, & orent pro eo, ungentes eum oleo in nomine Domini.*

15 *Et oratio fidei servabit laborantem, erigetque eum Dominus: quódsi peccata commiserit, remittentur ei.*

16 *Confitemini alii aliis lapsus, & orate alii pro aliis, ut sanemini. multum enim valet deprecatio justi ardens.*

17 *Elias homo erat iisdem quibus nos affectionibus obnoxius, & ardenter precatus est ne pluveret: & non pluit super terram annos tres & sex menses.*

18 *Et rursum precatus est; & cœlum dedit pluviam, & terra produxit fructum suum.*

Præcipit quid agendum sit ægrotis, & pro ægrotis: Aegrotis duo præcipit: unum, ut accersant presbyteros Ecclesiæ & petant pro sua valetudine orari, v.14. Alterum, ut si conscii sibi sint singularium peccatorum quibus istum morbum sibi videantur attraxisse, confiteantur illa presbyteris vel etiam aliis fidelibus, petantque orari pro illorum remissione, v.15.& 16. Presbyteris, itemque aliis fidelibus qui ægrotos invisunt, item duo præcipit: unum, ut pro ægroto orent, v.14.& 16. Alterum, ut eum ungant oleo in nomine Domini, hoc est, invocato Domino, vel ex mandato Domini. id quod restringendum est ad illos qui á Domino tum acceperant donum miraculosé sanandi, adhibita unctione tanquam sacramento seu sacro signo: cujus sanationis exempla generali dicatione narrantur, Marc.6.v.13. Cæterúm orationem seu preces pro ægrotis commendat ab effectu, videlicet impetratione tum sanationis, tum remissionis peccatorum, v.15.& 16. Hanc autem commendationem precum confirmat exemplo Eliæ, v.17.& 18. Exemplum autem illud amplificat prolepsi: qua occurrit opinioni dissimilitudinis, quód nimirum Elias fuerit vir sanctus, ac proinde mirum non sit si precibus suis quæ voluit, á Deo impetravit: quum nos simus miseri peccatores. Respondet, Eliam quoque hominem fuisse nobis ὁμοιοπαθῆ, id est, iisdem infirmitatibus á natura obnoxium, quibus nos. Porró historia exempli Eliæ habetur, 1.Reg.17.v.1.& cap.18.v.42.& deinceps.

DE SEXTA PARTE.

19 *Fratres, si quis inter vos aberrarit á veritate, & converterit eum quispiam.*

20 *Sciat, eum qui averterit peccatorem ab errore viæ suæ, servaturum animam á morte, & obtecturum multitudinem peccatorum.*

Ad extremum hortatur ad sollicitudinem in fratre errante in viam reducendo & lucrifaciendo. Agumentum affert ab effectu utili, quia qui hoc facit, servaturus sit animam illius á morte æterna, impetrata á Deo remissione peccatorum quantumvis multorum. Deus enim resipiscentibus ignoscit, etiamsi plurima gravissimaq; peccata admiserint.

SCHOLIA IN CAP. V.

V.1. Divites. οἱ πλούσιοι. *Pro.* ὦ πλούσιοι. *Superventuris.* ταῖς ἐπερχομέναις. Ad verb. *Supervenientibus.* Enallage temporis. Nisi potius est ut dicamus, describi miserias tanquam jam adventantes & cervicibus imminentes.

V.2 Divitiæ

V.2. Divitiæ vestræ. ὁ πλοῦτος ὑμῶν. Deest conjunctio rationalis γὰρ, id est, nam.

V.3. Testabitur adversum vos. εἰς μαρτύριον ὑμῖν ἔσται. Ad verb. *In testimonium erit vobis:* id est, contra vos, κατ' ὑμῶν. Sic Matth. 8. vers. 4. *Offer donum, &c.* εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. Et cap. 10. vers. 18. Ad præsides ac reges ducemini mea causa, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς καὶ τοῖς ἔθνεσι. Sic cap. 23. vers. 31 ὥστε μαρτυρεῖτε ἑαυτοῖς: Itaque testamini adversus vos metipsos. Et cap. 24. v. 14. Prædicabitur istud Euangelium, εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι. Sed ubi & quando testabitur ærugo adversum divites? Nempe in die judicii. Est metaphora ἐναργὴς, illustris, qua rei inanimæ sensus ac sermo tribuitur: quam nonnulli idcircò προσωποποιΐαν vocant. *Exedet,* φάγεται. Pro, φαγεῖται. Enallage temporis. *In ultimos dies.* ἐν ἐσχάταις ἡμέραις. Pro, εἰς ἐσχάτας ἡμέρας. Enallage præpositionis Hebraica. Intelligit autem meo judicio dies ætatis seu vitæ hominis. Huic sententiæ illustrandæ & confirmandæ est sermo ille stulti divitis Luc. 12. v. 19. Dicam animæ meę, Anima, habes multa bona, reposita in annos multos, εἰς ἔτη πολλά.

V.4. Regiones. τὰ χώρας. Id est, agros, τὰ χωρία. *Per vos interversa.* ὁ ἀπεστερημένος ἀφ' ὑμῶν. Ad verb. Privata á vobis, id est, qua privati sunt á vobis, seu qua vos privastis eos. *Clamat,* κράζει. Simili ratione sanguis Abeli clamare dicitur, vindictam scilicet á Deo postulans. *Vociferationes.* αἱ βοαὶ. Id est, gemitus. Metaphora hyperbolica. Potest tamen propriè accipi. *In aures Domini.* εἰς τὰ ὦτα Κυρίου. Ἀδελφοποιΐα. *Domini Sabaoth.* Κυρίου σαβαὼθ. His vocabulis exprimuntur illa Hebræa, יהוה צבאות Jehováh Zebaóth: id est, Jehova exercituum, hoc est, Deus ille æternus cui militant omnes creaturæ, & inprimis exercitus illi cœlestes sanctorum angelorum.

V.5. Lascivistis, ἐσπαταλήσατε. Hoc verbo usus est & Paulus, loquens de vidua: ἡ δὲ σπαταλῶσα, ζῶσα τέθνηκε. 1. Timoth. 5. v. 6. Cæterùm verba temporis præteriti hoc loco non notant actum certum, sed continuum. quasi dicat, in deliciis vivitis, lascivitis &c. *Enutristis corda vestra.* ἐθρέψατε τὰς καρδίας ὑμῶν. Id est, Enutriendo corpora vestra exhilarastis vestra corda seu animos. Synecdoche metonymica. *Ut in die epuli.* ὡς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς. Ad verb. Ut in die mactationis: Id est, quo solent mactari animalia ad lætũ convivium celebrandum. Videtur respicere ad solennia convivia quæ populus Dei celebrare solebat in sacrificiis eucharisticis, quó facit locus Proverb. 7. vers. 14. ubi mulier impudica adolescentem ad convivium invitans, ait: *Sacrificia eucharistica apud me sunt, hodiè reddidi vota mea.* Potest tamen fieri ut respexerit ad quodvis lætum ac lautum convivium. Sanè Hebræum nomen זבח sébach, cui σφαγὴ respondet, interdum in genere mactationem, interdum in specie victimam seu pecudem ad sacrificium mactatam significat. Generalis illius significationis exemplum occurrit Ezech. 39. vers. 17. ubi Jehovah invitat aves & bestias ad devorandum cadavera hostium populi sui quæ in montibus fuerint occisa: *Colligite vos,* inquit, *circumquaque ad mactationem meam quam ego mactaturus sum vobis, mactationem magnam* &c. Alterius significationis exempla passim sunt obvia.

V.6. Occidistis. ἐφονεύσατε. Non quidem manu, sed fraude. Sic Esa. 1. v. 15. Manus vestræ sanguinibus (id est, cædibus) plenæ sunt. quibus verbis Propheta, nihil aliud quám fraudulentam oppressionem notat.

V.7. Patientes igitur estote. μακροθυμήσατε οὖν. Verbum. μακροθυμεῖν

deductum est á nomine μακρόθυμος: qui sic dicitur quasi μακρύνων θυμὸν, prolongans seu differens vel potiús longé summovens iram, non facilé irascens. *Pluviam maturam & serotinam.* ὑετὸν πρόϊμον καὶ ὄψιμον. Sic eruditè exponit Henr. Steph. in suo Thesauro, & hanc expositionem ex Theophrasto & Plinio illustrat. Possumus, inquit, per πρόϊμον ὑετὸν intelligere ὑραῖα ὕδατα, ut Theophrastus appellat: itidemq; per ὄψιμον ὑετὸν, ea quę ipse vocat ὀψίτερα ὕδατα, Plinius serotinas aquas. Similiter apud Theophrastum (ut ibidem docetur) opponuntur τόποι πρόϊοι καὶ ὄψιοι, id est loci præcoces & serotini, ut Plinius illa Græca reddidit. Cæterùm πρόϊμον ὑετὸν malo reddi pluviam maturam, quám tempestivam: nam tempestivæ epitheton etiam serotinæ pluvię competere videtur. Etenim Jacobus istas voces videtur mutuatus ex versione Græca loci ex Deuteronomio citati: ubi habetur, δώσει τὸν ὑετὸν τῇ γῇ σου κατ' ὥραν πρόϊμον καὶ ὄψιμον. Id est, Dabit pluviā terræ tuę, suo tempore, maturā & serotinam. Ubi observandū in Hebræo haberi מטר יורה ומלקוש metár Joréh umalkósch: quod est ad verbū, *pluvia jacientis & collectionis.* Pluvia jacientis nominatur quæ cadit post semen jactum & humo mandatum: collectionis verò pluvia dicitur, quæ cadit sub tempus messis quum fruges metuntur & in horrea colliguntur.

Cap. 11. v. 14.

V. 8. *Patientes estote.* μακροθυμήσατε. Pro. μακροθυμήσατε οὖν: Patientes igitur estote. Etenim hanc sententiam ex allato exemplo agricolæ infert, *Adventus.* παρουσία. Scil. ad judicium.

V. 10. *Prophetas.* τοὺς προφήτας. Eodem exemplo consolatur discipulos Dominus Matth. 5. vers. 12. *In nomine Domine.* τῷ ὀνόματι Κυρίου. Id est, ex mandato Domini. Videtur autem in Græco ex incuria scribarum omissa præpositio ἐν: quum illa phrasis usitatissima sit, & vetus interpres ita legisse videatur.

V. 11. *Beatos pronuntiamus.* μακαρίζομεν. Ad verb. Beatificamus. Hebraismus. Sic Luc. 1. v. 48. in cántico Mariæ matris Domini, μακαριοῦσί με πᾶσαι αἱ γενεαὶ, beatam prædicabunt me omnes ætates. *Finem Domini.* τὸ τέλος Κυρίου. Exitum quem dedit Dominus afflictioni illius, videlicet lætū: de quo vide Job. ult. v. 10. & deinceps. *Valde misericors.* πολύσπλαγχνος. quasi dicas, multorum viscerum. nam σπλάγχνα viscera significat: ut cor, jecur, &c. Per metonymiam verò subjecti significat misericordiam quæ in visceribus, ac præcipué in corde se exserit.

V. 12. *Ne jurate neque per cœlum &c.* μὴ ὀμνύετε μήτε τὸν οὐρανὸν &c. *In Græco* subauditur τὸ. quanquam Græci utraq; formula utuntur. dicunt enim, ὀμνύειν τὸ τὸν Δία. & ὀμνύειν τὸν Δία. Matt. 5. v. 34, & deinceps, habetur alia phrasis, videl. ὀμόσαι ἐν τῷ οὐρανῷ, ἐν τῇ γῇ: pro κατὰ τοῦ οὐρανοῦ, κατὰ τῆς γῆς. *Nec aliud ullum jusjurandū.* μήτε ἄλλον τινὰ ὅρκον. Hic accusativus alia ratione regitur á verbo ὀμνύειν, quám præcedentes. *Sit autem vestrū Est, Est: & Non, Non.* ἤτω δὲ ὑμῶν τὸ ναὶ, ναὶ. καὶ τὸ οὒ, οὔ. Id est, Si quid vobis est affirmandū, dicite, *Est*: si quid verò negandum, dicite, *Non.* Antanaclasis in vocibus ναὶ & οὒ, paulúm diverso sensu repetitis. Pro hoc dicitur Matth. 5. vers. 37. ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, ναὶ ναὶ, οὒ οὔ. *In condemnationem.* ὑπὸ κρίσιν. Pro κατακρίσιν.

V. 13. *Affligitur aliquis &c.* κακοπαθεῖ τις &c. Id est, Si quis affligitur inter vos, ac proinde tristis est, is oret: contrá si quis rebus secundis utitur, ac proinde bono animo est, psallat. Similis ratio loquendi ut suprá cap. 3. v. 13. ubi plura exempla notavimus. Est autem antithesis non adversorum, sed repugnantium: qualis crebró occurrit in proverbiis Salomonis.

V. 15.

V.15. Oratio fidei ἡ εὐχὴ τ πίστεως Id est, ex fide profecta. *Laborantem. κάμνοντα.* Id est, ægrotantem. *Remittentur ei. ἀφεθήσονται αὐτῷ.* Nempe si una vobiscum ex fide oraverit. Sic Christus dicitur vidisse fidē illorum qui offerebant in lecto paralyticum: nempe & illorum & ipsius paralytici: ac proinde dixisse paralytico: Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua, Matth.9.v.2.

V.16. Justi. δικαίε. scil. *ἀνθρώπε*, id est, hominis. *Ardens. ἐνεργεμένη.* Ad verb. Operosa seu Actuosa.

V.15. Iisdem quibus nos affectionibus obnoxius. ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν. Sic Act.14. v.15. Barnabas & Paul. dicebant Lystrensibus: *καὶ ἡμεῖς ὁμοιοπαθεῖς ἐσμεν ὑμῖν ἄνθρωποι. Et ardenter precatus est. καὶ προσευχῇ προσηύξατο.* Ad verb. Precatione precatus est. Geminatio habet vim augendi: estq; Hebraismus. Sic, *Morte morieris*: id est, certó morieris. Est autem hoc loco simplicissima connexio sententiarum per conjunctiones copulativas ex consuetudine Hebræorum. Latini sic potius loquerentur: Elias homo erat iisdem quibus nos affectionibus obnoxius: & tamen quum ardenter precatus esset, ne plueret, non pluit super terram &c. Et quum precatus esset, cœlum dedit pluviam &c. *Ne plueret. τὸ μὴ βρέξαι.* Scil. *ἵνεκα.*

V.18. Produxit. ἐβλάστησεν. Ad verb. Germinavit, quo verbo & Latini interdum in transitiva significatione utuntur: ut Plin.lib.7.cap.6. *Sed plurimum languoris in utroque sexu, capillum germinante partu* &c.

V.20. Animam. ψυχὴν. Sic & petrus nominat *σωτηρίαν ψυχῶν*, salutem animarum, per synecdochen, *καὶ ἐξοχήν.* neque enim á salute excluditur corpus. Intelligit autem (meo judicio) animam ejus qui ab errore revocatus est. *A morte. ἐκ θανάτε* Scil. *αἰωνίε*, æterna *Obtecturum multitudinem peccatorum. καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν.* Id est effecturum ut Deus tegat peccata illius conversi, quantumvis multa.

OBSERVATIONES EX CAP.V.

Ex v.1.& deinceps usque ad 7. Divites sollicité sibi caveant, ne divitiis suis abutantur. Abusus autem divitiarum hic varius indicatur: ut quum ex illis non succurritur egestati pauperum: quum fiducia in illis ponitur: quum ex illis non statim persolvitur merces operariis: quum adhibentur ad delicias & luxum: item ad oppressionem innocentum. Ab omni isto abusu deterrere divites debet certum exitium quod ipsos manet, nisi resipuerint. Porró resipiscentia nemini est differenda: quum non sit in hominis manu, sed hodie quum audieris vocem Dei, noli obturare cor.

Ex v.7.8.9.10.11. Notandæ sunt hic aliquot causæ quibus moveri debemus ad patienter ferendum injurias: videlicet quód Dominus illas suo tempore ulciscetur: quód nos ab illis liberabit & in æterna gaudia recipiet: quód per vindictæ cupiditatem nobis accersimus vindictam Dei adversus nostra peccata: quód patientia injuriarum & laudem meretur apud omnes pios, & tandem lætum exitum sortitur.

Ex v. 12. Juramentum temerarium cavendum est: quia à Deo punitur.

Ex v.13. Nullum tempus vacuum esse debet á cultu Dei. nam in rebus adversis colendus est imploratione opis: in secundis, prædicatione bonitatis.

Ex v.14.15.& 16. De officio ægrotorum. Si quis in morbum incidat:

debet omnium primó diligenter apud se reminiſci, nunquid illum morbum ſingularibus peccatis ſibi attraxerit: quo comperto, debet peccata illa ſua confiteri in primis apud Deum, tum etiam apud homines, maximè apud miniſtros Eccleſiæ: ſi modó ſentiet, hoc facere ad gloriam Dei, & ſibi neceſſarium eſſe ad plenam conſolationem, quam á fratre ex verbo Dei poſſit percipere ad tranquillandum conſcientiam. Debet etiam á Deo petere peccatorum ſuorum veniam: & Eccleſiam quoque rogare ut pro ſe oret. Poſtremó remediis quoque quorum copia datur, uti debet. Ad hanc doctrinam illuſtrandam facit locus Eccleſiaſtici cap. 38. Honora medicum, &c.

Ex iiſdem verſibus. De officio Eccleſiæ erga ægrotos. Officium noſtrum eſt, ægrotos qui ſunt ejuſdem Eccleſiæ membra, inviſere & ex verbo Dei conſolari, & pro eis Deum orare. Sic Joſeph inviſit ægrotantem patrem Jacobum, Geneſ. 48. Sic Joas rex Jiſraëlis inviſit ægrotantem Eliſæum 2. Reg. 13. Sic Jobum ægrotantem, ac miſeré afflictum inviſunt amici, Job. 2. Sic David Pſalm. 41. beatos prædicat eos qui miſericordiam de afflictis & ægrotantibus capiunt. Sic Chriſtus Matth. 25. docet, beneficium hoc viſitationis ſibi ipſi præſtari quum præſtatur cultoribus ipſius: proque illo & aliis miſericordiæ operibus remunerationem vitæ æternæ promittit.

Ex v. 15. 16. 17. 18. De efficacia precum. Preces ex fide profectæ, impetrant á Deo quod petunt: dummodó id faciat ad gloriam Dei & ſalutem electorum.

Ex v. 19. & 20. De officio Eccleſiæ erga fratrem errantem. Officium noſtrum eſt, ſeduló operam dare ut fratrem in doctrina ſalutis errantem ab errore revocemus & Chriſto lucrifaciamus. Vide exemplum Pauli 1. Cor. 9. v. 19. 20. 21. 22.

FINIS.

Δόξα Θεῷ.

ANALY-

ANALYSIS LOGICA PRIORIS EPISTOLÆ PETRI.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

Scopus geminus.

Copum & argumentum hujus epistolæ, Petrus ipse indicat sub finem, ubi ait: *Per Silvanum vobis fidelem fratrem (ut existimo) paucis scripsi, adhortans vos, & testificans hanc esse veram gratiam Dei in qua statis.* Duo igitur potissimum in hac epistola Petrus agit. partim enim testificatur Judæis Christianis ad quos scribit, doctrinam de gratia Dei per Christum, quam doctrinam ipsi erant amplexi, & in cujus fide atq; professione persistebant, esse veram illam atque unicam æternæ salutis doctrinam; partim verò adhortatur eos, ut nimirum & in hac fide ejusq; professione perseverent, & vitam illa professione dignam Deóque placentem agant. Hæc summa est. Potest autem tota epistola, excepta inscriptione, distribui in octo partes. Primó enim ut eis de veritate doctrinæ Christianæ testificetur eosque in illius fide confirmet, commemorat beneficia Dei spiritualia in ipsos collata & etiamnum conferenda: videlicet, fidem, spem, dilectionem Christi, gaudium ex fide, & denique salutem seu vitam æternam: á v.3. capitis primi usque ad v.13. Secundó ex illa beneficiorum commemoratione deducit adhortationem ad studium pietatis: á v.13. capitis primi usque ad v.13. capitis secundi. Tertió á generali illa adhortatione transit ad speciales, præcipiens de officiis subditorum erga præfectos sibi magistratus, famulorum erga suos dominos, uxorum erga suos viros, & vicissim virorum erga suas uxores, á v.13. capitis secundi usque ad v.8. capitis tertii. Quartó redit ad exhortationes generales, ac universos hortatur ad dilectionem fratrum, ad tolerantiam injuriarum, ad temperantiam, & rursus ad dilectionem fratrum sollicitamq; functionis impositæ administrationem: á v.8. capitis tertii usque ad v.12. Quintó peculiariter hortatur ad tolerantiam persecutionis propter confessionem Christi: á v.12. capitis tertii usq; ad capitis illius finem. Sextó redit ad exhortationes speciales: ac primùm presbyteros hortatur ad curam gregis sibi commissi, deinde juniores ad modestiam: á principio capitis quinti usq; ad v.8. Septimó iterum redit ad exhortationes generales: & paucis verbis hortatur ad sobrietatem, vigilantiam, constantiam in fide & tolerantia persecutionũ, v.8. & 9. Octavó epistolam cõcludit primùm voto, deinde doxologia seu celebratione nominis Dei, tum brevi præcipuorum capitũ in epistola tractatorum indicatione, postremó salutationibus: á v.10. usq; ad finẽ.

Partes octo.

1

2

3

4

5

6

7

8

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Partes duæ.

Præmissa inscriptione, commemorat primùm spiritualia. Dei in eos ad quos scribit, collata & adhuc conferenda beneficia, usque ad v. 13. deinde ex illa commemoratione deducit exhortationem ad studium pietatis, usque ad finem capitis.

DE INSCRIPTIONE.

PETRUS *Apostolus Jesu Christi, advenis dispersis per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, & Bithyniam:*

2 *Electis ex prænotione Dei Patris per sanctificationem Spiritus, ad obedientiã & aspersionem sanguinis Jesu Christi: gratia vobis & pax multiplicetur.*

Partes inscriptionis tres.

INscriptionis partes pro more sunt tres: subscriptio, v.1. inscriptio specialiter dicta, & salutatio: v.1.& 2. Subscriptione continetur primó nomen scriptoris proprium, vel potiús cognomen loco nominis proprii usurpari solitum: videlicet *Petrus.* Secundó additur nomen officii, nempe *Apostolus Jesu Christi.* Inscriptio specialiter dicta indicat, ad quos hæc epistola sit scripta ac missa, videlicet ad Judæos provinciales fidem Christianam amplexos, quos vocat *advenas dispersos per Pontum, Galatiam,* &c. Fidẽ autem illorum significat descriptione, quę sumta est partim é causis, partim ex effectu. Causas commemorat duorum generum, efficientes duas & formam. Efficientes sunt, æternum decretum seu propositum Dei, & vocatio efficax. Decretum illud seu propositum Dei nominat προγνωσιν, *prænotionem.* Vocationem efficacem notat his verbis: *Electis per sanctificationem Spiritus ad obedientiam.* quorum verborum hæc est sententia, quód Deus miserit Spiritum sanctum in corda ipsorum, qui illa sanctificaverat, hoc est illuminando ac renovando per Euangelii prædicationem é mundo segregaverit atq; elegerit, in hunc finem ut obediant Deo, credentes nimirum in Christum servatorem, qui per Euangelium ipsis fuerat oblatus. Atque hæc de causis fidei efficientibus. Forma significatur ipso vocabulo *obedientiæ.* Intelligitur enim (ut modó diximus) obedientia fidei. Porró effectus fidei est remissio peccatorum, quæ notatur his verbis, *Et aspersionem sanguinis Jesu Christi:* quibus verbis significatur, per obedientiam illam fidei seu per ipsam fidem aspergi corda sanguine Christi, atque ita purificari: ut idem Petrus loquitur Act. 15. vers. 9. quod nihil aliud est, quám adipisci remissionem peccatorum propter imputatũ á Deo gratis meritum mortis Christi: quippe qui effusione sui sanguinis cum sensu iræ Dei, peccata nostra expiavit: próque illis judicio Dei satisfecit. Atque hæc de inscriptione specialiter dicta. In salutatione optat eis *multiplicari* seu *augeri gratiam,* id est favorem paternum Dei, hoc est, favoris illius effecta: ac nominatim pacem, hoc est, veram felicitatem: quæ in hac vita inprimis in tranquillitate conscientiæ consistit.

1. *Subscriptio.*

2. *Inscriptio.*

3. *Salutatio.*

DE PRIMA PARTE CAPITIS.

3 *Benedictus* sit *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui ex multa sua misericordia regenuit nos ad spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis,*

4 *Ad hæreditatem quæ nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere, nobis in cælis servatam:*

5 *Qui virtute Dei tanquam præsidio custodimur per fidem, ad salutem paratam patefieri tempore ultimo.*

Petrus testificaturus Judæis ad quos scribit, hanc esse veram gratiã Dei in qua stabant (id quod sibi in hac epistola propositum fuisse, ipse declarat cap. ult. v. 12.) commemorat varia Dei beneficia spiritualia in ipsos partim

tim collata, partim adhuc conserenda, videlicet, fidem, spem, gaudium ex fide, perseverantiam in fide, dilectionem Christi, & denique salutem seu vitam æternam. Hanc beneficiorum commemorationem incipit á gratiarum actione seu laudatione Dei benefactoris: & tria beneficia, fidem, spem & gaudium ex fide, comprehendit duob. verbis, ubi nominat ἐλπίδα ζῶσαν, *Spem vivam.* nam vocabulo Spei comprehendit & Fidem, unde spes manat: vivam autem appellat, id est, vivificam: quippe quód illa fides atque spes vivificat cor, videlicet gaudio illo quod cor per fidem percipit ex gustu paterni favoris Dei. Hæc autem beneficia omnia declarat & amplificat expositione causarũ efficientium: indicans primó causam προηγαπτικὴν quæ Deum movit ad illa dona in nos conferenda, videlicet meritum Christi: quod innuit, quum Deum vocat *patrem Domini nostri Jesu Christi.* quibus verbis significat, Christum nos sibi pretioso suo sanguine emisse, ac patris favorem nobis promeritum esse. deinde exprimit causam προηγουμένην, ubi ait, *Ex multa sua misericordia.* tertió significat causam adjuvantem seu potiús cooperantem, videlicet Spiritus sanctus quatenus regenerat, ubi ait, *Regenuit nos* nempe per Spiritum sanctum. Hanc autem Spiritus sancti operationem declarat ex forma seu modo agendi, ubi ait, *Per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.* quibus verbis innuit, Spiritum S. regenerare corda electorum & fidem atq; spem vivam in eis efficere, dum ipsis persuadet resurrectionem Christi, eosq; erudit de illius vi ac ratione: quód nimirum resurrectio Christi sit certum argumentum expiatorum nostrorum peccatorum, & vitæ æternæ nobis partæ per mortem ipsius. Vers. 14. commemorat beneficium quod Deus certó in credentes collaturus est, videlicet vitam æternam seu plenam fruitionem vitæ æternæ in cœlis. Hanc nominat *hæreditatem*; ut significet, nos eam adepturos jure adoptionis: per fidem enim adoptati sumus in filios Dei, Johan. 1. v. 12. Et commendat eam ab adjuncta *incorruptibilitate*: quam ipsam amplificat copiâ verborum idem significantium, vocans eam ἄφθαρτον, *incorruptibilem*, καὶ ἀμίαντον, *& incontaminabilem*, καὶ ἀμάραντον *& immarcescibilem*: in quarum vocum penultima videtur esse metaphora á pudicitia virginis, in ultima veró est metaphora ab herba semper virente. Item commendat eam á loco ubi servatur & ubi eâ perfruemur, videlicet *in cœlis.* Versu 5. addit aliud beneficium, videlicet perseverantiam in fide: & proxime-commemoratum repetit, & declarat ex adjuncto tempore, quo in illam hæreditatem mittemur, videlicet *tempore ultimo*, id est, die ultimi judicii quum Christus ad judicium adveniens, nos ad se assumet. Porró perseverantiam in fide significat illustri metaphora á præsidio quo munitur aliquis locus contra impressionem hostium: ubi ait, *nos potentiâ Dei per fidem* φρουρεῖσθαι, hoc est, *velut præsidio muniri*: nempe contra tentationes diaboli, quibus ille nos conatur á fide ac spe dejicere, atque ita vitam æternam nobis intervertere.

6 *Qua in re exultatis, paululum nunc (si opus est) tristitiæ affecti in variis tentationibus:*

7 *Ut exploratio fidei vestræ multo pretiosior* exploratione *auri, quod peris, & tamen per ignem exploratur, comperiatur* vobis esse *laudi & honori & gloriæ, quum patefiet Jesus Christus.*

Addit aliud Dei beneficium, videlicet *exultationem* seu lætitiam spiritualem quæ ex fide & spe nascitur. Hanc lætitiam amplificat antithesi *tristitiæ* quæ nascitur ex afflictionibus: quam extenuat ab adjuncta brevitate temporis, ut ita eos consoletur. item ab adjuncta intermissione,

ubi ait, *Si opus est* quibus verbis videtur significare, non semper esse opus illâ tristitiâ: quia afflictiones non sint perpetuæ, sed interdum intermittantur. Versu 7. in instituta consolatione pergit, & aliud consolationis argumentum affert: quod sumtum est á fine simul & effectu: quia Deus ipsis immittat afflictiones, non ut perdat, sed *ut exploret illorum fidem*: quæ res cedat ipsis *in laudem & gloriam & honorem*. Hanc explorationem amplificat collatione minoris, videlicet *explorationis auri, quod perit*: quum fides non pereat. nam etsi fides abolebitur, teste Paulo 1. Cor. 13. tamen ejus fructus in æternum durabit, videlicet salus & gloria cœlestis. Porró eventum illius explorationis fidei declarat indicatione temporis, nempe *quum patefiet Jesus Christus*, in adventu scilicet ad judicium.

8 *Quem etsi non videritis, diligitis: in quem nunc*, cum *non cernentes, tamen credentes, exultatis gaudio ineffabili & glorioso:*

9 *Reportantes mercedem fidei vestræ, salutem animarum.*

Redit ad commemorationem beneficiorum Dei: & commemorat tria: *dilectionem Christi, fidem & gaudium ex fide*, quorum duo priora amplificat expositione causæ corrumpentis, quum ait, *eos Christum non vidisse, ac ne nunc quidem cernere*. nam hæc res poterat eos impedire quó minus in eum crederent eumve diligerent. Gaudium veró illud amplificat ab adjuncta magnitudine, vocans ipsum *ineffabile & glorioſum*. Versu 9. repetit illius gaudii causam procreantem, videlicet spem certam vitæ æternæ: quòd nimirum certó sperent *se reportaturos salutem animarum, tanquam mercedem fidei* ac tolerantiæ suæ. ubi est similitudo ab operario, qui laborem tolerat spe mercedis quam peracto labore sit reportaturus.

10 *De qua salute inquisierunt, & quam scrutati sunt Prophetæ, qui de ventura in vos gratia prophetarunt:*

11 *Scrutantes in quem aut cujusmodi temporis articulum Spiritus ille Christi qui in ipsis erat, ante testificans venturas in Christum perpessiones & gloriam illas consequuturam, declararet* illas casuras.

12 *Quibus patefactum est, eos non sibi sed nobis ea administrare quæ nunc annuntiata sunt vobis per eos qui vobis prædicarunt Euangelium, per emissum è cœlo Spiritum sanctum: in quæ desiderant Angeli introspicere.*

Hic exponit aliud Dei beneficium, videlicet *patefactionem illustrem mysterii salutis per Christum partæ, quæ patefactio fit per prædicationem Euangelii*. Hoc beneficium amplificat ab adjuncto studio Prophetarum, hominum scilicet sanctissimorum & á spiritu Dei illuminatorum: qui magno studio fuerunt occupati in hoc mysterio scrutando, ac nominatim in scrutando tempore quo Christus fuit exhibendus, ut opus redemtionis atque salutis nostræ perageret, v. 10. & 11. Deinde amplificat hoc beneficium antithesi dissimilium: quód nimirum mysterium hoc salutis *patefactum sit non illis, sed nobis*: initio versus duodecimi. Tertio amplificat hoc beneficium ab adjuncta authoritate eorum per quos hoc salutis mysterium ipsis erat patefactum, videlicet *per Apostolos á Spiritu sancto edoctos*. Postremó amplificat hoc beneficium ab effectu, videlicet desiderio Angelorum: quód nimirum hujus mysterii de salute per Christum parta, tanta sit excellentia, sublimitas, pulchritudo, suavitas, *ut Angeli quoque desiderent in illud introspicere* ac penitiús ipsum nosse. Videtur autem iis verbis respicere Petrus ad typum veteris testamenti, videlicet ad duos illos Cherubim, qui arcæ fœderis (quæ typus erat Christi) insistentes, facies suas versus operculum illius demittebant, tanquam introspicere desiderantes.

DE

DE SECUNDA PARTE.

13 *Quapropter succincti lumbis mentis vestræ, sobrii, integrè sperate in eam, quæ vobis deferetur, gratiam, quum patefiet Jesus Christus.*

14 *Ut filii obedientes, qui vos non configuretis pristinis quæ in ignorantia vestra* viguerunt *cupiditatibus:*

15 *Sed sicut is qui vos vocavit sanctus est, ipsi quoque sancti in omni conversatione reddamini.*

16 *Propterea quòd scriptum est, Sancti estote: nam ego sanctus sum.*

17 *Et si patrem cognominatis eum qui citra personarum respectum judicat ex cujusque opere, cum timore versamini commorationis vestræ tempore:*

18 *Ut qui sciatis, vos non caducis* rebus, *argento vel auro, fuisse redemptos ex vana illa vestra conversatione, á patribus tradita:*

19 *Sed pretioso sanguine, utpote agni immaculati & incontaminati,* nempe, *Christi:*

20 *Præordinati quidem ante jacta mundi fundamenta, patefacti verò ultimis temporibus propter vos,*

21 *Qui per eum creditis in Deum, qui excitavit eum á mortuis, & gloriam ei dedit, ut fides ac spes vestra in Deo esset.*

Hic incipit secunda epistolæ pars.

Ex commemoratione beneficiorum Dei erga credentes, deducit nunc exhortationem: qua exhortatur eos ad vigilantiam & sobrietatem, ad spem vitæ æternæ, ad obedientiam erga mandata Dei, ad constantiam in fide & denique ad charitatem erga fratres. Et has exhortationes argumentis annexis confirmat. Porró obedientiam ponit partim in fuga operum malorum ad quæ instigant innatæ cupiditates, partim in studio operum bonorum seu sanctitatis, v. 14. & 15. Exhortationem verò qua ad illam obedientiam exhortatur, confirmat primùm ab adjuncta notitia voluntatis Dei: quam notitiam significat negatione pristinæ ignorantiæ, v. 14. Deinde ab exemplo Dei, tanquam patris á quo vocati & adoptati sint, v. 15. quod argumentum approbat testimonio Scripturæ, v. 16. Tum idem argumentum repetit in principio v. 17. & tertium annectit ab eventis, videlicet bonorum operum præmiis & malorum pœnis: quod argumentum innuit á proprio adjuncto Dei, quod est, judicare homines citra personarum respectum ex cujusque opere, reliqua parte v. 17. Inserit quoque argumentum quartum, quod sumtum est ab adjuncta præsentis vitæ conditione, quòd videlicet fideles in hac vita sint advenæ seu hospites: ac proinde non deceat ipsos voluptatibus hujus vitæ addictos esse, sed per studium sanctitatis festinare in patriam cœlestem. hoc argumentum innuit, ubi vitam eorum nominat παροικίαν, id est, incolatum seu commorationem. Postea annectit argumentum quintum á beneficio redemtionis, ac proinde ab officio redemtorum, id est, eorum qui sunt redemti: quod nimirum est, servire atque obedire redemtori & illi omnes suas actiones approbare, v. 18. Intelligit autem redemtionem é potestate diaboli, factam per Christum. Et hanc redemtionem amplificat á magnitudine pretii quo Christus nos redemit, videlicet suo sanguine pro nobis effuso cum sensu iræ Dei. Atque hoc ipsum pretium partim amplificat collatione minorum, videlicet argenti & auri, v. 18. partim declarat expositione causæ: quòd sanguis iste sit sanguis personæ innocentis ac sanctæ: quod ipsum significat & illustrat similitudine agni omni vitio carentis, qualis sub Lege ex Dei mandato

mandato fuit oblatus ad Christum præfigurandum, v.19. Præterea redemtionem illam amplificat ab æterno Dei decreto, & patefactione tunc facta per Euangelium, v.20. Postea annectit argumentum sextum á dono fidei ac spei: quód scilicet per Christum persuasi sint de gratia Dei sibi per mortem ipsius parta, ac proinde sperent vitam æternam. Illam autem Dei gratiam significat ex effectis duobus: videlicet quód Christum excitavit á mortuis, quodque gloriam ei dedit, nempe exaltando eum ad regnum illud cœleste, v.21.

22 *Quum* igitur *animas vestras purificaveritis, auscultando veritati per Spiritum, ad charitatem fraternam simulationis expertem; ex puro corde alii alios diligite intensé.*

23 *Quippe regeniti non ex semine corruptibili, sed incorruptibili*, videlicet *per sermonem Dei vivum & manentem in æternum.*

24 *Nam omnis caro est ut gramen, & omnis gloria hominis ut flos graminis. exaruit gramen, & flos ejus decidit:*

25 *Sed verbum Domini manet in æternum. hoc autem est verbum illud quod euangelizatum est vobis.*

Redit ad exhortationem, & porró hortatur partim ad constantiam in fide, partim ad charitatem erga fratres, v.22. Constantiam in fide vocat *obedientiam* seu *auscultationem veritatis.* Et hanc declarat partim ex effectu, qui est *castitas animæ*, abhorrentis nimirum ab omni falsa doctrina & idololatria: partim ab efficiente, qui est *Spiritus sanctus.* Charitatem veró erga fratres amplificat ab adjuncta *sinceritate* & vehementia seu *ardore.* Hanc exhortationem confirmat ab adjuncta facultate: quam ipsam significat expositione causæ efficientis, quæ est *regeneratio Spiritus sancti.* hæc enim homini confert facultatem faciendi quod rectum est ac Deo placens. Regenerationem autem illam spiritualem declarat ex causa instrumentali, videlicet *semine* ex quo seu per quod regenerantur electi: quod est *sermo Euangelii.* Hujus sermonis præstantiam significat partim ab adjuncta durabilitate, dum eum vocat *semen incorruptibile*, ἄφθαρτον, & *sermonem manentem in æternum*: partim veró ab effectu, dum eum nominat *sermonem vivum*, λόγον ζῶντα, id est, vivificum, quo scilicet vivificatur cor, dum per ipsum persuadetur de constante favore Dei erga se propter Christum: v.23. Tum hanc sententiam de durabilitate sermonis Dei confirmat testimonio Scripturæ, v.24. & 25. Quod testimonium sumtum est ex Esai.40. vers.6. ubi sententia illa illustratur antithesi *vanitatis naturæ humanæ*, quæ significatur similitudine *graminis & floris.* Ad extremum annectit illius testimonii declarationem, monens intelligendum esse de verbo *Euangelii*: atque ita testimonium illud ad institutum suum accommodat, in fine versus ultimi.

SCHOLIA IN CAP. I.

V.1. Petrus. Πέτρος. Proprium scriptoris nomen fuit Simeon seu Simon: quod exprimitur in principio epistolæ posterioris. Petrus veró cognominatus fuit ex eventu, videlicet propter confessionem petræ super quam ædificata est Ecclesia, id est Christi: qua de re vide Matth.16. v.13. & deinceps. Porró qui Græcé dicitur πέτρος, is Hebraicé vel potiús Syriacé nominatur κηφᾶς, id est Cephas: quæ tamen vox Syriacé scribitur per vocalem non secundam, sed tertiam, nempe Kipha. *Apostolus Jesu Christi.* ἀπό-

στολος

φολος ἰησῦ χριστῦ. Quomodo Petrus á Christo primó quidem ad discipulatum, deinde veró ad apostolatum sit vocatus, vide Joh.1.v.43. Matth.4. v.18.& deinceps.Item quomodo in pristinum gradū unde terna abnegatione exciderat,sit restitutus,vide Joh.ult.v 15.& deinceps. *Advenis.* ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις. In Græco verba trajecta sunt. nam nomen ἐκλεκτοῖς cohæret cum illis verbis, κατὰ πρόγνωσιν,&c. in principio versus sequentis. Quare cum illis in versione conjunctum est perspicuitatis gratiá. *Advenis dispersis per Pontum,&c.* παρεπιδήμοις διασπορᾶς πόντου,&c. Ad verb.Advenis dispersionis Ponti. παρεπίδημοι διασπορᾶς per Hebraismum dicuntur, pro οἱ ἐν τῇ διασπορᾷ,scil.ὄντες. ut loquitur Jacobus cap.1.v.1.

V.2 Electis. ἐκλεκτοῖς. Id est, efficaciter vocatis,atque adeó reipsa segregatis. Metonymia efficientis. qualis in illis verbis Christi, *Ego elegi vos ex mundo: propterea odit vos mundus*, Johan.15.v.19. *Ex prænotione Dei.* κατὰ πρόγνωσιν θεοῦ. Vel,Secundúm prænotionem Dei. Sic nominat æternum illud decretū Dei de servandis Electis. quemadmodum & Paulus Rom.8. v.29.& cap.11.v.2.*Per sanctificationem Spiritus.* ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος.Id est, διὰ ἁγιασμοῦ. Hebraismus. hoc est, qua Spiritus sanctus sanctificat corda electorum, illuminando ac renovando ea per Euangelii prædicationem. Sic Joh.17.v.17. *Sanctifica eos per veritatem tuam: sermo tuus veritas est. Ad obedientiam.*εἰς ὑπακοήν. Id est, ad fidem in Christum: qua nimirum obeditur mandato Dei, *Hunc audite.* item, *Resipiscite & credite Euangelio.* Sic Rom.1.v.5. Per quem accepimus gratiam & apostolatum εἰς ὑπακοὴν πίστεως,ad obedientiam fidei. Item infrá v.22. *Animabus vestris purificatis* ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας, *per obedientiam veritatis*, id est, per fidem qua obeditur veritati. *Ad obedientiā & aspersionem,&c.* εἰς ὑπακοὴν καὶ ῥαντισμὸν, &c. Id est, ad fidem qua aspergunturcorda sanguine Christi. ἐνδιαδύο. Confer Actor.15.v.9.ubi Petrus ait,fide purgari corda.Item Hebr.9.v.18.& deinceps.

V.3. Benedictus,&c. εὐλογητὸς,&c. Iisdem verbis epistolam ad Ephesios orditur Paulus,Ephes.1.v.3. *Regenuit.* ἀναγεννήσας.Videlicet per Spiritum sanctum. *Ad spem vivam.* εἰς ἐλπίδα ζῶσαν.Id est,vivificam,quæ scilicet vivificat seu lætificat cor. Metonymia effecti: qualis Johan.6.v.51. in verbis Christi, Ego sum ὁ ἄρτος ὁ ζῶν, panis ille vivus: id est vivificus. *Per resurrectionem,&c.* διὰ ἀναστάσεως.Id est,persuadendo cordibus nostris quód Christus resurrexerit propter justificationē nostri,Rom.4.v.ult. Affinis huīc est sententia illa infrá cap.3.v.penult. *Servat nos bonæ conscientiæ interrogatio apud Deum per resurrectionem Jesu Christi.*

*V.4. Nobis.*εἰς ἡμᾶς. Pro ἡμῖν.Hebr. לנו lánu.Sic infrā v.25. Verbum quod euangelizatum est εἰς ὑμᾶς,pro ὑμῖν.Sic Heb.2.v.3. Salus confirmata fuit εἰς ἡμᾶς,pro ἡμῖν.

V.5. Tanquam præsidio custodimur. φρουρουμένους. Hoc verbo usus est & Paulus Galat.3.v.23. ubi ait, ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα, sub Legis præsidio tenebamur.

*V.6. Quain re.*ἐν ᾧ. Pronomen ᾧ non refertur ad nomen χαρᾷ proximé præcedens, sed ad totum illum orationis complexum quo exposuit beneficia Dei erga ipsos. *Tentationibus.* πειρασμοῖς. Sic vocat persecutiones. quemadmodum & Jacobus cap.1.v.2.

V. 7. Exploratio fidei vestræ. τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως. Eādem phrasi utitur & Jacobus cap.1.v.3. Est autem pronomen ὑμῶν trajectum, quippe quod regitur á nomine sequenti, πίστεως. *Pretiosior* exploratione

auri.

aurl. τιμιώτερον χρυσίε. Ellipsis, qualis 1. Johan 2. v. 2. Vel potiús τιμιώτερον positum est pro τιμιωτέρας, ut referatur ad nomen πίστεως: & intelligatur, fidem cum auro conferri tanquam pretiosiorem. *Quum patefiet Jesus Christus.* ἐν ἀποκαλύψει Ιησοῦ χριστοῦ. Ad verb. in patefactione Jesu Christi.

V. 8. *Etsi non videritis.* οὐκ εἰδότες. Id est, κἂν μὴ εἰδότες. Ad amorem multum facit aspectus. quo argumento utitur & Johannes 1. Joh. 4. v. 20.

V. 9. *Reportantes.* κομιζόμενοι. Id est, quippe certó reportaturi. Enallage temporis Hebraica. *Mercedem.* τὸ τέλος. Ad verb. *Finem.* Metonymia adjuncti Hebraica: nam merces datur in fine operis seu opere peracto & ad finem perducto, unde Hebræi mercedem appellant אחרית acharith, id est, finem, ut Proverb. 23. vers. 18. *Quum enim sit* אחרית *merces, utique expectatio tua non succidetur.* Item metaphoricé עקב ékeb, id est, calcaneum: quia ut calcaneus est extremum in corpore hominis, ita merces extremum est in opere. Psalm. 19. v. 12. *In custodiendo ea, est* עקב רב *merces multa.*

V. 11. *Temporis articulum.* καιρὸν. Similiter accipitur hæc vox Actor. 1. vers. 7. Non est vestrûm nosse tempora aut articulos temporum, χρόνους ἢ καιρούς. *Scrutantes in quem, &c.* ἐρευνῶντες εἰς τίνα, &c. Syntaxis obscura. Censeo autem verba sic ordinanda: ἐρευνῶντες, εἰς τίνα ἢ ποῖον καιρὸν τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα χριστοῦ, προεμαρτυρόμενον τὰ εἰς χριστὸν (ἐλευσόμενα) παθήματα καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας, ἐδήλου. Scilicet πατεῖσθαι αὐτά. *Perpessiones & gloriam.* παθήματα καὶ τὰς, &c. Similiter ista duo conjungit Christus Luc. 24. v. 26.

V. 12. *Per emissum, &c.* ἐν πνεύματι, &c. Historia istius missionis extat Act. 2. *Introspicere.* παρακύψαι. Videtur respicere ad Cherubim super arcam federis, tanquam ad typum. Vide Exod. 25. v. 18. 19. 20.

V. 13. *Succincti lumbis mentis vestræ.* ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας τῆς διανοίας ὑμῶν. Ante τὰς ὀσφύας subaudiendum κατὰ. Est autem phrasis qualis illa Rom. 4. v. 12. Incedere vestigiis fidei Abrahæ, pro eo quod est, Incedere in fide Abrahæ, veluti in vestigiis. Ita hic, Succincti lumbis mentis: pro eo quod est, Succincti mente, veluti lumbis. Similis est illa exhortatio Christi Luc. 12. v. 35. Sint lumbi vestri præcincti, &c. *Sobrii.* νήφοντες. Similis est exhortatio illa Pauli 1. Thess. 5. v. 6. & deinceps: Vigilemus & sobrii simus, &c. *Deferetur.* φερομένην. Præsens pro futuro, ut apparet ex eo quod sequitur, *Quum patefiet Jesus Christus.* Item ex verbo *Sperate* quod præcedit. *Gratiam.* χάριν. Id est, cælestem felicitatem & gloriam quã Deus vobis ex gratia daturus est. Metonymia efficientis. *Quum patefiet.* ἐν ἀποκαλύψει. Ut supr. v. 7.

V. 14. *Ut filii obedientes.* ὡς τέκνα ὑπακοῆς. Ad verb. Ut filii obedientiæ. Hebraismus, qualis in illo Colos. 1. v. 13. Transtulit nos in regnum τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ, filii dilectionis (id est, dilecti) sui. Et sic nomen *Filii* tacité refertur ad Deum: quasi dicatur, Ut filii Dei obedientes. Potest tamen & paulò aliter exponi, videlicet, *Ut homines obedientes*, qui & ipse Hebraismus est, sed á priori diversus: qualis videlicet est in illa phrasi Paulina ubi nominat υἱοὺς τῆς ἀπειθείας, filios inobedientiæ seu contumaciæ, id est, homines inobedientes seu contumaces: Eph. 2. v. 2. & cap. 5. v. 6. item Coloss. 3. v. 6. In priore Hebraismo genitivus notat adjunctum inhærens: in posteriore, causam procreantem, idq; per metaphoram. *Qui vos nõ configuretis.* μὴ συσχηματιζόμενοι Hoc verbo utitur & Paulus Rom. 12. v. 2. ubi ait, μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ. *Quæ in ignorantia vestra riguerunt.* ταῖς ἐν τῇ ἀγνοίᾳ ὑμῶν. Supple γενομέναις.

V. 16. *Scriptum*

V.16. Scriptum est. γέγραπται. Videlicet Lev.19.v.2.

V.17. Tempore. τὸν χρόνον. Subaudi χῦ.

V.18. A patribus tradita. πατροπαράδοτα. Nempe per mala exempla: ἃ vobis autem accepta per imitationem impietatis illorum: sicut declarat Stephanus Act.7.v.51.52.

V.19. Pretioso sanguine. τιμίῳ αἵματι. Sic 1.Cor.6.v.20. Emti estis pretio. *Utpote.* ὡς. Hic notat causam. Syntaxis enim est, Sanguine Christi ut agni: id est, ut qui est agnus: videlicet agnus ille Dei qui tollit peccatum mundi, Johan.1.v.29. Agnus autem nominatur Christus per metaphoram sumtam ab agnis illis veteris testamenti qui eum præfigurabant, quatenus Deo immolabantur: quales erant tum agnus paschalis, qui offerebatur semel quotannis, tum agni jugis sacrificii qui offerebantur quotidie mane & vesperi. Similiter de Christo loquitur & Paulus 1.Cor.5.v.7. ubi ait, Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est, nempe Christus. *Immaculati,* ἀμώμου. Seu *inculpati:* vel potiús *vitio carentis.* Etenim nomen ἄμωμος, bifariam explicari potest: ut nimirum deducatur vel á verbo μωμᾶν, quod est culpare: vel á nomine μῶμος, quatenus significat maculam vel dedecus: quod ipsum nomen ortum videtur ex Hebræo, מום múm, quo proprié significatur vitium aliquod corporis, ut quum quis est cæcus aut claudus, &c. quemadmodum hæc vox declaratur Levitic. 21. v.18. & deinceps. Et sic præcipitur Levitic.22. v.20. ne offeratur pecus, in quo sit מום múm, id est, corporis vitium. Opponitur autem illi pecus תמים thamím, id est, integrum, ib.v.19. Et sic Exod.12. v.5. præcipitur de agno Paschali, ut sit תמים thamím, id est integer, omnis scilicet vitii expers: verbi gratia, non cæcus, non claudus, non scabiosus, &c. Idem præcipitur de agnis jugis sacrificii, Num.28.v.3. Quo ipso nimirum sanctitas Christi, tanquam victimæ, præfigurata fuit. Sic dicitur de Christo Heb.9.v.14. quód obtulerit seipsum Deo ἄμωμον, inculpatum seu vitii expertem. *Incontaminati.* ἀσπίλου. Seu *immaculati.* nam ἄσπιλος, ὁ μὴ ἔχων σπῖλον, qui non habet maculam: ut loquitur Paulus de Ecclesia Ephes.5.v.27. Videtur ergo hic locus sic vertendus: Utpote agni vitio carentis & immaculati.

V.20. Præordinati quidem. προεγνωσμένου μέν, Id est, æterno Dei decreto ordinati in agnum seu victimam offerendam suo tempore pro Ecclesia. Hanc esse istius verbi hoc loco significationem, percipitur ex collatione tum sententiæ præcedentis, ubi Christus nominatus est agnus cujus sanguine Ecclesia sit redemta: tum sententiæ sequentis, ubi dicitur, Christum patefactum esse ultimis temporibus. Similiter & Paulus verbo προγινώσκειν æternum Dei decretum notat Rom.8.v.29. & c.11.v.2. Item Petrus nomine προγνώστως, suprá v.2. *Ante jacta mundi fundamenta.* πρὸ καταβολῆς κόσμου. Seu, ante fundationem mundi. Ad verb. Ante dejectionem (scil. fundamentorum) mundi, hoc est, ab æterno. *Patefacti verò.* φανερωθέντος δὲ. Seu manifestati, scilicet in carne: ut loquitur Paulus 1.Tim.3. v.16. *Ultimis temporibus.* ἐπ' ἐσχάτου τῶν χρόνων. Scil. mundi. nam mundus hic habebit finem.

V.21. Gloriam. δόξαν. Confer Philip.2.v.9.10.11.

V.22. Auscultando veritati. ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας. Seu per obedientiam veritatis. ἐν pro διὰ, more Hebræorum. Est autem hæc periphrasis fidei, quippe qua obeditur veritati Euangelii. Et sic idē Petrus Act.15.v.9. ait, fide purificari corda. Porró vocabulū ὑπακοῆς similiter interpretati sumus suprá v.2. *Per Spiritū.* διὰ πνεύματος. Id est, per operationem S.sancti.

V.23.

*V.*23. Videlicet *per sermonem.* διὰ λόγου. Hæc præcedentib. annectuntur per appositionem & per ἐπεξήγησιν, mutata parumper phrasi. Appositionis enim forma postulabat dici, ἐκ λόγου: sicut dictum fuit ἐκ σπορᾶς. *Per sermonem Dei vivum & manentem in æternum.* διὰ λόγου ζῶντος θεοῦ καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα. Alii: Per sermonem Dei vivi & manentis in æternum. Sed nostram versionem confirmat, ac planè postulat testimonium quod mox affertur ex Esaia, ubi habetur: Verbum Domini manet in æternum. Participia igitur illa, ζῶντος & μένοντος, conueniunt hîc non cum nomine θεοῦ, sed cum nomine λόγου. Quod si participium ζῶντος conveniret cum nomine θεοῦ, sic potiùs verba ordinasset Petrus, διὰ λόγου θεοῦ ζῶντος, &c. Tremellius quoq; é Syro ad eundem modum convertit. Vocat autem λόγον ζῶντα, sermonem vivum: vel per metaphoram, ut significet sermonem efficacem, quemadmodum Heb.4. v.12. vel per metonymiam effecti, ut significet sermonem vivificum, qui scilicet vivificat corda credentium: quo sensu Christus nominatur panis ille vivus, Johan.6.v.51.

*V.*25. *Vobis.* εἰς ὑμᾶς. Ad verb. Ad vos. Hebraïs. qualis suprà v.4.

OBSERVATIONES EX CAP. I.

Ex v.1.& 2. ex verbis, *Electus secundum prænotionem Dei patris, in sanctificatione Spiritus, ad obedientiam.* Fides qua obeditur Euangelio, ac proinde creditur in Christum, dependet á prænotione seu prædestinatione Dei patris, tanquam causa prima seu summa, antecedente in mente illius: & á sanctificatione Spiritus, id est, operatione Spiritus sancti, tanquam causa agente proxima. Illa autem operatio, gemina est: videlicet mentis illustratio ad cognoscendum doctrinam salutis, & voluntatis inflexio sive inclinatio ad acquiescendum in sancta Dei voluntate per doctrinam verbi Dei patefacta. Porró fidem pendêre á prædestinatione, etiam alibi tradit Scriptura: ut Johan.6. v.37. Quicquid dat mihi pater, ad me veniet. Act. 13.v.48. Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam. Rom.8. v.30. Quos prædestinavit, eos etiam vocavit, scilicet efficaciter: id est, fide donavit. ut percipitur ex verbis sequentibus, Et quos vocavit, eos etiam justificavit. Tit.1. v.1. fidem salvificam Apostolus nominat fidem electorum Dei: quo significat, esse electorum propriam ac ab electione atque prædestinatione Dei dependêre. Deinde fidé effici á Spiritu sancto, docent hæc quoque Scripturæ testimonia. Matth.16. 17. Christus ait Petro: Caro & sanguis non revelavit tibi (nempe id quod de me confessus es, me scilicet esse Christum, filium illum Dei viventis) sed Pater meus qui est in cœlis. Pater autem revelat mysteria regni cœlorum per Spiritum sanctum. Johan.6.44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Trahit autem Pater corda Electorum per Spiritum sanctum, flectendo illa in obedientiam Euangelii. Ibid.v.45. Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docti á Deo. Quisquis ergo audivit á Patre & didicit, venit ad me. Docet autem Pater Electos intus per Spiritum sanctum, & per hujus illuminationem illi á Patre discunt. Act.16. 14. Dominus adaperuit cor Lydiæ ut attenderet ea quæ dicebantur á Paulo. Adaperuit autem per Spiritum sanctum. Si ipsa quoque attenta auscultatio Euangelii ac studium discendi doctrinam salutis, efficitur á Spiritu sancto: quanto magis doctrinæ illius fides?

Ex iisdem verbis: *Electus* secundum prænotionem. Cavendum ne his verbis,

verbis, abutamur ad ſtabiliendum errorem de cauſa electionis divinæ, quaſi ſcilicet cauſa illius ſit præſcientia ſeu præviſio noſtræ fidei, aut bonorum operum, aut denique boni uſus liberi arbitrii. Etenim vocabulo προγνωσις id non ſignificare vult Petrus: ſed ſignificat decretum Dei, á libera ejus poteſtate dependens: ut percipitur ex collatione cum v. 20. infrà, ubi Chriſtum dicit προεγνωσμένον πρὸ καταβολῆς κόσμου, prædeſtinatum ſeu præordinatum (id eſt, æterno decreto ordinatum, ut ſcilicet eſſet agnus ſeu victima pro nobis, ad nos redimendum, ex v. præcedente) ante jacta fundamenta mundi. Huc facit etiam collatio aliorum locorum ubi vocabulum iſtud πρόγνωσις habetur: ut Act. 2. 23. Rom. 8. 29. & cap. 11. v. 2.

Ex v. 2. ex verbis, *Ad obedientiam.* Fidei forma eſt, obedientia erga mandatum Dei quo jubet credere in Chriſtum, ac proinde promiſſionem Euangelii privatim ſibi applicare. Cujus rei exemplum clariſſimum habemus in Apoſtolo Paulo, dicentis Gal. 2. 20. Chriſtus dilexit ME, ac tradidit ſemetipſum PRO ME.

Ex eod. verſu, ex verbis: ad obedientiam & aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti. Per fidem corda aſperguntur ſanguine Jeſu Chriſti: ac proinde ſanguis Jeſu Chriſti, quatenus nimirum effuſus eſt cum ſenſu iræ Dei ad expiandum noſtra peccata, eſt illa res quæ nobis per fidem ad juſtitiam coram Deo imputatur: ut loquitur Paulus Rom. 4. v. 3. 5. 6. 9. 10. 11. 22. 23. 24. Etenim aſperſio ſeu purgatio cordium eſt ipſa peccatorum remiſſio: hæc autem eſt illa ipſa juſtitia qua conſiſtimus coram Deo: ut liquet ex verbis Pauli Rom. 4. v. 6. & 7. ſi duo illi verſus inter ſe conferantur. nam quod v. 6. vocat, *imputare juſtitiam*, id ipſum v. 7. nominat, *Remittere iniquitates.* Idem colligitur ex verbis Chriſti Luc. 18. v. 13. & 14. ſi item inter ſe duo illi verſus conferantur. Etenim quod v. 13. dicitur, *Deum propitium eſſe peccatori* (quod nihil aliud eſt, quám remittere illi peccata) id ipſum v. 14. nominatur *Juſtificari*, nempe á Deo. Juſtificare autem dicitur Deus, quando homini juſtitiam imputat, ac proinde juſtum pronuntiat: ut notum eſt ex epiſtola ad Romanos.

Ex iiſdem verbis, *Aſperſionem ſanguinis, &c.* Aſperſio ceremonialis & ſacra ſanguinis victimarum in veteri Teſtamento, fuit ſacramentum ſeu ſacrum ſignum ac divinum teſtimonium aſperſionis cordium ſpiritualis per ſanguinem Chriſti, id eſt remiſſionis peccatorum, tanquam ſanguine Chriſti expiandorum. Sic Paulus Heb. 9. v. 13. & 14. Si ſanguis taurorum & hircorum & cinis juvencæ, aſpergens iniquitates, ſanctificat ad carnis puritatem: quantó magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum æternum, ſeipſum obtulit inculpatum Deo, purgabit conſcientiam veſtram á mortuis operibus, ad ſerviendum Deo vivo.

Ex eod. verſu, ex verbis: *Gratia & pax vobis multiplicetur.* Non eſt ſatis, gratiam Dei & pacem ſemel percepiſſe: ſed opus eſt perpetuo incremento. quod quidem á Deo quotidianis precibus petendum, & perpetuo verbi Dei ſtudio comparandum.

Ex v. 3. ex verbis, *Benedictus Deus, &c.* Quoties recordamur (recordari autem ſubinde debemus) beneficiorum Dei, maximé veró ſpiritualium & ad æternam ſalutem pertinentium, collatorum ſive in nos ſive in fratres, hoc eſt, fidei Chriſtianæ ſocios: debemus erumpere in laudes Dei: idque exemplo Apoſtoli Petri hoc loco, itemque Pauli in principiis omnium ferè epiſtolarum.

Ex eodem versu, ex verbis, *Qui ex multa sua misericordia, &c.* Spes vitæ æternæ, sicut & ipsa fides, est donum Dei gratuitum, quod efficitur in nobis per regenerationem Spiritus sancti, illuminantis mentes nostras cognitione mysterii salutis, & flectentis corda ad assensum promissionis gratiæ, atque inde manantem fiduciam in gratia Dei per Christi mortem parta acquiescentem. Idem tradit Paulus Ephes. 2. ubi fidem ait esse donum Dei.

Ex eodem versu, ex verbis, *In spem vivam.* Spes vitæ æternæ, ex fide manans, vivificat cor: id est, afficit cor gaudio spirituali: quod gaudium vitæ æternæ initium est. De hoc gaudio ait Paulus Rom. 14. v. 17. Regnum Dei non est esca & potus: sed justitia & pax & gaudium per Spiritum sanctum. Et de hac vita cordis, id est, lætitia spirituali loquitur etiam Christus Johan. 6. v. 51. 53. 54. 57. 58. ubi docet, carnem suam, quatenus pro mundi vita data est, esse panem vivum, hoc est, vivificum: quem qui non ederit, non habeat vitam in se: qui verò cum ederit, illum habere jam vitam æternam. Et cap. 5. v. 25. Veniet tempus, & nunc est, quum mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint, vivent. ubi loquitur de mortuis spiritualiter, & de voce Euangelii, & de vita cordis spirituali.

Ex eodem versu, ex verbis: *Per resurrectionem Jesu Christi.* Ex fide resurrectionis Christi nascitur spes vitæ æternæ, quatenus credimus, Christum resurrexisse ad justificationem nostri, Rom. 4. v. ult. & ipsum esse caput nostrum, 1. Cor. 15. v. 22. Nam si resurrexit ad justificationem nostri: resurrectione sua demonstravit, se nobis sua morte promeritum esse justitiam qua coram Deo justificamur, & ex consequenti adoptionem ac jus vitæ æternæ. Si verò Christus est caput nostrum: ergo nos sua membra ad se assumet, ut simus ubi ipse est, & videamus gloriam ejus, & æternis gaudiis unâ cum ipso in cœlis perfruamur.

Ex v. 4. *In hæreditatem, &c.* Quum vita æterna nominetur hæreditas: consequens est eam nobis dari non propter nostra merita, sed ex gratia Dei adoptantis nos sibi in filios. Sic Matth. 25. v. 34. κληρονομήσατε regnum vobis paratum, &c.

Ex eodem verbo: Si contingat nos privari hæreditate, terrena ac omninó bonis terrenis: maximé si id fiat propter confessionem Euangelii: consolemur nos spe certa hæreditatis cœlestis. Hoc consolationis argumento utitur & Christus Matth. 5. v. 10. ubi ait, Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum. item cap. 19. v. 29. Quisquis reliquerit domos aut fratres, &c. causâ nominis mei: centuplicia accipiet, & vitam æternam hæreditatis jure possidebit.

Ex eodem versu, ex verbis: *Servatam in cœlis.* Quum cœlum á Petro nominetur tanquam certus locus ubi credentibus asservatur hæreditas illa vitæ æternæ: consequens est, falsum esse dogma eorum qui tradunt, cœlum esse ubique. Confer Johan. 14. v. 2. & cap. 17. v. 24. 2. Cor. 12. v. 2. Col. 3. v. 1.

Ex v. 5. *Qui potentiâ Dei custodimur per fidem.* Vera fides adjunctum habet perseverantiæ donum: quæ res magnam piis consolationem affert: ut qui sibi conscii sint suæ imbecillitatis. Confer Luc. 22. v. 32. Johan. 10. v. 28. Rom. 8. v. 38. & 39. 1. Cor. 10. v. 13. Phil. 1. v. 6. 2. Tim. 2. v. 19. Cavendum autem ne hac doctrina abutamur ad securitatem carnis. nam per nos non stat quin fidem amittamus. Contra quam securitatem in conspectu habenda illa exhortatio Pauli: Qui sibi videtur stare, videat ne cadat,

1. Cor. 10.

1.Cor.16.v.12.item illa: Ne effertor animo, sed time, Rom.11.v.20.

Ex v.6. *Qua in re exultatis, &c.* Item ex v.7. *Ut exploratio fidei, &c.* Contra crucem cui in hac vita subjecti sumus, consolemur nos spe certa salutis æternæ. Confer Matt.5.v.10.11.Rom.5.v.3.4.5.Item consolemur nos á brevi duratione crucis: quam considerandam proponit & Paulus 2. Cor.5.v.17. ubi ait, Momentanea levitas afflictionis nostræ excellentissimé æternum pondus gloriæ conficit nobis. Item Rom.8.v.18. Statuo non esse paria quæ præsenti tempore perpetimur, futuræ gloriæ in nobis retegendæ. Præterea consolemur nos á crucis utilitate: quippe quod per eam fides nostra exploratur: quæ ubi proba & constans fuerit reperta, res illa nobis cedit in laudem & gloriam & honorem.

Ex v.8. *Quem quum non videritis, &c.* Homo Christianus nitens verbo Dei, credit in Christum: etiamsi illum videre nondum contigit, quia certó persuasus est, se illum aliquando visurum, & æternis gaudiis unâ cum ipso fruiturum. Confer 1.Joh.3.v.2. Joh.17.v.24. & cap.20.v.29. Hebr.11.v.1. ubi fides dicitur esse ἔλεγχος οὐ βλεπομένων.

Ex eodem versu, ex verbis: *Quem diligitis.* Qui veré in Christum credit, is eundem diligit. Qui autem Christum diligit, is servat mandata ipsius, ac proinde diligit & fratres: Joh.13.v.34. Quare qui fratres non diligit, is vera fide caret.

Ex eodem versu: *Credentes exultatis gaudio.* Vera fides ex se parit gaudium spirituale. de quo plura diximus ad v.3. ad verba: *Spem vivam.*

Ex v.9. Reportantes mercedem fidei, &c. Cavendum ne his verbis abutamur ad concipiendum vel confirmandum errorem de nostris meritis, quasi scilicet vitam æternam nostra fide aut operibus mereamur. Nam vita æterna nominatur merces fidei non propriè loquendo, quippe quum fides sit donum Dei. Sed per metaphoram, quia plena possessio ac fruitio vitæ æternæ dabitur credentibus in vespera hujus mundi, postquam in vinea Domini sedulò laboraverint, & crucem patienter toleraverint: sicut merces operariis dari solet vesperi post labores peractos: quemadmodum monet Dominus per parabolam de operariis in vineam conductis, Matth.20. Dabitur autem hæc merces ex gratia: sicut eâdem parabola docet Christus, quum narrat ultimis æquè datum esse denarium ac primis: & patrem familiâs dixisse murmurantibus primis, *An non licet mihi quod volo facere in meis: an oculus tuus malus est, quia ego bonus sum?*

Ex v.10. & deinceps. *De qua salute, &c.* Non est præstantior doctrina sub cœlo, quám doctrina Euangelii: idque propter has rationes quas hoc loco indicat Petrus. Nempe primó, quia est doctrina de salute animarum. Secundó, quia de illa salute cujus rationem Euangelium tradit, magno studio inquisiverunt & scrutati sunt sancti Prophetæ, & ad illam pertinentia per spiritum Christi prædixerunt. Tertió, quia sancti Apostoli magno studio Euangelium prædicarunt: & hanc ad rem instructi fuerunt singularibus donis Spiritus sancti: ut dono linguarum, dono miraculorum, intelligentia scripturarum Propheticarum, libertate loquendi & alacritate adeundi pericula atque perpetiendi supplicia propter hanc doctrinam. Quartó, quia tanta est hujus doctrinæ sublimitas ac pulchritudo & suavitas, ut ipsi quoq; sancti Angeli desiderent in mysteria illa introspicere, ac penitiús ea cognoscere. Admirantur enim haud dubié summam illam Dei sapientiam quæ per Euangelium revelatur: sapientiam inquam Dei in procuranda salute Electorum per Christum. Cujus quidem sapientiæ multiplex est ratio:

ut quòd genus humanum tale condidit, ut posſit labi in peccatum: quod lapsum permisit, ut haberet materiam exercendę tum justitię in puniendis reprobis, tum misericordiæ in salvandis electis: quòd ad salvandum electos hominem fieri voluit filium unigenitum, ut ita frater illorũ ac sponsor pro illis factus satisfaceret pro eis justo judicio ipsius, perpetiendo pœnam illis debitam: quòd in persona Filii voluit pati Deum, impatibili tamẽ permanente deitate: quòd in persona ejusdem voluit adorari hominẽ absque idololatria, salvo scilicet honore deitatis. Hęc & similia Euangelii mysteria meritò etiam sanctos Angelos in admirationẽ rapiunt. Atq; hinc est quòd Euangelii doctrina passim mysteriũ regni Dei appellatur, quodq; hęc Dei sapientia valdè extollitur: ut Marc. 4. ait Christus Apostolis: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei. Matt. 11. v. 25. Christus de doctrina Euangelii loquens ait: Celebro te Pater, domine cœli & terræ, quòd absconderis hæc à sapientibus, &c. Rom. 16. v. 25. Paulus Euangelium nominat revelationem mysterii temporibus secularibus taciti. Sic. 1. Cor. 2. v. 7. Euangelium cõmendat his verbis: Loquimur sapientiam Dei in mysterio, occultam illam, quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram &c. Et ejusdem epist. c. 4. v. 1. Sic de nobis reputet homo, ut de ministris Christi & dispensatoribus mysteriorũ Dei. Sic Eph. 3. v. 4. cõmemorat suam intelligentiam in mysterio Christi. Et ejusdem epistolę ca. 6. v. 19. vult pro se orari, ut detur sibi sermo ad apertionem oris sui cum libertate, ut notum faciat mysterium Euangelii. Sic Col. 1. v. 26. sermonẽ Dei (id est, Euangelium) vocat mysterium absconditum á seculis &c. Et c. 2. v. 2. doctrinam Euangelii vocat mysterium Dei & patris & Christi. Et c. 4. v. 3. vult pro se orari, ut Deus aperiat sibi ostium sermonis, ut loquatur mysterium Christi.

Ex iisdem versibus. Melior est cõditio nostra in novo testamento, quàm fuit illorum qui vixerunt sub testamento veteri. Illi enim Christum venturum & opus redemtionis peracturum, ex vaticiniis Prophetarum cum desiderio expectarunt: nos verò eundem venisse & opus redemtionis peregisse, ex Apostolica Euangelii prædicatione scimus. Atque hoc nomine Christus ipse beatos prædicat Apostolos Matt. 13. v. 16. & 17. item Luc. 10. v. 23. & 24.

Ex v. 11. Quum Spiritus sanctus appelletur hîc Spiritus Christi: consequens est, eum non minùs á Filio quàm á Patre procedere seu emanare, ἐκπορεύεσθαι.

Ex eodem versu. Quum Spiritus sanctus Prophetis revelaverit longe-post-futura: consequens est, ipsum esse verum Deum.

Ex v. 11. & 12. Euangelium duo potissimùm de Christo annuntiat, perpessiones & consecutam gloriam. quarum illas sustinuit ut populi Dei sacerdos: hanc adeptus est ut populi Dei rex. Hæc duo ipse quoque Christus conjungit Lucæ 24. vers. 26. quum duobus discipulis in Emmaus euntibus dicebat: Nónne hæc oportuit pati Christum, & introire in gloriam suam?

Ex v. 13. & deinceps notandæ sunt aliquot causæ quibus fideles moveri debent, tum ut perpetuò vigilent & adventum Christi cupidè exspectent: tum ut Deo tanquam patri obediant & sanctitati studeant. Nempe primùm, quia acceperunt á Deo promissionem salutis atq; gloriæ cœlestis ex gratia propter Christum donandæ. hęc causa notatur conjunctione syllogistica, διὸ, id est, *Quapropter*, in principio vers. 13. quasi dicat, Quia igitur (ut monui) servatur vobis hæreditas in cœlis, sup. v. 4. & salus parata est patefi-

eri tempore ultimo, v. 5. & salus animarū vobis reposita est tanquā merces fidei, v. 9. idcircó succincti lumbis mentis vestræ, sobrii, integré sperate &c. Deinde quia præditi sunt cognitione voluntatis Dei. hæc causa notatur v. 14. ubi ait, Ne conformetis vos pristinis quæ in ignorantia vestra viguerunt cupiditatibus. Confer Rom. 13. v. 12. & 13. Eph. 5. v. 8. & deinceps. 1. Thess. 5. v. 4. & deinceps. 1. Joh. 2. v. 8. & 9. Tertió, quia Deus pater ipsorum sanctus est. hæc causa indicatur v. 15. 16. & 17. Quartó, quia Deus pios præmiis æternis donabit, impios verò æterno exitio puniet. hæc causa notatur v. 17. ubi ait, Deum citra personarum respectum judicare ex cujusq; opere. Quintó, quia fideles in hoc mundo sunt advenæ seu hospites, peregrinantes á Domino ac tendentes in cœlum tanquam patriam. hæc causa significatur v. 17. ubi præsens vita fidelium nominatur παροικία. Sextó, quia redemti sunt ex potestate diaboli, pretioso sanguine Christi, idque ex mera Dei gratia citra omne suum meritum: quippe quum Christus ad hoc sit præordinatus ante jacta fundamenta mundi. hæc causa exprimitur v. 18. 19. & 20. Septimó, quia per Christum donati sunt fide ac spe vitæ æternæ. hæc causa indicatur v. 21.

Ex v. 18. & 19. Pretium redemptionis quo redempti sumus é potestate diaboli & vindicati in libertatem filiorum Dei, est sanguis Christi, quatenus cum sensu iræ Dei adversus nostra peccata effusus est, quum Christus tanquam agnus jugularetur, id est, crucifigeretur. Hinc efficitur, per illam sanguinis illius effusionem expiata esse nostra peccata, remissionemque eorum (quæ est justitia qua consistimus coram Deo) nobis partam. unde porró efficitur, passionem illam Christi esse eam rem quæ nobis ad justitiam á Deo imputatur. Confer Rom. 3. v. 24. & 25 & cap. 4. v. 25. & cap. 5. v. 9. & 10. Gal. 3. v. 13. & 14. Ephes. 1. vers. 7. Heb. 9. v. 11. & deinceps, & cap. 10. vers. 5. & deinceps.

Ex iisdem versibus. Pretiositas sanguinis Christi in nobis redimendis, pendet á dignitate personæ: ut quæ est sancta omnisque peccati expers. quam sanctitatem hic significat Petrus, quatenus Christum cōparat agno Legali, qui Christum præfigurabat, quemq; oportebat omnis vitii esse expertem. qua de re vide Exod. 12. v. 5. Sed insuper sciendum, vim pretii sanguinis illius pendere inprimis á sanctitate naturæ divinæ in Christo: quia nimirum sanguis ille est sanguis non tantúm sancti atque innocentis hominis, sed sanguis ipsius Dei: sicut nominatur á Paulo Act. 20. v. 28. ubi ait, Deum proprio sanguine Ecclesiam acquisivisse.

Ex v. 19 ex verbis: *Tanquam agni immaculati* &c. Agnus paschalis fuit typus Christi, ac proinde sacramentum seu testimonium divinum remissionis peccatorum comparandæ per mortem Christi. Idem significabat & Johannes Baptista, quum Christum digito demonstrans diceret, Ecce agnus ille Dei qui tollit peccatum mundi. Item Johannes Apostolus, quum Euangelicæ suæ historiæ capite 19. ait in Christo impletam esse scripturam illam, Ne frangatis ei os. Nec non Paulus 1. Corint. 5. ubi ait, nos quoque habere pascha nostrum pro nobis immolatum, nempe Christum. Eandem rationem habebant solennes illæ victimæ quas in festo expiationis offerebat summus sacerdos: sicut docet Apostolus Hebr. 9. & 10.

Ex v. 20. Quemadmodum ipsa salus, ita etiam media ad illam nobis comparandam necessaria, á prædestinatione Dei pendent. Sicut hoc loco expressé dicitur, Christum prædestinatum esse ante jacta fundamenta

mundi, videlicet ad fungendum officium mediatoris & salutem æternam nobis acquirendam. Et sic intelligenda quoq; sunt verba Pauli Eph. 1. v. 4. ubi ait, Deum elegisse nos in Christo ante jacta fundamenta mundi, id est, (ut ipse mox declarans loquitur v. 5.) prædestinasse nos in adoptionem filiorum per Christum: ut nimirum per hunc tanquam mediatorem adoptionem illam ac inde dependentem hæreditatem seu salutem æternã nobis conferret. Quare gratuitam Dei bonitatem, exclusis nostris meritis, in toto salutis nostræ negotio agnoscamus ac prædicemus.

Ex eodem versu, ex verbis: *Patefactis verò ultimis temporibus.* Si quis quærat cur Christus non citius patefactus sit, sed ultimis demum mundi temporibus; respondendum, id factum esse, quia Deus ita decreverat: id quod significat Paulus Gal. 4. v. 4. ubi ait, Quum venisset τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, id est, complementum temporis (à Deo scilicet prædestinati) Deum emisisse filium suum &c. Cur autem ita decreverit, non decet nos inquirere: quum non sit patefactum in Scriptura.

Ex v. 21. ex verbis, *Qui per eum creditis Deo.* Christus servator noster est non solum suo merito, de quo suprà v. 18. & 19. sed etiam efficaciâ: quia per eum credimus: id est, quia ipse in nobis efficit fidem quâ meritum in verbo Euangelii oblatum amplectimur nobisque applicamus.

Ex eodem versu, ex verbis, *Qui excitavit eum* &c. Fides remissionis peccatorum per mortem Christi partę confirmatur ex fide resurrectionis ejus: quippe quę evidens argumentum est placationis Dei. nisi enim Deus Christo ac propter illum nobis fuisset placatus, in quem pro nobis morientem effuderat omnes fluctus iræ suæ adversus nostra peccata: non excitasset eum ex morte ad vitam & gloriam æternam. Hunc sensum habet quod ait Paulus Rom. 4. v. ult. Christum excitatum esse ad justificationem nostri videlicet testificandam. Huc etiam pertinet illud 1. Cor. 15. Si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris.

Ex v. 22. ex verbis, ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας. Fides est obedientia veritatis: id est, qua obeditur veritati, videlicet Euangelii quatenus nimirum obeditur mandato Dei quo jubet credere in Christum, & quatenus creditur testimonio Euangelii quo testatum sit, quòd Deus credentibus in Christum remittat peccata, eosque paterno favore complectatur.

Ex eodem versu, ex verbis: *Animabus vestris castificatis per obedientiam veritatis ad amorem fratrum.* Ex fide nascitur dilectio tum Dei, tum proximorum ac inprimis filiorum Dei. Quarum illa hîc notatur per castificationem animarum, ista verò per φιλαδελφίαν. Nam qui Deum veré diligit, is animo suo caste illi adhæret, eumque solum ex ipsius præscripto colit, contrâque omnem idololatriam, tamquam spiritualem scortationem fugit. Item qui Deum veré diligit, is etiam propter Deum diligit proximum, ac inprimis fratres, id est domesticos fidei & filios Dei: ut nimirum Deum honoret, qui hanc dilectionem præcepit.

Ex eodem versu, ex verbis: *Ad amorem fratrum simulationis expertem,* &c. Dilectio proximi ac inprimis fratrum, id est, filiorum Dei seu fidelium, debet esse expers simulationis seu fictionis, debet proficisci ex puro corde, deniq; debet esse intensa. Confer 1. Johan. 3. v. 18. Ne diligamus verbo, &c. Item Jac. 2. v. 15. & 16. Si frater aut soror nudi fuerint, &c.

Ex v. 23 & 25. Euangelium est instrumentum quo Deus regenerat electos & corda eorum vivificat. Regenerat autem, quatenus & mentes illustrat cognitione voluntatis Dei de salute nostra per Christũ, & voluntates

flectis

flectit ad assensum testimonii gratiæ & fiduciam in gratia Dei propter Christum acquiescentem, & deniq; corda accendit dilectione Dei & serio studio ei placendi ac proinde obsequendi illi secundum omnia ipsius mãdata. Vivificat autem corda, quatenus eis gustandum præbet favorem paternum Dei quo ipsos in Christo complectitur. Quare Euangelium magni faciamus ac studiosé audiamus: ut ita in novo homine ad quem regeniti sumus, crescamus atque adolescamus usque ad plenam mensuram adulti Christi. Eph. 4. 13.

Ex eodem versu, ex verbis: *Non ex semine corruptibili* &c. Semen verbi gratiæ seu Euangelii quum semel in corda receptum est & radices egit, non interit, sed manet in æternum. unde efficitur, veram fidem nunquam amitti aut penitus exstingui. Etsi autem interdum languescat, & vel sub cineribus securitatis carnalis sepeliatur, vel mole tentationum spiritualium supprimatur: Tandem tamen rursus emergit ac in flammam erumpit: ut, perspicere est in exemplo Davidis, Psalm. 51. & 73. Huc pertinet illa promissio: Linum fumigans non exstinguet, & calamum quassatum non confringet: Esa. 42. 3.

Ex v. 24 Homo á natura est caro & gramen: id est, infirmus ad comparandum sibi veram ac solidam felicitatem. Et gloria ejus est ut flos graminis. nam ratio qua cæteras animantes antecellit, excogitat quidem varias felicitatis vias, in iisque ad tempus sibi placet: sed tandem prorsus evanescit. Quare hanc naturæ nostræ infirmitatem agnoscentes, humiliemus nos coram majestate Dei, ejusque gratiam imploremus.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

In hoc capite primúm pergit in instituta exhortatione generali seu communi & ad omnes credentes pertinente, ad studium scilicet sanctè vivendi, usque ad v. 13. Deinde subjungit exhortationes speciales ad obedientiam erga superiores, reliqua parte capitis.

DE PRIORE PARTE.

PRoinde deposita omni malitia & omni dolo & simulationibus & invidentiis, & omnibus obtrectationibus.

2 *Ut modó nati infantes, lac illud sermonis sincerum expetite, ut per illud adolescatis:*

3 *Si quidem gustastis quód bonus sit Dominus.*

4 *Ad quem accedentes, qui est lapis vivus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum verò electus ac pretiosus:*

5 *Ipsi quoque veluti vivi lapides, ædificati, fiatis domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias, acceptas Deo per Jesum Christum.*

6 *Quapropter etiam continetur in Scriptura, Ecce pono in Sion lapidem in imo angulo, electum, pretiosum: in quem qui credit, nequaquam pudefiet.*

7 *Vobis igitur est pretium qui creditis: immorigeris verò, lapis quem reprobaverunt*

reprobaverunt ædificantes, hic factus est caput anguli, & lapis ad quem impingitur & petra offendiculi.

8 Nempe *iis qui impingunt ad sermonem, immorigeri: ad quod etiam positi fuerunt.*

9 *Vos autem* estis *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus quem* sibi Deus *ut proprium vendicat: ut virtutes prædicetis illius qui vos vocavit é tenebris in admirabilem suam lucem.*

10 *Qui quondam* eratis *non populus, nunc autem* estis *populus Dei: qui eratis non consequuti misericordiam, nunc autem estis misericordiam consequuti.*

11 *Dilecti, precor ut tanquam inquilini & advenæ abstineatis á carnalibus cupiditatibus, quæ militant adversus animam.*

12 *Et conversationem vestram habeatis honestam inter Gentes: ut pro eo quód obtrectant vobis velut maleficis, ex bonis operibus* vos *considerantes, glorificent Deum die visitationis.*

PRimúm dehortatur á vitiis charitati fraternæ (ad quam sub finem capitis præcedentis hortatus fuerat) contrariis, v. 1. Deinde hortatur ad studium proficiendi é sermone Euangelii in fide & sancta vita, v. 2. 3. 4. & 5. Hanc autem hortationem primúm illustrat similitudine, qua sermonẽ Euangelii comparat lacti materno, ipsos veró infantibus recens-natis; studium autem proficiendi comparat desiderio lactis materni quale conspicitur in infantibus; denique ipsum profectum comparat incremento quo infantes lacte alti crescunt atque adolescunt. Sententia igitur est. Quemadmodum infantes recens nati magno desiderio expetunt lac matris, eoque lacte alti crescunt atque adolescunt: ita vos magno desiderio expetite sermonem Euangelii (quippe ex quo non ita pridem estis regeniti, suprá 1. 23) ut per illum crescatis atque adolescatis in fide & sancta vita. Simul autem istam hortationem confirmat á sermonis Euangelii tum præstantia tum suavitate. Præstantiam significat, dum eum vocat lac ἄδολον, sincerum, ac proinde salubre. Suavitatem veró indicat, quum ait: *Siquidem gustastis quód benignus sit Dominus.* quibus verbis significat, sermonem Euangelii esse longe-suavissimum, ut qui testetur de Domini nostri Jesu Christi erga nos gratia, eamque nobis gustandam præbeat. Deinde hortationem institutam illustrat duabus aliis similitudinibus: quarum prior pertinet ad partem illius priorem quæ est de profectu in fide: posterior ad posteriorem, quæ est de profectu in sancta vita. Priore similitudine Christum comparat lapidi fundamentali: ipsos veró lapidibus qui lapidi fundamentali superstruuntur, versu 4. & 5. Hortatur autem ut super hunc lapidem magis magisque ædificentur: id est, ut per fidem magis magisq; cum eo conglutinentur atque coalescant. Et hanc hortationem simul confirmat argumentis duobus: quorum unũ est á pari, videlicet á vocationis initio, quod significat quum ait, *eos jam ad Dominum accessisse*, id est, fide eum recepisse atque ita super eum ædificari cœpisse. quo ipso innuit, pari ratione deinceps in cœpta vocatione pergendum. Alterum argumentum est á Christi quem fide receperant, præstantia: ut qui sit *lapis vivus, apud Deum electus ac pretiosus.* quam sententiam amplificat prolepsi falsi judicii incredulorum Judæorum á quibus iste lapis reprobabatur. Posteriore similitudine comparat eos sacerdotibus, sancta veró opera hostiis, ubi ait, *Sacerdotium sanctum* &c. Sententia est: Sicut sacerdotum officium fuit,

offerre

offerre Deo hostias corporales in Lege præscriptas : ita vos offerte Deo hostias spirituales, id est, sancta opera in Lege præcepta. Et hanc quoque exhortationem simul confirmat duobus argumentis. Primum est similiter ut in exhortatione præcedenti, â pari, videlicet initio vocationis : quod innuit quum eos nominat *sacerdotium sanctum* : qua appellatione significat eos á Deo vocatos esse & per Spiritum sanctum consecratos ad ipsum sanctè colendum. Alterum argumentum est ab utili effectu, ubi ait, *Spirituales illas hostias esse Deo acceptas*: quo innuit, Deum sancta opera remuneraturum. Simul autem occurrit opinioni proprii meriti, quum ait, hostias illas Deo acceptas esse *per Jesum Christum*. hoc est, propter Jesum Christum, quatenus nimirum ex fide in illum proficiscuntur. Porró quod dixerat de Christo, eum esse lapidem fundamentalem Ecclesiæ, cui credentes superstruantur ut fiant domus spiritualis : deinceps v. 6. & 7. confirmat testimoniis duobus Scripturæ : quorum prius habetur Esa. 28. v. 16. posterius psal. 118. v. 22. Ac apud Esaiam Deus incredulitati Judæorum nolentium pendere á promissionibus ipsius, & vanæ fiduciæ qua confidebant præsidiis humanis, opponit immotum suum decretum de conservatione Ecclesiæ per solum Christum, ut in quo tanquam lapide angulari pretiosissimo Ecclesiam fundaverit. Simul autem in verbis quæ ex Prophetâ citantur, continetur argumentum pertinens ad confirmandum propositam exhortationem : quod sumptum est ab utili eventu : ubi scilicet Deus promittit, *non pudefactum iri qui Christo crediderit*. Hoc testimonio recitato, accommodat ipsum ad Judæos credentes in principio versus septimi, ubi ait. *Vobis igitur pretium* (id est, pretiosus est ille lapis nempe Christus) *qui creditis*. Deinde occurrit scandalo quod nascebatur ex incredulitate reliquorum, atque ea occasione recitat alterum testimonium ad confirmandam sententiam de Christo propositam, reliqua parte versus septimi. Testimonium illud sumtum est ex Psal. 118. v. 22. ubi exponitur decretum Dei tum de Davide constituendo rege populi Dei externo, tum de Christo per Davidem præfigurato, constituendo rege Ecclesiæ spirituali. Illud decretum exponitur his verbis, *Lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est caput anguli*, ubi & David & Christus comparatur lapidi angulari ac fundamentali: regnum Davidis itemq; regnum Christi, ædificio : hostes Davidis in aula Saulis, itemque hostes Christi, scribæ & Pharisæi, comparantur structoribus. Porró hujus testimonii recitatione duo agit Petrus. partim enim confirmat sententiam antea vers. 4. pronuntiatam de Christo, quód is sit lapis vivus &c. partim verò occurrit scandalo quod oriebatur ex incredulitate maximæ partis Judæorum, ac inprimis scribarum & Pharisæorum. Istud igitur scandalum hîc tollit commemoratione prophetiæ Davidis : ut significet, non debere ipsos ista incredulitate Judæorum offendi tanquam re inopinata : quum jam olim per Davidem ex afflatu Spiritus sancti sit prædicta. Ad quod ipsum confirmandum annectit & alterum vaticinium ex Esa. 8. v. 14. Deinde idem illud scandalum tollit commemoratione voluntatis Dei : in qua nimirum tanquam justa & sancta omnibus piis est acquiescendum. hoc significat v. 8. ubi ait, incredulos illos, *qui ad sermonem Euangelii offendunt, ad hoc ipsum esse positos*, id est, á Deo prædestinatos. Tum v. 9. per antithesin redit ad Judæos credentes ad quos scribit : eosque ad studium sanctæ vitæ, ac nominatim ad laudationem Dei, hortatur commemoratione duorum maximorum beneficiorum Dei, electionis ad vitam æternam & vocationis efficacis. Electionem indicat his verbis :

Vos autem estis genus electum. Vocationem verò illis, *Regale sacerdotium, gens sancta*, &c. quæ quidem verba mutuatur Petrus ex Exod. 19. 1. 5. & 6. Porrò vocationem describit é duobus terminis inter se oppositis: ubi ait, *Qui vos vocavit é tenebris in admirabilem suam lucem.* Terminus igitur á quo, sunt tenebræ: id est, ignoratio Dei & mysterii salutis. Terminus ad quem, est lux illa Dei admirabilis, hoc est, cognitio Dei & mysterii salutis. Præterea vocationem illam Judæorum illustrat & simul confirmat v. 10. verbis prophetæ Hoseæ: ubi Deus promittit, se populi Israëlitici propter idololatriam ad tempus rejecti, tandem iterum miserturum. His ita expositis, exhortationem institutam renovat: ac primùm dehortatur ab operibus malis, v. 11. deinde hortatur ad opera bona, v. 12. Opera mala significat ex causa procreante, quæ sunt *cupiditates carnis*, id est, quæ ex carnali generatione singulis sunt insitæ & in carne seu corpore sese exserunt. Ab his dehortatur duplici argumento. primùm quód ipsi in hoc mundo sint *inquilini & advenæ seu peregrini*: quo significat, eos patriam habere in cœlo: ac proinde rerum cælestium desiderio teneri eos oportere. Alterum argumentum sumitur ab effectu pernicioso, ubi ait, quód *cupiditates illæ militent adversus animam.* quibus verbis innuit, eos qui cupiditatibus carnis indulgent, periclitari de salute animarum. Porrò hortationem ad bona opera & conversationem seu vitam honestam confirmat duobus item argumentis: quod utrumque ab effectu utili ductum est. Prius est, ut ita redarguant falsa crimina Gentilium, bonamque famam apud illos tueantur: posterius, ut illi (exemplo videlicet ipsorum ad religionem Christianam conversi) *Deum glorificent.* Ne autem hunc effectum adscribant propriæ virtuti, monet illum principaliter oriri ex *visitatione Dei*, videlicet gratiosa illa qua suo tempore electos suos efficaciter vocat.

DE POSTERIORE PARTE.

13 *Proinde subjecti estote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum: sive regi, ut qui superemineat:*

14 *Sive præsidibus, ut qui per eum mittantur tum ad ultionem maleficorum, tum ad laudem rectè agentium.*

15 *Quoniam ita est voluntas Dei, ut bene agendo, os obstruatis amentium hominum ignorantiæ:*

16 *Ut liberi, ac non veluti malitiæ velamen habentes libertatem, sed ut servi Dei.*

17 *Omnes honorate. fraternitatem diligite. Deum timete: Regem honorate.*

Hic incipit tertiæ epistolæ pars.

Deinceps instituit exhortationes speciales: ac primùm hortatur subditos ad obedientiam erga magistratus, usque ad v. 18. deinde hortatur famulos ad obedientiam erga heros, usque ad finem capitis. Priorem hortationem proponit his verbis, *Subjecti estote cuivis humanæ ordinationi.* Deinde sententiam hanc illustrat distributione, inquiens, *Sive regi*, &c. ubi distribuit magistratus in superiores & inferiores; & simul causas exponit, cur utrisque parendum sit. Porrò hortationem hanc confirmat quatuor argumentis. primùm ab authore magistratuum, qui est Dominus sive Deus, ubi ait, *Propter Dominum.* Deinde ab effectu inutili inobedientiæ, ubi ait, *præsides per regem mitti ad ultionem maleficorum.* Tertió ab effectu utili obedientiæ, ubi ait, *eosdem mitti ad laudem recte-agentium.* Quartó ab alio effectu utili obedientiæ ac omnino sanctæ atque honestæ vitæ, qui effectus est

redargutio

redargutio maledicorum, ubi ait, *Quoniam ita est voluntas Dei, ut bene agendo capiatis retia amentium hominum ignorantiam.* Postea occurrit objectioni: quæ est; Sumus liberi, videlicet liberati per Christum: Non igitur tenemur servire hominibus: sed licet nobis agere quodlibet. Petrus negat consequentiam: quatenus concedit, eos esse quidem liberos: veruntamen negat libertate illa abutendum pro velamine malitiæ: item quatenus affirmat, eos esse servos Dei. quo significat, & sanctè eis vivendum, & magistratui obediendum: quoniam utrumque Deus præcepit. Postremò hortationem hanc concluſurus, interspergit hortationes quasdam alias, ut in textu patet, v. 17. Atque hæc de exhortatione speciali prima.

18 *Famuli, subditi estote cum omni timore heris, non solùm bonis & æquis, sed etiam pravis.*

19 *Hoc enim gratiosum est, si quis propter conscientiam Dei, suffert molestias injustè afflictus.*

20 *Quæ enim est gloria, si quum peccantes colaphis cædimini, toleratis? sed si cùm benefacitis, tamen afflicti toleratis, hoc est gratiosum apud Deum.*

21 *Nam ad hoc etiam vocati estis, quoniam & Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplar, ut insequeremini vestigia ipsius.*

22 *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ipsius.*

23 *Qui convitiis affectus, non vicissim convitiabatur: quum malis afficeretur, non minabatur: sed committebat* causam suam *ei qui justè judicat.*

24 *Qui peccata nostra ipsemet sursum tulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, justitiæ viveremus: cujus vibicibus sanati estis.*

25 *Nam eratis velut oves errantes: sed conversi nunc estis ad pastorem illum & curatorem animarum vestrarum.*

Sequitur exhortatio specialis secunda, qua hortatur famulos ad obedientiam erga heros: ac nominatim ab illis requirit timorem, ut scilicet sollicitè caveant ne præter officium agendo heros offendant. Hanc hortationem amplificat distributione per collationem imparium, idque per prolepsin falsæ opinionis, quasi obedientia non debeatur heris pravis. præcipit igitur, *ut subditi sint heris, non solùm bonis & æquis, sed etiam pravis*: v. 18. Deinde institutam hortationem confirmat, eâdemque opera eos contra injurias herorum consolatur, v. 18. & deinceps. Idque primùm ab effectu utili, quia tolerantia illa injuriarum quibus afficiantur propter conscientiam Dei (id est, propterea quòd Deo bonâ conscientiâ servire studeant, ac proinde fidem Christianam profitentur) Deo grata sit: quo innuit, Deum tolerantiam illam remuneraturum, v. 19. Hoc argumentum repetit illustratum á contrario, v. 20. ubi injuriis, id est, plagis immeritis opponit plagas meritas: quarum tolerantiam laudi esse negat. Deinde addit argumentum consolationis secundum: quod sumtum est â primario illarum injuriarum authore: non quidem quatenus injuriæ sunt, sed quatenus exercitia fidei seu probationes: ubi ait, *Nam ad hoc vocati estis.* quibus verbis significat, Deum vocasse Christianos omnes ad tolerantiam injuriarum, ac proinde has illis immittere, fidei ipsorum exercendæ ac probandæ causa. Tum annectit argumentum tertium, quod sumtum est ab exemplo Christi, ubi ait: Quoniam & Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplar, &c. Hoc exemplum amplificat primùm á fine seu scopo patientis, ubi ait, *Passus est pro vobis.* id est, injurias sibi illatas patienter sustinuit, idque propter vos: nimirum ut relinqueret vobis exemplar: sicut

sequentibus

sequentibus verbis declaratur. Deinde idem exemplum amplificat collatione dissimilium & imparium, ubi ait, vers. 22. *Qui peccatum non fecit*, &c. quasi dicat, Christus plané innocens fuit, & tamen injurias inimicorum patienter tulit: ergo multó magis vobis qui non prorsus innocentes estis, injuriæ herorum patienter tolerandæ sunt. Tum v. 23. injurias quas Christus pertulit, distributione quadam declarat, qua eas distribuit in injurias verborum & factorum: inquiens, Qui convitiis affectus, &c. Ipsam veró injuriarum illarum tolerantiam declarat partim negatione vindictæ privatæ, ubi ait: *Non vicissim convitiabatur*: item, *Non minabatur*: partim affirmatione expectationis vindictæ divinæ, ubi ait: *Sed committebat causam suam ei qui juste judicat.* Quibus postremis verbis continetur quartum consolationis argumentum: quod sumtum est á læto eventu: quia tandem futurum sit, ut Deus tanquam justus judex innocentiam eorum qui injustè affliguntur, asserat, eorundemque tolerantiam remuneretur: impios veró qui illos injustè afflixerunt, puniat. Hisce ita expositis, per occasionem digreditur vers. 24. in expositionem principalium finium passionis Christi: quos duos commemorat, expiationem peccatorum nostrorum, ubi ait, *Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*: & vitæ nostræ sanctitatem, ubi ait, *Ut peccatis mortui, justitiæ viveremus.* Videlicet virtute Spiritus sancti, quem Christus sua passione nobis impetravit. Porró utrumque hunc finem, tanquam effectum, accommodat specialiter ad servos quos consolatur, inquiens: Cujus vibicibus sanati estis, quasi dicat, per passionem Christi illos utrumque adeptos, videlicet & remissionem peccatorum, & naturæ instaurationem ad sanctè vivendum. Vibices autem nominatim commemorat, ut exemplum Christi specialiter accommodet ad servos qui a dominis flagellabantur, unde vibices reportabant. Monet igitur ut vibices exemplo Christi patienter tolerent. Versu ultimo effectum passionis Christi repetit, videlicet salutem per Christum: quam amplificat antithesi pristini status miseri, quum veluti oves errabant, exitio scilicet æterno obnoxii.

SCHOLIA IN CAP. II.

V. 2. *Lac illud sermonis.* τὸ λογικὸν γάλα. Pro eo quod est, τὸ γάλα τῦ λόγ. sicut suprá c. 1. 13. dixit τὰς ὀσφύας τ διανοίας. Respicit enim ad λόγον, id est, sermonem, cujus mentionem fecit pauló-anté, videl. cap. præced. v. 23. ubi illum comparaverat semini unde electi regenerantur: hîc autem eundem comparat lacti quo iidem regeniti aluntur. Quare τὸ λογικὸν hîc non est vertendum rationale: sicut Rom. 12. v. 1. ubi dicitur λογικὴ λατρεία, rationalis cultus. *Sincerum*, ἄδολον. in quo adulterando nullus interceßit dolus: sicut qui vendunt lac, interdum illud adulterant admixtâ aquâ. *Per illud.* εἰς αὐτό. id est, δι' αὐτό. Hebraïs. *Bonus.* χρηστὸς.

V. 5. *AEdificati fiatis domus.* οἰκοδομεῖσθε οἶκος. Ad verb. AEdificemini domus. id est, ita ut fiatis domus. vel, tanquam domus.

V. 6. *Continetur.* περιέχει. Pro, περιέχεται. Vel, περιέχει, continet, scil. ὁ θεός, Deus. quæ quidem phrasis est insolens. *Lapidem in imo angulo.* λίθον ἀκρογωνιαῖον. q.d. Lapidem extremangularem. *In quem qui credit.* καὶ ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ. Vel, Et qui confidit in eo.

V. 7. *Vobis igitur est pretium.* ὑμῖν οὖν ἡ τιμὴ. Id est, Ille igitur lapis de quo loquor, nempe Christus, vobis est pretiosus. τιμὴ pro ἔντιμος, per auxe-

sin.

fin. *Immorigeris verò.* ἀπειθοῦσι δὲ. Scilicet dictum est id quod sequitur, & alibi de hoc lapide est scriptum, videlicet Psalm.118.v.22. *Factus est caput.* ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν. Ad verb. Factus est in caput; pro quo Latini dicerent, Evasit in caput.

V.8. Ad sermonem. τῷ λόγῳ. Scil. Euangelii. *Positi fuerunt.* ἐτέθησαν. Id est, constituti & ordinati, nempe decreto Dei. Sic passim usurpatur verbum τιθέναι. ut Joh.15.v.16. Ego elegi vos & constitui vos ut, &c. ἔθηκα ὑμᾶς. Actor.13. v.47. Constitui te ut sis lux gentium, τέθεικά σε εἰς φῶς ἐθνῶν. 1.Thes.5.9. Nam non constituit nos Deus (οὐκ ἔθετο ἡμᾶς) ad iram, sed ad salutem, &c. Alibi utitur scriptura aliis vocibus, idem aut affine quid significantibus. ut in epistola Judæ vers 4. de hypocritis dicitur, οἱ πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρῖμα, jam olim ante-descripti ad hoc judicium. Roman.9.v.17. de Pharaone dicitur, Ad hoc ipsum excitavi te (ἐξήγειρά σε) ut ostendam in te potentiam meam &c. Et v.22. reprobi nominantur vasa iræ coaugmentata (κατηρτισμένα) ad interitum.

V.9. Populus quem sibi Deus *ut proprium vendicat.* λαὸς εἰς περιποίησιν. Ad verb. Populus in acquisitionem. id est, qui cedit Deo in acquisitionem seu possessionem. *Virtutes.* τὰς ἀρετὰς. ut misericordiam, sapientiam, potentiam. *Prædicetis.* ἐξαγγείλητε. Ad verb. Annuntietis. In eadem significatione verbo καταγγέλλειν usus est Paulus 1.Cor.11.v.26. in illo, mortem Domini καταγγέλλετε. *E tenebris.* ἐκ σκότους. Videlicet ignorantiæ & nequitiæ. *In lucem.* εἰς τὸ φῶς. Videlicet cognitionis Dei & sanctitatis. Confer similem locum Act.26.v.18.

V.11. Quæ militant adversus animam. αἵτινες στρατεύονται κατὰ τῆς ψυχῆς. Similis huic est illa sententia Pauli Roman.7.v.23. Video aliam legem in membris meis, rebellantem (ἀντιστρατευόμενον) legi mentis meæ. Item illa Jacobi cap.4.v.1. Unde bella & pugnæ inter vos? nónne hinc, ex voluptatibus vestris quæ militant (τῶν στρατευομένων) in membris vestris.

V.12. In die visitationis. ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς. Intelligit visitationem Dei gratiosam, quum scilicet electos suos efficaciter vocat per Euangelium. De tali visitatione loquitur & Zacharias pater Johannis Baptistæ, quum ait: Benedictus sit Dominus Deus Israël, quód inviserit & redemerit populum suum, Luc.1.v.68. Item Christus quum exprobrat urbi Hierosolymæ, quód non agnoverit tempus visitationis suæ, Luc.19.v 44.

V.13. Cuivis humanæ ordinationi. πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει. Id est, cuivis magistratui: ut declarat sequens distributio. Vocat autem magistratum κτίσιν, id est, creaturam: quo modo Latini dicunt, creare consulem. Humanam verò appellat, non quód magistratus homines authores habeat: sed quód homines eum gerant. *Propter Dominum.* διὰ τὸν κύριον. Id est, Ut honoretis Deum qui subjectionem istam vobis præcepit. *Regi.* Βασιλεῖ. Intelligit Cæsarem. huic enim tanquam summo magistratui provinciæ illæ in quibus isti degebant, erant subjectæ.

V.15. Os obstruatis. φιμοῦν. Verbum Græcum significat propriè os fiscella aut capistro obligare: ut quum dicitur, οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα, Non obligabis os bovi trituranti, 1.Cor.9.v.9. Hic per metaphoram significat ad silentium adigere. quâ metaphorâ usus est & Matthæus cap. 22.v.34. quum ait de Christo, ὅτι ἐφίμωσε τοὺς Σαδδουκαίους, quód os occluserit Sadducæis. Hinc φιμοῦσθαι est obmutescere: ut in eodem capite v.12. de eo qui rogatus fuit cur non haberet vestem nuptialem, dicitur, ἐφιμώθη, obmutuit. *Os obstruatis amentium hominum ignorantiæ.* Id est, amentibus

tibus hominibus qui ex ignorantia Euangelii vobis obtrectant velut maleficis. Hypallage quædam.

V. 17. *Fraternitatem.* τὴν ἀδελφότητα. Id est, totam multitudinem fratrum. Sic infrá 5. v. 9. Ad eundem modum Latini nominant Nobilitatem pro nobilibus. *Regem.* τὸν βασιλέα. Id est, Cæsarem. ut suprá v. 13.

V. 19. *Gratiosum.* χάρις. Ad verb. Gratia. *Est gratia*: id est, conciliat gratiam, videlicet apud Deum: ut ait versu sequente. Est metonymia effecti: qualis in illo, Roman. 7. vers. 7. *Lex peccatum est?* id est, num Lex efficit peccatum? *Propter conscientiam Dei.* διὰ συνείδησιν θεοῦ. Id est, propter cultum Dei ex pura conscientia profectum. Metonymia efficientis.

V. 20. *Quæ enim est gloria.* ποῖον γὰρ κλέος. Quasi dicat, Nulla. *Gratiosum.* χάρις. ut versu superiore.

V. 21. *Pro vobis.* ὑπὲρ ὑμῶν. Alii legendum censent, ὑπὲρ ἡμῶν, pro nobis: & mox pro ὑμῖν, vobis, legendum judicant ἡμῖν, nobis. Parum refert, utro modo legatur: veruntamen persona secunda magis convenit ei quod sequitur, ἵνα ἐπακολουθήσητε, ut insequeremini. Et sic paulo-póst duobus versibus ultimis, quod omnibus fidelibus commune est, ac proinde ad ipsum quoque Petrum pertinebat, accommodat tamen ad personam eorum ad quos scribit, ubi ait, Cujus vibicibus sanati estis: nam eratis velut oves, &c.

V. 24. *Sursum tulit.* ἀνήνεγκεν. Id est, ἄνωσε ἤνεγκεν. Respicit ad verba Esaiæ, Morbos nostros ipse portavit, & dolores nostros bajulavit, cap. 53. v. 4. Sic & Johannes Baptista dicebat, Ecce agnus Dei qui tollit (seu portat, μετωνυμικῶς) peccatum mundi. *In corpore suo.* ἐν τῷ σώματι. Atque etiam in anima, & quidem in hac præcipué: atque adeó in natura sua humana tota. Synecdoche membri. Corporis autem expresé fit mentio, quia fit mentio ligni, id est crucis, cui illud affixum fuit. *Super lignum.* ἐπὶ τὸ ξύλον. Super lignum illud. videlicet crucem illam cui affixus est, ubi propter nostra peccata plenissimé sensit iram Dei, atque ita illa expiavit. Articulus habet vim demonstrandi: & lignum pro cruce lignea dicitur per metonymiam materiæ. *Peccatis.* ταῖς ἁμαρτίαις. Dativo casu: quo hîc notatur res cui aliquid adimitur: ut quum dicitur, Abstulit mihi. *Mortui.* ἀπογεγόμενοι: id est, ἀποθανόντες. ut loquitur Paulus Roman. 6. versu 10. ἀπογίνεσθαι, hîc est é medio tolli: quasi dicas defieri, significatione ea qua hoc verbum opponitur verbo Fieri, sicut nimirum ἀπογίνεσθαι opponitur τῷ γίνεσθαι: é medio tollere; quod usurpari solet de facinorosis quum supplicio capitis afficiuntur. *Justitiæ viveremus.* τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν. Pro hoc dicit Paulus Roman. 6. v. 11. Deo vivere. *Cujus vibicibus.* ᾧ τῷ μώλωπι αὐτοῦ. Ad verb. Cujus vibice ejus. Pleonasmus Hebraicus: & enallage numeri. *Sanati estis.* ἰάθητε. Esa. 53. v. 5. unde hæc sententia depromta est, legitur in persona prima, *Curatio facta est nobis.* Sed Petrus generalem sententiam specialiter applicat iis ad quos scribit. Singulari autem dexteritate istud accommodat ad servos, ut eos consoletur contra vibices quas ex flagellationibus iniquorum herorum reportabant.

V. 25. *Nam eratis velut oves errantes.* Apud Esaiam cap. 53. vers. 6. Omnes nos ut ovis erravimus. Sed Petrus (ut dictum) applicat. *Curatorem.* ἐπίσκοπον. Ad verb. Inspectorem. A verbo ἐπισκέπτομαι, quod est, cum cura inspicere ac visitare. Et sic quos Latini vocant præfectos seu curatores, apud Hebræos nominantur פקידים pekidim, id est, visitatores.

OBSER-

OBSERVATIONES EX CAP. II.

Ex prima parte capitis, videlicet ab initio usque ad ℣. 13. notandæ sunt aliquot causæ, quibus fideles moveri atque impelli debent ad serium studium justitiæ, pietatis, sanctitatis & honestatis: videlicet istæ. I. quia regeniti sunt ex verbo Euangelii, ac proinde ad illud studium facultate instructi. hæc causa notatur ℣. 1. per conjunctionem syllogisticam οὖν, id est, igitur: ubi ait, ἀποθέμενοι οὖν. quasi dicat: Quum igitur sitis regeniti ex verbo Euangelii, quemadmodum modó admonui, superioris capitis tribus versibus ultimis: ergo deponite omnem malitiam, &c. II. quia ex verbo Euangelii gustarunt quód Dominus noster Jesus Christus sit benignus: debent igitur operam dare ut per serium verbi studium in fide proficiant, atque ita benignitatem Domini magis magisque gustent. hæc causa indicatur ℣. 2. & 3. III. quia cœperunt ædificari super Christum tanquam lapidem fundamentalem Ecclesiæ, nempe per fidem: ergo debent operam dare ut in fide proficiant, atque ita indies firmiús cum Christo coalescant, atque ita sint domus spiritualis, in qua Deus habitet suo spiritu. hæc causa indicatur ℣. 4. & initio quinti. IIII. quia á Deo electi & vocati sunt é tenebris ignorantiæ in lucem cognitionis Dei, ut tanquam sacerdotes Deo offerant hostias spirituales, id est bona opera: item ut tanquam reges imperent peccato: item ut tanquam populus quem sibi Deus ut proprium vendicat, quippe quem pretioso sanguine Filii unigeniti redemit, Deo serviant & virtutes illius prædicent. hæc causa exponitur ℣. 5. 9. & 10. V. quia bona opera fidelium Deo accepta sunt per Christum, ac proinde illorum remunerationem á Deo sperare habent. hæc causa indicatur in fine versus quinti. VI. quia fideles in hoc mundo sunt inquilini & advenæ, peregrinantes scilicet á Domino: quare non debent voluptatibus hujus mundi addicti esse, sed potiús á carnis cupiditatibus abstinere, ac per serium studium sanctitatis in cœlum tanquam patriam festinare. hæc causa indicatur ℣. 11. VII. quia cupiditates carnis militant adversus animam: cavendum igitur ne ab illis superati, salutem animæ perdamus. hæc causa indicatur in fine versus undecimi. VIII. quia honesta conversatione ora obthurantur maledicis, redarguunturque falsæ eorum criminationes quibus pios impetunt & traducunt. hæc causa significatur in principio versus 12. IX. quia bonis operibus fidelium nonnulli adducuntur ut sese convertant ad Deum, eumque glorificent. hæc causa indicatur in versus duodecimi fine.

Ex ℣. 2. ex verbis, *Ut per illud adolescatis.* Non est satis semel esse ex verbo Euangelii regenitum & fidem esse adeptum: sed oportet per idem verbum tanquam lac sincerum in fide ali atque adolescere, id est proficere. Atque in hac re imitandi sunt infantes recens nati, qui lac matris avidé expetunt.

Ex ℣. 4. 6. 7. & 8. Judicio mundi rejicientis Christum, opponendum est judicium Dei eundem approbantis, atque etiam reprobos ad hanc ipsam incredulitatem ordinantis. quod illius decretum quin justissimum sit, dubitare nefas est: licet nos illius justitiæ ratio lateat.

Ex ℣. 12. ex verbis, *Die visitationis.* Ut homo ad Deum convertatur, opus est gratiosa visitatione Dei: ut scilicet Deus virtute spiritus sui per verbum Euangelii in eo sit efficax, illuminando mentẽ cognitione sanctæ

voluntatis ſuæ,& cor flectendo ad obedientiam illius. Abſque hac Dei viſitatione nos ad proximum convertendum neque honeſtæ vitæ exemplo, neque fideli ex verbo inſtitutione quicquam profecerimus. Quare quicunque ad Deum converſi ſunt, gratioſam illam ipſius viſitationem gratis animis agnoſcant ac celebrent : & pro proximis orent, ut ſimiliter viſitentur.

Ex ℣. 13.14. & 15. Notanda ſunt quatuor argumenta quibus adduci debemus ad obedientiam præſtandam magiſtratui, ac proinde ad colendum juſtitiam civilem. Videlicet 1. *propter Dominum* : id eſt, ut honoremus Deum qui hanc obedientiam nobis præcepit. 2. Ut evitemus pœnas violatæ juſtitiæ civilis : quia magiſtratus conſtituti ſunt *ad ultionem malefi-corum*. 3. Ut á magiſtratu adipiſcamur laudem juſtitiæ ac proinde protectionem contra injuſtos : etenim magiſtratus conſtitutus quoque eſt *ad laudem rectè agentium*. 4. Ut redarguamus maledicta malevolorum & adhuc verſantium in ignorantia veritatis cœleſtis : id quod conſequemur *bene agendo*. Idem argumentum habetur ſuprá ℣. 12. Porró tria priora argumenta proponuntur etiam á Paulo Rom. 13. ℣. 1. & deinceps.

Ex ℣. 13. ex verbis, *Propter Dominum*. Magiſtratui eatenus obediendum quatenus ea præcepit, quibus agendis non offenditur Deus. Etenim obediendum eſt magiſtratui propter Deum, id eſt, ut honoremus Deum. Si quid autem ageremus quo Deus offenditur, ejuſmodi ſunt omnia quæ ipſe vetuit : tum eum non honoraremus, ſed contumelia afficeremus. Huc pertinet illud Petri Act. 5. Magis obediendum eſt Deo quám hominibus. & illud Chriſti Matth. 22. Date Cæſari quæ Cæſaris ſunt : & Deo quæ Dei ſunt.

Ex ℣. 16. Libertas Chriſtiana non huc ſe extendit, ut præſtet nos liberos ab obedientia erga magiſtratum, ac proinde ab oneribus civilibus quæ magiſtratus imponit : quia ſic liberati ſumus per Chriſtum á poteſtate diaboli, ut interim ſimus ſervi Dei : ac proinde tenemur obedire magiſtratui : quia Deus hoc nobis præcepit.

Ex ℣. 18. Obediendum eſt dominis etiam iniqua imperantibus : dummodo non mandent, quæ impia ſunt.

Ex ℣. 19. & deinceps. Notanda ſunt aliquot argumenta conſolationis contra injurias hominum iniquorum. Injuriæ igitur patienter ſunt tolerandæ : 1. quia iſta tolerantia grata eſt Deo : idque inprimis ſi injuriis afficiamur propter conſcientiam Dei, hoc eſt, propterea quód bona conſcientia ſtudemus Deo ſervire, confitentes doctrinam ſalutis nobis ab ipſo patefactam. hoc argumentum continetur v. 19. & 20. 2. quia ad hoc ſumus vocati, in principio v. 21. id eſt, quia tolerantia injuriarum pars eſt officii nobis á Deo injuncti : ut nimirum ita conformemur capiti noſtro Chriſto. 3. quoniam & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplar, ut inſequeremur veſtigia ipſius : reliqua parte v. 21. 4. quia non prorſus ſumus innocentes. nam etſi innocentes ſimus coram mundo, nec meriti ſimus apud homines ut nos oderint & malis nos afficiant : tamen non ſumus innocentes coram Deo : quippe apud quem meriti ſumus non ſolúm odium & perſecutionem hominum impiorum, ſed etiam æternam mortem. hoc argumentum innuitur v. 22. á diſſimili conditione Chriſti. 5. quia Deus juſtè judicat : ac proinde ſuo tempore innocentiam noſtram aſſeret, tolerantiámque injuriarum remunerabitur : injuſtos verò, niſi maturé reſipuerint, æternis pœnis ulturus eſt.

Ex

Ex v.24. Notandum quænam sit illa res qua Christus expiavit nostra peccata. Illa (ut Petrus hic docet) est passio Christi in cruce: quum scilicet Christus in cruce pendens sensit iram Dei adversus nostra peccata, quæ in se susceperat tanquam sponsor, ut pro illis judicio Dei satisfaceret. Huc verò etiam pertinent vibices quibus corpus Christi affectum fuit: istis enim (ut Petrus ait) nos sanati sumus, id est, salutem æternam adepti sumus. Interim tamen tenendum, principalem partem passionis Christi ad expiandum nostra peccata susceptæ, fuisse sensum illum iræ Dei, seu perpessionem cruciatuum infernalium: quam cognoscimus ex illa voce, Deus mi, Deus mi, quare me deseruisti?

Ex v.25. Status electorum ante conversionem ipsorum miser est. Sunt enim velut oves errantes: videlicet stolidi, ut oves, propter ignorantiam doctrinæ salutis: & expositi insidiis lupi infernalis, id est, diaboli. At post conversionem status eorum beatus est: quum habeant pastorem & curatorem animarum suarum Christum: qui ipsos pascit salubri pabulo verbi sui, atque etiam ducit ac regit spiritu suo: denique curam salutis ipsorum ita gerit, ut nō patiatur eos sibi eripi é manibus suis ulla tentatione diaboli aut mundi. Quare huic pastori fidamus ac nos ab eo regi patiamur.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

In hoc capite continentur adhuc duæ exhortationes speciales: quarum prior pertinet ad uxores, posterior ad maritos: usque ad v.8. Deinde redit ad exhortationes generales & omnibus communes: quas varias proponit usque ad v.19. ubi digreditur in doctrinam de beneficiis Christi erga Ecclesiam tum veterem tum novam, usque ad finem capitis. Ita caput distingui potest in tres partes.

DE PRIMA PARTE.

Similiter uxores subjiciant sese suis viris, ut etiam si qui non obediunt Sermoni, per uxorum conversationem absque sermone lucrifiant.

2 *Ubi spectarint cū reverentia* conjunctam *castam conversationē vestram.*

3 *Quarum ornatus non sit externus ille in nodis capillorum, & circumpositio auro vel palliorum amictu.*

4 *Sed occultus ille cordis homo, situs in incorruptione lenis ac quieti spiritus, qui est coram Deo pretiosus.*

5 *Ita enim olim & sanctæ illæ mulieres quæ sperabant in Deum, ornabant sese, subjectæ suis viris:*

6 *Sicut Sara obedivit Abrahæ, dominum eum vocans: cujus factæ estis filiæ, si benefaciatis, nec terreamini ulla consternatione.*

HIC primùm hortatur uxores ad obedientiam erga maritos, v.1. deinde dehortatur eas á luxu in vestitu, v.3. postremó hortatur eas ad animi lenitatem ac tranquillitatem, v.4. Primam hortationem confirmat ab eventu utili: quia sic futurum sit ut nonnulli mariti Christo lucrifiant, amplectendo scilicet religionem Christianam, moti

moti ſanctis moribus uxorum, v. 1. & 2. Secundam hortationem illuſtrat enumeratione aliquot partium: ut ſunt *nodi capillorum, aurum, &c.* Tertiam hortationem præcedenti annectit per antitheſin, virtutes illas appellans *occultum hominem cordis*; quem externo illi corporis ornatui opponit. Confirmat autem hortationem illam primùm á virtutum illarum, videlicet lenitatis ac tranquillitatis durabilitate, ubi ait, *hominem illum occultum ſitum eſſe in incorruptione lenis ac quieti ſpiritus.* ubi ſimul per tacitam antitheſin innuit, externum illum corporis ornatum non eſſe durabilem, ſed corruptibilem & caducum: atque ita hoc ipſo argumento ab illo luxu dehortatur. Deinde hortationem hanc confirmat á virtutum illarum pretioſitate ſeu præſtantia: ubi ait, *ſpiritum illum lenem ac quietum, eſſe pretioſum.* Hoc autem argumentum confirmat teſtimonio æſtimationis divinæ, ubi ait, *ſpiritum illum lenem ac quietum, eſſe pretioſum coram Deo.* quod ipſum per prolepſin (ut videtur) opponit judicio mundi. quaſi dicat, Etſi mundus ſecus judicat, nec in pretio habet illam animi lenitatem ac tranquillitatem: tamen vobis ſatis eſſe debet, quód virtutes illæ pretioſæ ſunt coram Deo: qui nimirum rectè de rebus omnibus judicat. Tum eandem hortationem, ac ſimul etiam primam, confirmat exemplo ſanctarum mulierum, de quibus ſacra teſtatur hiſtoria, v. 5. ac nominatim exemplo Saræ, v. 6. Cujus erga Abrahamum obedientiam probat ex effectu, videlicet honorifica appellatione quam illi tribuit, *vocans* ſcilicet *eum dominum:* qua re ſatis declaravit, quanti illum faceret, quámque promta eſſet ad illi obediendum. Hoc exemplum accommodat ad mulieres ad quas ſcribit, ubi ait: *Cujus factæ eſtis filiæ, ſi benefaciatis, nec terreamini ulla conſternatione.* ubi eas ad duo hortatur: ad ſtudium bonorum operum, & ad fortitudinem animi, acquieſcentis in protectione Dei, ac proinde non expaveſcentis iniquas maritorum objurgationes aut minas.

7 *Viri ſimiliter cohabitate* uxoribus, *ut ſcientes decet, vaſi muliebri ut infirmiori tribuentes honorem, utpote quum unà etiam hæredes ſitis gratiæ vitæ, ne interrumpantur preces veſtræ.*

Hic maritos hortatur ut uxores tractent ſapienter atque humaniter tribuantq; illis convenientem honorem. Argumenta hortationis affert hæc. 1. quia viri á natura prædíti ſint majore intelligendi facultate. hoc argumentum latet in ipſis verbis hortationis, ubi ait, κατὰ γνῶσιν, id eſt, ſecundùm ſcientiam, eam ſcilicet qua viri mulieres naturæ beneficio excellunt. 2. quia uxores ſint vaſa, id eſt, inſtrumenta apta ad bonos uſus: puta ad generationem liberorum, ad eorundem educationem, ad rei familiaris adminiſtrationem. 3. quia ſexus muliebris ſit infirmior. unde intelligitur, mulieres teneriter & clementer eſſe tractandas: ne duriore tractatione inſtar vaſis infirmi frangantur ac perdantur. 4. quia par ſit earum dignitas, quoad jus adoptionis divinæ: quippe quum ſint *cohæredes vitæ æternæ.* 5. ab effectu inutili: quia ſi mariti duriùs tractent uxores, futurum inde ſit ut interrumpantur ipſorum preces, quas ſcilicet quotidie unâ debent concipere ad impetrandum á Deo omnis generis bona.

DE SECUNDA PARTE.

8 *Denique omnes eſtote concordes, mutuo moleſtiarum ſenſu affecti, fraterna prædíti charitate, ad miſericordiam propenſi, comes.*

9 *Non reddentes malum pro malo, aut convitium pro convitio; ſed contrà, benedi-*

benedicentes: ut qui sciatis, vos ad hoc vocatos esse: ut benedictionis hæreditatem possideatis.

10 *Nam qui vult vitam diligere, & videre dies bonos, coërceat linguam suam á malo, & labia sua, ne loquantur dolum:*

11 *Declinet á malo, & faciat bonum: quærat pacem, & persequatur eam.*

12 *Nam oculi Domini* sunt intenti *in justos, & aures ejus in deprecationem eorum: vultus verò Domini adversum eos qui faciunt mala.*

13 *Et quis* est *qui affligat vos, si bonitatis æmulatores fueritis?*

14 *Sed & si patiamini propter justitiam, beati* tamen eritis. *Cæterùm timorem eorum ne timete, neque turbamini:*

15 *Sed Dominum Deum sanctificate in cordibus vestris.* Estote *autem semper parati ad respondendum cuilibet petenti à vobis rationem ejus spei quæ in vobis est, cum lenitate & timore.*

16 *Conscientiam habentes bonam; ut in eo quód obtrectant vobis tanquam malefícis, pudefiant qui incessunt vestram bonam in Christo conversationem.*

17 *Melius enim* est *ut bene agentes, si ita velit Dei voluntas, malis afficiamini, quám malè agentes.*

18 *Nam & Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis: ut nos ad Deum adduceret, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu.*

Redit ad exhortationes generales seu communes: & hortatur primúm ad varias virtutes pertinentes ad sextum decalogi præceptum, v.8.& 9. ac inprimis ad tolerantiam injuriarum, allato argumento primúm á voluntate Dei ut qui ipsos ad hoc vocârit: deinde ab eventu utili, videlicet benedictione divina, v.9. quod posterius argumentum v.10. 11.& 12. confirmat testimonio promissionis divinæ ex Psal.34.v.13.& deinceps: atque ita simul in genere hortatur ad studium justitiæ: quatenus promissio illa facta est nõ solùm iis qui patienter tolerant injurias, sed in genere qui justitiæ student. Deinde vers.13. affert tertium argumentum, quod item ab effectu utili sumtum est: quód videlicet si bonitatis æmulatores fuerint, hoc est, si bonis operibus studuerint, futurum sit ut non facile vexentur á malis hominibus. Tum v.14. sententiam hanc per prolepsin corrigit: affirmans, etiamsi propter justitiam affligantur, tamẽ beatos esse. Postea monet, ne minis aut injuriis malorum hominum perturbentur: sed ut Deum sanctificent in cordibus suis: id est, ut filiali fiducia in ipsius bonitatem atque omnipotentiam recumbant: certó persuasi, ipsum sinceros sui cultores contra malorum hominũ injurias tueri & velle & posse: ac si quando illas permittat, facere id suis in bonum: videlicet ad æternam ipsorum salutem. Postea hortatur eos ad confessionem fidei Christianæ, vers.15.& ad studium bonæ conscientiæ, vers.16. annexo argumento ab effectu utili, ut videlicet ita pudefiant qui incessunt ipsorum vitam. Deinde v.17. occurrit objectioni: quód etiamsi bene agant, nihilominus á malis hominibus vexentur. Petrus contra has afflictiones eos consolatur primum á comparatis, affirmans melius esse ut bene agentes vexentur quám malè agentes, deinde ab illarum afflictionum authore, Deo, ubi ait: *Si ita velit Dei voluntas.* tum ab exemplo Christi, vers.18. qui scilicet multas & magnas injurias á malis hominibus, perpessus est. Hanc Christi passionem amplificat primúm á fine seu scopo patientis: affirmans, eum passum esse pro peccatis, id est, ad expiandum nostra peccata, quæ ut sponsor in se susceperat: item, ut nos ad Deum adduceret, hoc est, ut nos Deo reconciliaret, & in vitam æternam in cœlo fruendam adduceret. unde intelligitur æquum esse, ut & nos ad gloriam

ipsius patiamur injurias á malis hominibus. Deinde passionem Christi amplificat ab adjuncta patientis innocentia, ubi ait, passum esse justum pro injustis: quo innuit, nos non esse prorsus innocentes, ac proinde eó magis nobis injurias hominum tolerandas. Tertió passionem Christi amplificat á læto eventu: ubi ait, Mortificatum quidem esse carne, vivificatum autem spiritu: id est, per potentiam suæ deitatis seipsum ex morte excitasse ad vitam beatam ac glorioſam. Qua ſententia jam continetur argumentum conſolationis quartum: quód videlicet futurum ſit, ut poſteaquam propter confeſſionem Chriſti injurias mundi atque adeó ſupplicium capitis patienter pertulerint, in vitam æternam transferantur & unâ cum Chriſto glorificentur.

DE TERTIA PARTE CAPITIS.

19 *Per quem etiam ſpiritibus qui* ſunt *in carcere profectus prædicavit,*

20 *Olim immorigeris, quum ſemel expectabat Dei lenitas in diebus Noë, quum appararetur arca: in qua paucæ (id eſt octo) animæ ſervatæ ſunt in aqua.*

21 *Cui rei nunc correſpondens typus Baptiſma, nos quoque ſervat: non carnis ſordium depoſitio, ſed bonæ conſcientiæ interrogatio apud Deum, per reſurrectionem Jeſu Chriſti.*

22 *Qui eſt ad dexteram Dei, profectus in cælum, ſubjectis ipſi Angelis & poteſtatibus ac virtutibus.*

Hic occaſione vocabuli *Spiritus*, in quod deſinit præcedens ſententia, digreditur in hiſtoriam de ſpiritibus hominum qui vixerunt in priſco mundo in diebus Noachi: eaque occaſione commemorat beneficia Chriſti duo in priſcum illum mundum collata: quorum unum eſt, quod illis prædicavit, videlicet per Noachum præconem illum juſtitiæ: ſicut eum appellat epiſtolæ poſterioris cap. 2. v. 5. Unde jam intelligitur, quid Noachus priſco illi mundo ex Chriſti mandato prædicaverit, videlicet juſtitiam ſeu reſipiſcentiam. Sed præterea notandum, prædicaſſe quoque illis Euangelium: hoc eſt, remiſſionem peccatorum annuntiaſſe illis qui reſipiſcerent, in Chriſtum promiſſum crederent & animum ad juſtitiæ ſtudium adjicerent. id enim Petrus expreſſé affirmat infrá cap. 4. v. 6. ubi ait, *mortuis quoque prædicatum eſſe Euangelium: ut judicarentur quidem ſecundùm homines carne, viverent autem ſecundum Deum ſpiritu.* quibus verbis Petrus docet, quid illa Noachi prædicatio in impiis illis hominibus, ſaltem in nonnullis, profecerit: nempe ut pœna illa corporali diluvii admoniti, gratiam ſibi anté prædicatam vel ſeró amplecterentur, atq; ita ſalutem animarum reportarent. Atque hoc primum eſt beneficium in priſcum illum mundum á Chriſto collatum. Alterum eſt, conſervatio Noachi cum familia ab aquis diluvii. ubi notandum: ſicut ex corporali illa conſervatione non poteſt concludi, totam familiam Noachi donatam eſſe ſalute æterna: quippe quum in illa fuerit impius ille Cham, qui poſtea patrem irriſit & ab eo maledictus eſt: ita nec ex corporali illa pœna poſſe concludi, totam illam hominum multitudinem quæ aquis diluvii exſtincta eſt, damnatam eſſe morte æterna: quippe quum Deus inter illos habuerit nonnullos, in quibus Euangelii prædicatio antea á Noacho audita, per illam ipſam caſtigationem reddita eſt efficax ad ſalutem ipſorum: ſicut ex verbis paulo-anté citatis colligitur. Atque hęc ſunt beneficia Chriſti collata in mundum illum priſcum. Porró mentione facta aquarum diluvii & Noachi in arca ſervati, quæ nimirum

hi mirum conservatio fuit typus conservationis spiritualis electorum á diluvio iræ Dei: hac occasione transit ad typum novum ejusdem conservationis, veteri illi typo é regione respondentem, quem idcirco vocat ἀντίτυπον, videlicet Baptismum: per quem dicit nos servari, videlicet salute æterna. Ac ne quis putet, Baptismum id præstare per se & ex opere (ut loquuntur) operato: mox per correctionem monet, salutem proprié loquendo pendére á remissione peccatorum parta per mortem Christi: atque ita innuit, Baptismum eatenus nos servare, quatenus nobis de illa peccatorum remissione testificatur. Remissionem autem peccatorũ significat partim per tacitam antithesin, ubi ait, *Non depositio sordium carnis*: quasi dicat, Sed depositio sordium animæ, hoc est remissio peccatorum: partim veró expositione effecti, videlicet hilaritatis conscientiæ asseverantis de illis beneficiis (videlicet remissione peccatorum & salute æterna) tanquam ad se pertinentibus: adeó ut conscientia Deum confidenter de illis beneficiis interroget: videlicet, an non Christus illa nobis sua morte acquisiverit. Hujus autem confidentiæ fulcrum simul commemorat, ubi ait, *quód bona conscientia Deum interroget per resurrectionem Jesu Christi.* id est, freta resurrectione Christi, tanquam evidente argumento remissionis peccatorum per mortem Christi partæ: quippe quód Christus ex morte ad vitam æternam excitatus non fuisset, nisi pro omnibus electorum peccatis sua morte judicio Dei satisfeciſſet. Porró isti fulcro bonæ conscientiæ fidelium addit & alterum, videlicet sessionem ad dexteram Dei & exaltationem supra Angelos. id quod summæ Dei erga Christum gratiæ argumentum est: & ex consequenti argumentum quoque satisfactionis per mortem ipsius pro peccatis omnium electorum.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 *Sese subjiciant.* ὑποτασσόμεναι. Scil. ἔχωσαν. Verbi vox media hîc notat actionem reciprocam. *Sermoni.* τῷ λόγῳ. Scil. Dei: videlicet Euangelio. Synecdoche generis. *Lucrifiant.* κερδηθήσωνται. Scil. Christo. id est, ad fidem Christianam adducantur, idque lucro Christi, facti nimirum cives regni ipsius. Metaphora á servis qui negotiantur in pecunia sibi credita ab hero: qua de re extat parabola Matt. 25. v. 14. & deinceps. Nam omnes Christiani, ac præcipuè ministri verbi, sunt servi Christi: ac proinde operam dare debent, ut Christo multos lucrifaciant. Hoc studium de se prædicat Paulus multis verbis 1. Cor. 9 v. 19. & deinceps. Eâdem metaphorâ usus est & Christus Matt. 18. v. 15. ubi docet, quomodo fratres peccantes sint in viam pietatis revocandi.

2 *Cum reverentia* conjunctam. τῷ ἐν φόβῳ. Pro, τῷ μὴ φόβῳ. Scil. ὄντων.

4 *Occultus ille cordis homo.* ὁ κρυπτὸς τ καρδίας ἄνθρωπος. Simili ratione & Paulus duplicem hominem facit, unum eundemq; hominem in duos distinguens: videlicet veterem & novum, Rom. 6. v. 6. vel interiorem & exteriorem, Rom. 7 v. 22. item 2. Cor. 4. v. 16. Situs *in incorruptione.* ἐν τῷ ἀφθάρτῳ. Pro, ὁ ἐν τῷ ἀφθάρτῳ. Scil. κείμενος. Ellipsis gemina. *Spiritus.* πνεύματος. Id est, animi.

5 *Subjectæ.* ὑποτασσόμεναι. Vel, *subjicientes sese*: ut v. 1.

6 *Dominum eum vocans.* κύριον αὐτὸν καλέσασα, Historia extat Genes. 18. ubi Sara quum ex Jehova apud Abrahamum prandente audisset,

se post annum habituram filium : quum res illi incredibilis videretur, ridens dicebat apud se : postquam vetula facta sum, foret mihi voluptas: deinde dominus meus senex est. *Factæ estis.* ἐγενήθητε. Id est, vos factas esse declaratis. Metonymia subjecti : qualis in illo Joh. 15. v. 8. καὶ γενήσεσθε ἐμοὶ μαθηταὶ, Et fietis mihi discipuli, seu eritis mei discipuli : id est, declarabitis vos esse meos discipulos. *Nec terreamini ulla consternatione.* καὶ μὴ φοβούμεναι μηδεμίαν πτόησιν. Vel, *ullo pavore.* Ante μηδεμίαν subauditur κατ᾽ : & gemina negatio fortiùs negat, more Græcis usitato. Nomen πτόησις deductum est á verbo πτοεῖσθαι, quod est consternari seu pavefieri, ut Lucæ 21. vers. 9. Quum verò audieritis bella & seditiones, μὴ πτοηθῆτε. Et cap. 24. v. 37. πτοηθέντες δὲ καὶ ἔμφοβοι γενόμενοι, &c. de discipulis quum Jesus ex improviso stetisset in medio ipsorum, & illi putarent se videre spectrum. Atque hæc istius verbi nativa est significatio : ut liquet ex his exemplis quæ in suo Thesauro recitat Henr. Stephanus. Plutarchus in Alcibiade, πτοηθέντος καὶ διαφυγόντος τὸν ὄρτυγος, expavefacta & exterrita coturnice, quam in sinu gerebat : expavefacta inquam, τὸν δήμου κροτοῦντος καὶ βοῶντες. Idem in Publicola. ἵπποι πτοηθέντες ἀπ᾽ ἀδήλου ἐμφανοῦς φοβεροῦ, Unde in Geopon. lib. 16. ca. 1. inter boni equi notas hæc una est, ἐὰν δὲ μὴ ἐπτοημένος μηδὲ ὑπὸ τῆς αἰφνιδίου φαινομένου ἐκπαρατλόμενος, si non facilé consternetur & pavefiat.

7 *Viri.* οἱ ἄνδρες. Id est, ὦ ἄνδρες. Enallage casus. Alloquitur enim viros, ut liquet ex fine versus. *Cohabitate* uxoribus. συνοικοῦντες. Scilicet ταῖς γυναιξίν. Ad verb. *Cohabitantes.* Scilicet, ἔστε, estote. *Ut scientes decet.* κατὰ γνῶσιν. vel, scienter, Ad verb. Secundùm cognitionem seu scientiam. *Utpote quum unâ etiam hæredes sitis.* ὡς καὶ συγκληρονόμοι. Scilicet, ὄντες. quanquam commodiùs legeretur, συγκληρονόμοις. Scilicet, ταῖς γυναιξὶ : quod nomen subintelligitur ad participium συνοικοῦντες. *Gratiæ vitæ.* χάριτος ζωῆς. Id est, vitæ æternæ ex Dei gratia dandæ.

8 *Omnes* estote *concordes.* πάντες ὁμόφρονες. Scilicet, ἔστε. *Mutuo molestiarum sensu affecti.* συμπαθεῖς. *Ad misericordiam propensi.* εὔσπλαγχνοι. Vox composita ex adverbio εὖ notante facilitatem, & nomine σπλάγχνα, quo significantur viscera, & per synecdochen cor, & amplius per metonymiam subjecti, motus cordis : quum scilicet cor movetur ad miserendum. *Comes* φιλόφρονες. Dictus videtur φιλόφρων, tamquam ὁ τὰ φίλα φρονῶν, qui sapit amica, h. e. studet facere ea quæ alteri amica & grata sint, sicut ὑψηλόφρων, ὁ τὰ ὑψηλὰ φρονῶν.

9 *Benedicentes.* εὐλογοῦντες. Id est, bene precantes iis qui vobis maledixerint. Etenim τὸ εὐλογεῖν opponitur hîc τῷ κακολογεῖν seu τῇ λοιδορίᾳ. ut & Matth. 5. vers. 44. εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς. Benedicite iis qui devovent vos. *Ad hoc.* εἰς τοῦτο. Scilicet, ut benedicatis iis qui vobis convitiantur, ac omnino ut patienter injurias feratis. Et sic illud ἵνα quod sequitur, pendebit á participiis illis, ἀποδιδόντες, εὐλογοῦντες. Et annectetur illa sententia per ὑποσύναψιν. Potest tamen istud (sed alio sensu) conjungi cum sequentibus per appositionem sic : εἰς τοῦτο ἵνα κληρονομήσητε : id est, εἰς τὸ κληρονομεῖν. *Ut benedictionis hæreditatem possideatis.* ἵνα εὐλογίαν κληρονομήσητε. Vel, ut benedictionem hæreditario jure consequamini. Nomine εὐλογίας intelligit hîc felicitatem (& quidem illã æternam) more Hebræorum. ut Gen 12 v. 2. ubi Deus ait Abrahamo, *Esto benedictio :* id est, summé benedictus seu felix. Per elegantem ἀνταπόκλασιν hoc nomen participio εὐλογοῦντες subjungit.

10 *Nam*

10 *Nam qui vult.* ὁ γὰρ θέλων &c. Quod proximè dixit, confirmat teſtimonio Pſalm. 34. verſ. 13. in quo citando ſententia quidem ipſa, atque etiam propemodum verba retinentur : ſed tamen mutatur ſententiæ ſchema ſeu figura. nam quod in Pſalmo dicitur per apoſtrophen ad lectorem & communicationem, id hic dicitur ſimpliciter. Verba Pſalmi in Græco ſunt : τίς ἐστιν ἄνθρωπος ὁ θέλων ζωὴν, ἀγαπῶν ἡμέρας ἰδεῖν ἀγαθὰς; παῦσον τὴν γλῶσσάν σου &c. Ex quorum verborum collatione videtur hoc loco ſic legendum, ὁ γὰρ θέλων ζωὴν, ἀγαπῶν ἰδεῖν ἡμέρας ἀγαθὰς &c. Pro quibus ex non animadverſo aſyndeto videtur ſciolus quiſpiam repoſuiſſe iſta, ὁ γὰρ θέλων ζωὴν ἀγαπᾶν, καὶ ἰδεῖν &c. mutando, ſcil. ἀγαπῶν in ἀγαπᾶν, atque ita efficiendo pleonaſmum minus commodum. *Ne loquantur.* τοῦ μὴ λαλῆσαι. Scil. ἕνεκα.

12 *Oculi.* οἱ ὀφθαλμοὶ. Scil. blandi & faventes. Synecdoche generis. *Vultus verò.* πρόσωπον δὲ. Seu facies. Scilicet irata. Itidem ſynecdoche generis.

13 *Quis* eſt *qui affligat.* τίς ὁ κακώσων. Pro, τίς ἐστιν ὁ κακώσων. κακοῦν eſt malis afficere ſeu vexare.

14 *Si patiamini.* εἰ πάσχοιτε. Id eſt, Si affligamini. Verbum πάσχειν hîc ponitur tanquam abſoluté : ſicut & infrà verſ. 18. & cap. 4. verſ. 1. *Timorem eorum.* τὸν φόβον αὐτῶν. Videlicet impiorum qui vos affligunt. Id eſt minas eorum quibus timorem vobis conantur incutere. Metonymia effecti. Alii vertunt, *Timore eorum ne timete* : ut ante τὸν φόβον ſubaudiatur κατὰ, & timor eorum (videlicet impiorum) dicatur quo illi timent : non autem quem aliis incutiunt. Et ſanè is ſenſus eſt in verbis Eſaiæ cap. 8. verſ. 12. Sed Petro viſum fuit, illa verba ad ſuum propoſitum accommodare.

15 *Sanctificate.* ἁγιάσατε. Scilicet firma fiducia acquieſcendo in promiſſa ipſius ope ac tutela. Synecdoche generis. nam variis modis ſanctificatur Deus, id eſt, glorificatur à nobis. *In cordibus veſtris.* ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. Scilicet per cordium fiduciam, ut modo eſt dictum. Eſtote *autem ſemper parati.* ἕτοιμοι δὲ ἀεὶ. Scil. ἴστε. *Ad reſpondendum.* πρὸς ἀπολογίαν. Ad defenſionem doctrinæ Chriſtianæ, defenſionem inquam ſermone & argumentis conſtantem. *Petenti à vobis.* αἰτοῦντι ὑμᾶς. Vel, petenti vos rationem. qualis ſyntaxis eſt in illo Virgiliano : *pacem te poſcimus omnes. Cum timore.* μετὰ φόβου. Videlicet cum timore Dei : ne in gratiam hominum aut metu perſecutionis diſſimulantes veritatem offendatis Deum : quippe qui à vobis poſtulat doctrinæ cæleſtis vobis traditæ confeſſionem.

16 *Conſcientiam habentes bonam.* συνείδησιν ἔχοντες ἀγαθὴν. Id eſt, vitantes ſcelera & flagitia. Metonymia effecti.

17 *Malis afficiamini.* πάσχειν. Vel, patiamini. Abſoluté, ut ſuprà verſ. 14.

18 *Pro peccatis.* περὶ ἁμαρτιῶν. Id eſt, ἀντὶ ἁμαρτιῶν. hoc eſt, propter peccata, ſcilicet noſtra. Seu, pro nobis peccatoribus. *Carne.* σαρκὶ. Pro, ἐν σαρκὶ (ut loquitur infrà cap. 4. verſ. 1.) id eſt, in carne : hoc eſt, corpore. *Vivificatus autem.* ζωοποιηθεὶς δὲ. Id eſt, ex morte in vitam revocatus. *Spiritu.* τῷ πνεύματι. Id eſt, διὰ πνεύματος, per Spiritum, hoc eſt, deitatem ſuam. Ubi notanda ἀνωμαλία τῆς ἀντιθέσεως, id eſt, irregularis ratio oppoſitionis. Etenim dativus σαρκὶ notat hic ſubjectum recipiens : at oppoſitus dativus τῷ πνεύματι non notat ſub-

jectum recipiens, ſed cauſam efficientem. Cæterùm Spiritus carni oppoſitus deitatem hic ſignificat, ſicut & Rom.1. v.3. & 4. item 1.Tim.3. v. ult.

19 *Per quem.* ἐν ᾧ. Scil. Spiritum. ſive, ſecundùm quem ſeu cujus reſpectu. Limitatio, qua quod de perſona Chriſti affirmatur (videlicet quòd prædicârit olim ſpiritibus) reſtringitur ad certam illius partem, videlicet deitatem. Chriſtus enim tum nondum erat homo, quum per Noachum ſpiritibus illis prædicavit. *Spiritibus.* τοῖς πνεύμασι. Id eſt, animabus. Sed Apoſtolus de induſtria nominavit πνεύματα propter αἰτιολόγιαν. Sic Hebr. 12. v. 23. nominantur πνεύματα δικαίων, ſpiritus juſtorum: id eſt, animæ à corporibus ſuis ſeparatæ. *Qui ſunt in carcere.* τοῖς ἐν φυλακῇ. Scil. οὖσι. Id eſt, quorum pars nunc eſt in inferno, nempe quotquot non reſipuerunt, quum caſtigarentur in corpore per diluvium. nam aliquos ex illis adeptos vitam, ac proinde caſtigatione illa ad reſipiſcentiam adductos fuiſſe, percipitur ex verbis Petri infrà cap 4.v.6. Cæterùm nomen φυλακῆς pro carcere, id eſt, inferno, ſimiliter reperitur Apocal. 20.v.7. *Profectus.* πορευθεὶς. Videlicet per Noachum præconem juſtitiæ, ut appellatur 2.Pet. 2. v. 5. Hiſtoria extat Gen.6. *Prædicavit.* ἐκήρυξεν. Scil. juſtitiam ſeu reſipiſcentiam vitæve emendationem & Euangelium. de quorum priore teſtatur Petrus 2.Pet.2.5. de poſteriore verò inf.cap.4.v.6.

20 *Expectabat.* ἐξεδέχετο. Scil. pœnitentiam atque emendationem iſtorum. *Dei lenitas.* ἡ τοῦ Θεοῦ μακροθυμία. Id eſt, Deus pro ſua lenitate. Hypallage. *Arca.* κιβωτῷ. Navigium iſtud habens formam arcæ. Metaphora. *In qua.* εἰς ἣν. Pro, ἐν ᾗ. *Animæ.* ψυχαὶ. Id eſt, homines. Synecdoche membri Hebraica. Sic Act.2. v.41. Addita ſunt capita quaſi ter mille, ψυχαὶ ὡσεὶ τρισχίλιαι. Et cap.7. v. 14. Joſeph accerſivit cognationem ſuam capitum ſeptuaginta quinque, ἐν ψυχαῖς ἑβδομηκονταπέντε. *In aqua.* δι' ὕδατος. Ad verb. Per aquam. id eſt, dum arca ferebatur per aquam. Reperitur διὰ pro ἐν etiam Rom.4.v.11. ſed diverſa ſignificatione, videlicet non ad notandum locum, ut hîc: ſed tempus: ubi dicitur, *Ut eſſet pater omnium credentium.* δι' ἀκροβυστίας, in præputio: id eſt, in eo tempore ſive per id tempus quo habent præputium.

21 *Cui rei nunc correſpondens typus baptiſma nos quoque ſervat.* ᾧ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα. In Græco ſubobſcura eſt verborum trajectio, qualis etiam reperitur 2.Pet.1.v.19. in iſtis verbis, ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες. Clarior collocatio eſſet hæc: ᾧ ἀντίτυπον βάπτισμα καὶ ἡμᾶς σώζει νῦν. Cæterùm pronomen ᾧ referendum eſt ad totam ſententiam proxime-præcedentem de ſervatis in arca octo animabus. Iſti enim conſervationi tanquam typo conſervationis ſpiritualis credentium, é regione reſpondet Baptiſmus, tanquam typus ſeu imago ejuſdem conſervationis. Quò minùs autem pronomen ᾧ referatur ad proximepræcedens nomen ὕδατος, res ipſa obſtat: quia aqua diluvii non ſervavit quenquam, ſed plurimos perdidit: hîc autem ſermo eſt de conſervatione. *Correſpondens typus.* ἀντίτυπον. Sive, é regione reſpondens typus. Hîc præpoſitio ἀντὶ refertur ad typum oppoſitum ſive é regione reſpondentem: aliâs refertur ad rem typo adumbratam, & tum ἀντίτυπον uſurpatur pro ſimplici τύπος. ut Heb.9. 24. εἰς χειροποίητα ἅγια εἰσῆλθεν ὁ Χριστὸς, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν. id eſt, τύπους τῶν ἀληθινῶν. *Correſpondens typus Baptiſma.* ἀντίτυπον βάπτισμα. Hæc verba conſtruuntur per appoſi-

appositionem. *Servat.* σώζει. Videlicet salute æterna: ut percipitur é sequentibus. Sed quomodo id præstet Baptismus, ibidem declaratur: nempe non vi externæ illius ablutionis qua corporis sordes deponuntur: sed vi Spiritus sancti confirmantis in cordibus electorum fidem remissionis peccatorum, partæ per mortem Christi & testatæ per ejusdem resurrectionem: atque ita efficientis in illis bonam conscientiam. *Non carnis sordidum depositio.* ὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου. Trajectio verborum, Petro familiaris: Pro, οὐκ ἀπόθεσις ῥύπου σαρκὸς. Dicuntur autem hæc per prolepsin: nec includenda sunt parenthesi. *Sed bonæ conscientiæ interrogatio apud Deum.* ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεόν. Id est, Sed depositio sordium animæ seu remissio peccatorum, ex cujus fide nascitur bona conscientia, qua fretus fidelis audacter Deum interrogat de ipsius erga se favore per Christi mortem sibi conciliato, ac per ejusdem resurrectionem testato. dicens nimirum, An non Christus sua morte favorem tuum nobis conciliavit in æternum duraturum? Certé. nam id ipsum testatur resurrectio illius. Etenim nisi Christus morte sua peccata nostra perfectè expiasset, atque ita favorem tuum plenè nobis conciliasset: resurgere ex mortuis ad vitam & gloriam illam cælestem non potuisset. *Per resurrectionem.* δι' ἀναστάσεως. Hæc verba non pendent á verbo σώζει in principio versus: cum quo necessariò jungerentur, si proximè antè clauderetur parenthesis: sed pendent á verbo γενόμενον, subintellecto ad nomen proximè-præcedens, ἐπερώτημα. Vult enim dicere Petrus, quòd interrogatio illa bonæ conscientiæ apud Deum, fiat per resurrectionem Christi: id est, per fidem illius: seu quòd illâ tanquam fulcro & evidente testimonio remissionis peccatorum per Christi mortem partæ nitatur.

V.22. Ad dexteram Dei. εἰς δεξιᾶ τοῦ θεοῦ. Ad verb. *In dextera.* Id est, in eo loco qui est ad dexteram Dei. καθεροποπάθεια, id est, metaphora á consuetudine hominum, videlicet regum ac principum: qui ad dexteram suam collocare solent quos maximè honoratos volunt, quibúsve proximum á se locum & honorem tribuunt & á subditis tribui volunt. *Virtutibus.* δυνάμεων. Seu, potentiis. Sic nominantur Angeli ab excellente robore.

OBSERVATIONES EX CAP. III.

Ex v.1. & deinceps usque ad 7. Notanda sunt hic aliquot officia uxorum erga maritos. Nempe 1. ut illis sint subjectæ. v.1. id est, obediant: scilicet in Domino: ex analogia præcepti quod præscribitur liberis Ephes. 6. 1. In Domino autem, id est, in timore Dei, ne scilicet in gratiam maritorum faciant quo offenditur Deus, nempe quod vetuit Deus. Semper enim tenenda regula illa Petri Actor. 5. Magis obediendum Deo quám hominibus. 2. Ut maritos revereantur, vers. 2. sollicitè scilicet cavendo ne illos offendant. 3. Ut sit casta earum conversatio, eodem vers. id est, casti mores, casta verba, casti gestus. 4. Ne nimiùm studeant ornatui corporis, v. 3. 5. Ut præditæ sint spiritu leni seu mansueto, v. 4. ac proinde ne obmurmurent vel respondent, quum á maritis objurgantur: item ne sæviant in liberos aut famulos vel ancillas. 6. Ut præditæ sint spiritu quieto, v. eodem: ac proinde ne sint curiosæ rerum alienarum, ne discurrent ad inquirendum res alienas, denique ne sint garrulæ aut nugigerulæ. 7. Ut maritos honorent verbis, sicut Sara honoravit Abrahamum, vocans eum

dominum,v.6. 8. Ut benefaciant & rem domesticam rectè administrent sponte,non á maritis adactæ terrore minarum aut metu plagarum, v.6.

Ex v.1.ex verbis, *Si qui non obediunt sermoni.* Sicut incredulitas definitur per inobedientiam erga sermonem Euangelii : sic contrá fides definienda est per obedientiam erga eandem. Et sic sanè definivit Petrus suprá cap.1.v.2.& 22.& Paulus Rom.1.v.5.

Ex eod versu, ex verbis, *Sine sermone lucrifiant.* Cavendum ne istis verbis abutamur ad extenuandum ministerium verbi, quasi scilicet non sit organum ex ordinatione Dei necessarium ad fidem tum concipiendum tum alendum atque augendum. Nam quod ait Petrus, nonnullos absque sermone Christo lucrifieri posse: id non est intelligendum simpliciter,sed tantúm de occasione qua quis primó adducitur ad fidem. Etenim vir non Christianus conspecta uxoris pietate, ex quo illa fidem Christianam fuerat amplexa, poterat adduci ad doctrinam Christianam cognoscendam, atq; ita fidem ex illa concipiendam. Ita etiamnûm hodie vir in religione errans, pietate uxoris rectè sentientis potest adduci ad orthodoxam doctrinam cognoscendam ac errorem deponendum.

Ex v.3. Quum Petrus improbet in mulieribus ornatum corporis: considerandum quatenus improbet, ac omnino quid in hac parte concessum sit,& contrá quid vitiosum ac fugiendum. Sciendum igitur,non simpliciter á Petro in mulieribus improbari ornatum corporis : quippe qui alibi in Scriptura permittitur : sed improbat tantúm nimium sese ornandi studium & nimiam ex ornatu voluptatem.Id quod percipitur ex antitheſi,qua monet ut potiús studeant ornatui spiritus seu animi, & ex illo ornatu voluptatem capiant, ut qui pretiosus sit coram Deo. Quod autem diximus, ornatum corporis in scriptura permitti: colligi potest ex his locis, Gen.24.v.22. ubi servus Abrahæ monili aureo & armillis ornat Rebeccam. Psal.45.v.10. 14.15.ubi commendatur ornatus sponsæ Salomonis, videlicet filiæ Pharaonis: quatenus per illum ornatum adumbratur ornatus Ecclesiæ tanquam sponsæ Christi. Sic Matth.6.v.26.commendat ipse Christus regium vestitũ Salomonis. Cæterúm de ornatu corporis muliebri hæ quasi leges tenendæ sunt. 1. Ne studium illius nimium sit. Ratio: Ne dum mulieres nimis occupatæ sunt in ornando corpore, interim negligant ornare animum, sapientia scilicet & virtute. hanc rationem hic proponit Petrus. Atq; huc pertinet, ut in vestitu caveant studium novitatis. 2. Ne nimiúm ornatu suo delectentur, tanquam re eximié pretiosa. Ratio : Ne sic illis intercipiatur vera illa & sincera voluptas, quæ percipitur ex ornatu animi, vera scilicet sapientia & virtute, tanquam re pretiosa coram Deo. hanc quoq; rationẽ Petrus hoc loco tradit. 3. Ne propter ornatum superbiant, quo nomine ab Esaia multis verbis reprehendũtur mulieres ac puellæ Hierosolymitanę Esa.3.v.16.& deinceps. 4. Ne ornatus ille adhibeatur intempestivé,& ex consequenti ne sit quotidianus: id quod reprehenditur in divite illo epulone Luc.16.v.19. Néve adhibeatur quum lugendum est, vel quum luget proximus. Tenendum est enim illud Pauli Rom.12. Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus. Et sic David in seipso commendat, quòd cernens proximi mala,induerit vestem lugubrem.Psal.35.v.13. In luctu igitur proximi nos quoque decet uti veste lugubri,aut certé minús splendida : ad testandum nostram συμπάθειαν. Sic contrá in proximi gaudio nos quoque decet gaudium nostrum testari veste splendidiore : ut in nuptiis aut aliis solennitatibus. Et certé nisi in nuptiis splendidiús vestiri liceret: Christus

quum

quum interesset nuptiis, morem illum reprehendisset. Sicut reprehendit morem Pharisæorum elegentium τὰς πρωτοκλισίας, quum id cerneret ad convivium á quodam Pharisæo invitatus. Nam tempore Christi moris fuisse ut in nuptiis splendidiùs vestirentur: patet ex parabola de nuptiis filii regis, ubi repertus fuit qui careret veste nuptiali. 5. Illud quoque cavendum, ne mulieres corpus ornando studeant placere viris alienis: sed tantum suis. Item ne in tantum se ornent, ut occasionem viris alienis ad adulterium præbeant, saltem cordis. Etenim teste Christo, qui aspexerit uxorem proximi ad concupiscendum eam, jam mœchatus est cum ea in corde suo. At ista concupiscentia splendidiore vestitu magis excitatur. Et sicut auro insidiantur avari, capti illius pulchritudine: ita libidinosi insidiantur pudicitiæ fœminarum, capti earum forma & ornatu corporis. Testimonio est historia Abrahæ, qui uxoris Saræ pudicitiæ metuit, nec temerè, propter illius formam: ut videre est Gen. 12. v. 8. & deinceps. item historia Isaaci, eandem ob causam metuentis pudicitiæ uxoris Rebeccæ, Genes. 26. vers. 7. & deinceps. Atque hoc ipsum docere quoque voluit author fabulæ de Susanna.

Ex v. 7. Quomodo mariti se gerere debeant erga uxores. Debent cum eis cohabitare scienter, id est, prudenter, tribuendo scilicet eis honorem convenientem, ut quæ sint dominæ familiæ, sicut ipsi sunt domini. quem honoris gradum videtur significasse Deus, quum primam mulierem non ex pedibus viri, sed ex latere condidit. Item debent habere rationem infirmitatis naturalis, ac proinde tractare eas humaniter ac leniter: ut si cui tractandum sit pretiosum aliquod vitrum, aut saltem quo succus pretiosus continetur. Ad istam autem humanitatem inprimis moveri debent consideratione dignationis divinæ erga illas: quippe quód Deus illas dignatus est sibi adoptare in filias atque hæredes vitæ æternæ.

Ex eodem versu, ex verbis: *Ne interrumpantur preces vestræ.* Unusquisque paterfamiliâs instituere atque observare debet exercitium precum domesticarum, ut videlicet collecta in unum locum familiâ cum illa oret: idque statis temporibus: videlicet manè quum cubitu surrexerunt, tum capturi cibum & cibo capto, postremó cubitum ituri. Atque in hunc usum olim institutum erat juge sacrificium, matutinum ac vespertinum, unde legimus, viros sanctos illas orandi horas observasse: ut videre est in Davide Psal. 55. v. 18. & in Daniele, Dan 6. v. 11.

Ex v. 9. Quum vita æterna á Petro nominetur benedictio & hæreditas: consequens est, eam dari non ex cujusquam merito: sed ex Dei gratia propter Christum, in quo Deus sibi in filios adoptavit quibus hæreditatem illam cælestem dare constituit. Confer Matth. 25. v. 34.

Ex v. 11. Ut placeamus Deo, nostramque vitam ei approbemus: non est satis vitare malum seu peccatum, sed oportet etiam studere bono seu virtuti. Confer Esa. 1. v. 16. & 17.

Ex v. 12. & 14. Pii contra injurias impiorum consolentur sese: tum quód habent Deum sibi faventem, & curam ipsorum gerentem: tum quód habent bonam causam.

Ex v. 15. Confessio fidei edenda est, quoties gloria Dei id postulat: idque adhibita lenitate, ne adversus illos qui fidei confessionem á nobis petunt, stomachemur: & præterea reverentiâ, eâque tum erga Deum, ne leviter aut negligenter in fide nostra exponenda versemur: tum erga superiores, maximé principes ac magistratus, qui fidei confessionem á nobis

postulant,

postulant, ne illos contemnere videamur, sed debitum illis honorem deferamus. Exempla vide: Stephani, Act. 7. v. 2. Pauli, Act. 22. v. 1. & c. 26. v. 2. & 3.

Ex v. 16. Ad refutandum maledicta malevolorum non est commodior ratio, quám studere bonæ conscientiæ & bonæ conversationi, id est, vitæ honestæ.

Ex v. 18. Notanda sunt tria argumenta consolationis, quum nobis aliquid patiendum est propter Christum. 1. quia ipse quoque Christus passus est: cui nimirum tanquam capiti nos oportet conformari. 2. quia Christus passus est justus ac prorsus innocens: nos autem etsi simus innocentes coram mundo, tamen non sumus innocentes coram Deo. 3. quia Christus passus est pro nobis: ut nimirum nos á morte æterna liberaret & ad Deum adduceret. Ergo æquum est ut & nos patiamur pro illo, id est, ad gloriam illius, confitendo ipsius doctrinam tanquam veritatem cælestem. Ex eodem versu, ex verbis: *Mortificatus quidem carne* &c. Passiones & actiones quæ Christo in scriptura attribuuntur, diligenter distinguendæ sunt ex diversitate naturarum ex quibus persona Christi constat. quippe quum alia ei conveniant secundum carnem seu naturam humanam: alia secundúm spiritum seu naturam divinam. Confer Rom. 1. v. 3. & 4. & cap. 9. v. 5. 1. Tim. 3. v. 16. Infrá cap. 4. v. 1.

Ex v. 19. Notandum est argumentum pro deitate Christi: quippe qui in spiritu, id est, deitate sua, prædicavit prisco mundo per Noachum.

Ex v. 19. & 20. Errarunt veteres qui ex verbis Petri non rectè intellectis commenti sunt limbum (quem vocant) patrum, & ex illo liberationem ipsorum per localem descensum animæ Christi ad inferos. quippe quum nihil horum ex verbis Petri rectè intellectis possit colligi.

Ex v. 21. Baptismus duplex est: exterior, quo carnes sordes abjiciuntur: & interior, quo fit ut bona conscientia interroget Deum per resurrectionem Jesu Christi: quorum hic servat: ille proprié loquendo non servat, sed tamen testimonium est salutis per Christi mortem partæ, ac per ejusdem resurrectionem testatæ. Dicitur autem servare quatenus Spiritus sanctus per hoc testimonium est efficax, confirmando scilicet fidem in Christum. Sic Ephes. 5. v. 26. Christus dicitur Ecclesiam purgasse lavacro aquæ per verbum. Item Tit. 3. 5. Dicitur Deus nos servasse per lavacrum regenerationis. quanquam illic proprié videtur loqui de ipsa regeneratione Spiritus sancti, ac simul ad Baptismi testimonium respicere.

Ex v. 22. Christus ad dexteram Dei consedit tum demum quum profectus est in cælum. Falsum igitur tradunt qui dicunt, consedisse ad dextram Dei in utero matris. Confer Actor. 2. v. 32. 33. 34. Rom. 8. v. 34. Ephes. 1. v. 20. Hebr. 1. v. 3.

Ex eod. Sessio ad dexteram Dei nihil aliud est quám dominatus in omnes creaturas. Ad hunc autem dominatum, non est necesse ut corpus Christi sit ubique. Quare ubiquitas corporis Christi malé concluditur é sessione Christi ad dexteram Dei. Confer 1. Cor. 15. v. 25. Ephes. 1. v. 20. & deinceps. Philip. 2. v. 9. 10. 11. Hebr. 1. v. 13.

ANALYSIS CAP. IIII.

ARGUMENTUM.

Hic primúm redit ad intermissam exhortationem, qua hortatur ad studium

ſtudium ſanctè vivendi, uſque ad v. 12. Deinde conſolatur eos contra perſecutiones quas patiebantur propter confeſſionem fidei Chriſtianæ, uſque ad finem capitis. Ita duæ ſunt partes.

DE PRIMA PARTE.

1 *QVum igitur Chriſtus paſſus ſit pro nobis carne, vos quoque eâdem cogitatione armamini,* nempe *quòd qui paſſus eſt in carne, deſtitit á peccato,*

2 *Ut non ampliùs cupiditatibus hominum, ſed voluntati Dei, quod in carne reliquum eſt temporis, vivat.*

3 *Satis enim eſt nobis quòd anteacto vitæ tempore libidinem Gentium patravimus, quum inceſſimus in laſciviis, cupiditatibus, vinolentiis, comeſſationibus, compotationibus, & nefariis ſimulacrorum cultibus.*

4 *Quamobrem* illi, *non concurrentibus vobis ad eandem luxus profuſionem, peregrinari ſibi videntur, blaſphemantes:*

5 *Qui reddituri ſunt rationem ei qui paratus eſt ad judicandum vivos & mortuos.*

6 *Nam idcirco mortuis quoque prædicatum eſt Euangelium, ut judicarentur quidem ſecundùm homines carne, viverent autem ſecundùm Deum ſpiritu.*

7 *Omnium autem finis imminet. Eſtote igitur ſobrii & vigilantes ad orandũ.*

8 *Ante omnia verò charitatem alii in alios intenſam habentes: nam charitas operiet multitudinem peccatorum.*

9 *Hoſpitales* eſtote *alii erga alios, ſine murmurationibus.*

10 *Ut quiſque accepit donum,* ita *alius in alium illud ſubminiſtrantes, ut boni diſpenſatores variæ gratiæ Dei.*

11 *Si quis loquitur,* loquatur *ut eloquia Dei: ſi quis miniſtrat,* miniſtret *tanquam ex viribus quas ſuppeditat Deus: ut in omnibus glorificetur Deus per Jeſum Chriſtum, cui eſt gloria & robur in ſecula ſeculorum. Amen.*

ABſoluta digreſſione, quæ continetur quatuor ultimis verſibus capitis præcedentis, redit ad inſtitutam exhortationem: ac primùm repetit argumentum proximè ante illam digreſſionem propoſitum ſuperioris capitis verſu 18. videlicet ab exemplo Chriſti: quod hic ad fideles Judæos ita accommodat, ut adhibeat allegoricam ſeu ſpiritualem expoſitionem: qua *pati in carne,* definit per *deſiſtere á peccato, & non ampliùs vivere cupiditatibus hominum, ſed voluntati Dei*: verſ. 1. & 2. Vel certè comparat fideles cum iis qui propter ſua ſcelera ſupplicio capitis affecti ſunt, ac proinde ſcelera illa committere ampliùs non poſſunt. Comparatione autem illa utitur, quatenus eos conſiderat in Chriſto, qui propter ipſorum ſcelera ſupplicio capitis affectus eſt: quod perinde eſt ac ſi ipſimet ſupplicium illud pertuliſſent. Deinde affert aliud exhortationis argumentum, quod ſumtum eſt á circumſtantia temporis per antitheſin, ubi ait, v. 3. *Satis enim eſt nobis quòd anteacto vitæ tempore libidinem Gentium patravimus,* &c. quaſi dicat, Hoc tempus alios mores poſtulat. Anteacto tempore quum adhuc verſaremur in ignorantia Dei, perpetravimus varia peccata: nunc verò cognitione Dei illuſtrati, debemus mores mutare ac Deum ſanctè colere. Verſu 4. per prolepſin amplificat illam morum mutationem ex eventis duobus: offenſione eorum á quorum moribus receſſerant, & eorundem blaſphemiis: quo nomine intelligi poſſunt tum blaſphemiæ quibus iſti afficiebant religionem Chriſtianam, tum maledicta quibus proſcin-

proſcindebant famam Chriſtianorum. Tum ℣. 5. contra iſtas blaſphemias eos conſolatur ab eventu, videlicet futuro judicio Dei: in quo blaſphemos iſtos, niſi reſipuerint, puniturus eſt. Porró quoniam judicium illud commemorans, mentionem fecerat mortuorum: ea occaſione repetit hiſtoriam de illis mortuis qui puniti fuerunt diluvio, atque ita illius judicii exemplo ſententiam propoſitam per ratiocinationem á pari confirmat: ſimulque monet, ad quid pœna illa corporalis nonnullis profuerit: nempe ut per eam efficax in eis redderetur prædicatio Euangelii, quam ex Noacho auditam contemſerant: ac proinde ut carne quidem, id eſt, in corpore ſint judicati ſeu puniti, nempe per aquas diluvii: idque ſecundúm homines, id eſt ita ut homines in illis cernere poſſint manifeſtum exemplum judicii divini in contemtores verbi ſui: veruntamen ut vivant ſpiritu: id eſt, vitam æternam ſeu ſalutem animæ adepti ſint, propter reſipiſcentiam ſcilicet ac fidem qua crediderunt Euangelio ſibi antea prædicato: idque ſecundúm Deum, id eſt ex gratia Dei miſerentis ipſorum, & ipſo ſolo conſcio. Solus enim Deus novit qui ſint ſui: & ut ſolus καρδιογνώστης gemitus ex fide profectos exaudit. Verſ. 7. per prolepſin occurrit cogitationi de mora qua dies ille judicii videtur differri. Monet igitur, diem illum non procul abeſſe, ubi ait: *Omnium autem finis imminet.* Atque ex hac ipſa ſententia mox deducit alias exhortationes: videlicet ad ſobrietatem & preces, eodem verſu: ad charitatem ℣. 8. ad hoſpitalitatem ℣. 9. ad communicationem donorum ſpiritualium, ℣. 10. denique ad eorundem donorum rectum uſum ℣. 11. Iſtis autem hortationibus aſpergit ſua argumenta. Ac hortationi quidem ad charitatem annectit argumentum ab effectu utili, videlicet pace ac tranquillitate. quem effectum ſignificat verbis Salomonis, Prov. 10. ℣. 12. dicentis, quód charitas operiat multitudinem peccatorum, hoc eſt, quód conniveat ad injurias proximi eaſque pacis causâ diſſimulet, nec odioſé exagitet ac propterea cum proximo rixetur: ſicut contrá odium (ut ibidem habetur) contentiones ſeu rixas excitat. Hortationi veró ad communicationem donorum ſpiritualium adjungit argumentum ab illorum donorum fine propter quem nobis á Deo data ſunt, nempe ut ea in proximos diſpenſemus. quod ipſum confirmat ab adjuncta donorum illorum varietate: quód ſcilicet dona illa varia ſint, nec uni omnia, ſed alia aliis data, ut nimirum ſinguli ſua cum aliis communicent. hoc exprimit Petrus his verbis: *Ut boni diſpenſatores variæ gratiæ Dei*, ℣. 10. Porró ℣. 11. hortationem qua hortatur ad reverentiam Dei in tractando ipſius verbo, confirmat ab ipſius verbi authore, quatenus vocat *eloquia Dei*, id eſt, profecta á Deo & ſancto Dei ore ad noſtram ſalutem pronuntiata. Hortationem veró qua hortatur ad fidelitatem in miniſtrando, quum ſcilicet miniſtratur fratribus ægrotis aut pauperibus: confirmat á fine virium quas nobis Deus ſuppeditat: nempe ut ex illis fideliter proximo miniſtremus. Poſtremó utramque illam hortationem cõfirmat ab effectu utili, videlicet glorificatione Dei per Chriſtum. Atque huic argumento annectit δοξολογίαν: ibi, *Cui eſt gloria* &c.

DE POSTERIORE PARTE.

12 *Chariſſimi, ne tanquam hoſpites, exploratione illa per ignem quæ fit in vobis ad veſtri experimentũ, percellimini, ut ſi peregrinũ aliquid vobis accideret,*

13 *Imó in eo quód conſortes eſtis afflictionum Chriſti, gaudete: ut & quum patefiet ejus gloria, gaudeatis exultantes.*

14 *Si*

14 *Si probris afficiminí ob nomen Christi, beati estis: quoniam ille gloriæ & ille Dei Spiritus super vos requiescit. Quod ad illos quidem attinet, maledicta in vos jaciuntur: quod ad vos autem, gloria vobis contingit.*

15 *Ne quis enim vestrûm affligatur ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut ut alienarum rerum inspector:*

16 *Sed si ut Christianus, ne pudefiat, imó glorificet Deum hac in parte.*

17 *Nam tempus est ut incipiat judicium á domo Dei: quód si primúm incipit á nobis, quis erit finis eorum qui non parent Dei Euangelio?*

18 *Et, si Justus vix servatur, impius & peccator ubi comparebit?*

19 *Itaque qui affliguntur ex voluntate Dei, tanquam fideli conditori commendent animas suas benefaciendo.*

Hic continetur quinta pars epistolæ, ubi Petrus Judæos fideles hortatur ad tolerantiam persecutionis propter confessionem Christi. Ac primúm v. 12. monet, ne persecutione offendantur aut perturbentur tanquam re nova & insolita: inserto argumento á fine quo Deus persecutionem immittit, qui est probatio fidei seu laus ex probatione fidei. Porró persecutionem comparat igni quo exploratur aurum vel argentum. Deinde v. 13. monet ut persecutione non solúm non contristentur, sed etiam gaudeant. Argumentum addit geminum: unum, quód afflictiones illas communes habeant cum Christo: nempe quia ipse quoque propter confessionem veritatis cælestis tales afflictiones ab inimicis sustinuit. Alterum: quód communem quoque gloriam cum Christo habituri sint, communiáque gaudia in cœlo percepturi. Tum v. 14. consolatur eos ab utili eventu, videlicet gloria quæ comitatur eos qui probra immerita patienter sustinent, per spiritum Dei super ipsos requiescentem. Hoc argumentum amplificat antithesi per prolepsin: qua malo proposito maledicentium opponit glorioſum eventum maledictorum, inquiens: *Quod ad illos quidem attinet*, βλασφημεῖται, id est, *maledicta* in vos *jaciuntur*: *quod ad vos autem*, δοξάζεται, id est, *gloria* vobis *contingit*. V. 15. argumentum modó expositum declarat, monens se loqui de afflictionibus immeritis: quam sententiam proponit sub forma dehortationis, inquiens; *Ne quis enim vestrûm affligatur ut homicida, &c.* Cui dehortationi mox v. 16. opponit cohortationem ad tolerantiam afflictionum immeritarum, inserto argumento ab utili eventu, videlicet glorificatione Dei, id est, qua Deus glorificatur. V. 17. aliud argumentum subjungit, quod sumtum est á voluntate Dei, cui visum sit in hoc seculo castigare filios suos. id quod Petrus significat his verbis: *Nam tempus est quo incipiat judicium á domo Dei.* Tum adjungit aliud consolationis argumentum, á pœna quæ manet persecutores: quod argumentum confirmatur á minori: Filii Dei in hac vita acriter á Deo castigantur: Ergo impii persecutores filiorum Dei longé graviús á Deo punientur, v. 17. & 18. Postremó v. 19. hortationem hanc concludit, & argumentum illud á voluntate Dei repetit: simulque aliud geminum admiscet, videlicet á constantia promissionum Dei, & ab ejusdem omnipotentia, ubi Deum vocat *fidelem conditorem*. quasi dicat: Deus potest vobis animas vestras in persecutionibus conservare, quia est omnipotens earum conditor: & vult quoque, quia fidelis est & constans in suis promissis.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

SCHOLIA IN CAP. IIII.

1 *Carne*, σαρκὶ. Id est, ἐν σαρκὶ, in carne: ut mox loquitur: hoc est, in humana

humana natura, corpore & anima. Synecdoche membri. *Eâdem.* τῷ αὐτῷ. Subaudi χῷ. *Qui passus est in carne.* ὁ παθὼν ἐν σαρκὶ. Id est, qui supplicio affectus est in corpore. vel, qui mortificavit desideria carnalia. In vocabulo *carnis*, αὐταναπλασις est: repetitur enim diversâ significatione.

2 *In carne.* ἐν σαρκὶ. Id est, in corpore.

3 *Libidinem gentium.* τὸ θέλημα τ῀ ἐθνῶν. Id est, qualis dominatur in Gentibus non regenitis spiritu Dei.

4 *Quamobrem.* ἐν ᾧ. Ad verb. In quo. id est, qua in re, seu quam ob rem, διὸ. *Peregrinari sibi videntur.* ξενίζονται. Ad verb. Peregrinantur. id est, tanquam re peregrina ac nova offenduntur.

6 *Idcirco.* εἰς τοῦτο. Ad hoc: in hunc finem. *Mortuis quoque.* χ῍ νεκροῖς. Id est, iis qui nunc sunt mortui: vixerunt autem temporibus Noë: de quibus suprá cap.3.v.19. & 20. *Prædicatum est Euangelium.* ἐυηγελίσθη. Scilicet per Noachum: ut expressit suprá cap.3. v.20. quem idcircó nominat præconem justitiæ, 2.Pet 2.5. *Ut judicarentur quidem,* ἵνα κριθῶσι μ῍. Id est, punirentur, videlicet aquis diluvii, propter prædicationem Noachi contemtam. Sic accipitur verbum κρίνεσθ 1.Corinth 11.v.31.& 32. de pœnis scilicet seu castigationibus corporalibus. *Secundùm homines.* χ῍ ἀνθρώπους. quo ad notitiam hominum. *Carne.* σαρκὶ. Id est, in carne seu corpore: *Viverent autem.* ζῶσι δὲ. Id est, vitam æternam adipiscerentur aliqui ex illis, pœna illa diluvii ad resipiscẽtiam adducti & prædicationi Noachi, quantumvis seró, fidem habentes. *Secundùm Deum.* χ῍ θεὸν. Id est, quo ad notitiam Dei: qui solus tanquam καρδιογνώστης novit eos qui ex illis resipiscebant. *Spiritu.* πνεύματι. Id est, in anima. Sic enim animæ tribuitur salus æterna κατ' ἐξοχὴν, suprá cap.1.v.9. Et sic spiritus carni opponitur 1.Cor.5.v.5.

7 *Imminet.* ἤγγικε. Ad verb. Appropinquavit.

10 *Accepit.* ἔλαβε. Scilicet á Deo. *Variæ gratiæ.* ποικίλης χάριτος. id est, ποικίλων χαρισμάτων, variorum donorum. Metonymia efficientis.

11 *Si quis loquitur.* εἴ τις λαλεῖ. Si quis prædicat verbum Dei in Ecclesia, interpretando Scripturam aut doctrinam proferendo é Scriptura. *Ut eloquia Dei.* ὡς λόγια Θεοῦ. Id est, ita ut decet pronuntiare eloquia Dei, adhibitâ scilicet singulari reverentiâ. Subauditur autem hic verbum conjugatum, sicut Rom.12. v.8. *Si quis ministrat.* εἴτις διακονεῖ. Videtur intelligere ministerium in curandis ægrotis aut pauperibus: quia hoc ministerium á ministerio verbi distinguit. *Cui.* ᾧ. Sive Deo, sive Christo.

12 *Ne tanquam hostes percellimini.* μὴ ξενίζεσθε. Vel, ne tanquam re peregrina offendimini. Sic suprá v.4.

13 *Afflictionum Christi.* τοῖς τοῦ χριστοῦ παθήμασι. Id est, afflictionum, quales Christus á mundo perpessus est propter professionẽ veritatis cælestis. *Gaudete.* χάιρετε. Sic Matth.5.v.12. Gaudete & exultate, &c.

14 *Ob nomen.* ἐν ὀνόματι. Id est, διὰ τὸ ὄνομα. hoc est, propter confessionem Christi, quia profitemini vos Christianos. *Maledicta* in vos *jaciuntur.* βλασφημεῖται. Sic puto accipiendas esse hoc loco istas voces, βλασφημεῖται, & δοξάζεται: scilicet impersonaliter. Alii referunt ad Spiritum sanctum, cujus facta mentio in sententia præcedente.

15 *Ne quis enim.* μὴ γάρ τις. Conjunctio γὰρ favet expositioni verbi δοξάζεται, á nobis allatæ. quasi dicat: Nam quod dixi, gloriam vobis contingere ex hostium Euangelii maledictis: ideo dixi, quia statuo vos pati illa maledicta, ac omnino quævis mala, non propter scelera, sed immerentes,

rentes, propter professionem scilicet nominis Christiani. Quod si quis vestrûm affligeretur ut maleficus, id gloriam ei non afferret.

16 *Sed si ut Christianus.* εἰ δὲ ὡς χριστιανὸς. Scil. πάσχει, patitur seu affligitur.

17 *Judicium.* τὸ κρῖμα. Pœna, castigatio. *A domo Dei.* ἀπὸ τοῦ οἴκου τοῦ θεοῦ. A domesticis Dei, á filiis & servis Dei. *Quis erit finis.* τί τὸ τέλος. quám miserabilis erit exitus?

18 *Justus.* ὁ δίκαιος. pius: qui justitiâ delectatur, eique studet. *Ubi.* ποῦ. quasi dicat. Nusquam, videlicet in domo Dei, id est, in cælo.

OBSERVATIONES EX CAP. IIII.

Ex v. 1. 2. & 3. Notentur hic tria argumenta quibus moveri atque impelli debemus ad studium sanctè vivendi, quorum primum sumitur ab exemplo Christi, ad hunc modum: Christus passus est pro nobis carne: Ergo & nos debemus pati carne. hoc autem fiet, si desistentes á peccato, non ampliús cupiditatibus hominum, sed voluntati Dei quod in carne reliquum est temporis, vivamus. Secundum argumentum petitur ab effectu passionis Christi, quod innuitur verbis *Pro nobis*: quibus nimirum finis seu scopus qui Christo patienti fuit propositus, ac proinde & passionis Christi effectus significatur. Vis autem hujus argumenti est hæc. Christus passus est pro nobis, id est, ut pro nostris peccatis satisfaceret judicio Dei, atque ita Deum nobis placaret, iramque ejus á nobis averteret, & contrá gratiam ipsius nobis conciliaret. Remotâ autem á nobis irâ Dei, desinit in nobis dominatus peccati: quippe qui ab ira Dei tanquam pœna primi illius peccati quod in lumbis primorum parentum admisimus, dependet. Item conciliatâ nobis gratiâ Dei, datur nobis á Deo Spiritus sanctus, qui peccatum inhabitans coërcet, reprimit, retundit, denique vires illius imminuit, ne possit nobis ampliús dominari: & contrá nobis ingenerat studium justitiæ, ut toto pectore cupiamus deinceps vivere voluntati Dei. Hæc naturæ instauratio quum in nobis effecta sit per passionem Christi: consequens est nos jam ex gratia Dei habere aliquas vires ad sanctè vivendum: ac proinde adhibendum nobis esse studium, Deumque rogandum ut illas vires nobis indies augeat, donec ad perfectionem nos adducat: præsertim quum promiserit, se tales nostras preces (quippe secundúm voluntatem ipsius institutas) exauditurum & sanctos nostros conatus adjuturum. Ad hujus argumenti explicationem atque confirmationem pertinent quæ tradit Paulus Rom. 6. Tertium argumentum sumitur á recordatione pristini nostri status ante conversionem, & collatione illius cum statu præsenti gratiæ. Sententia hæc est: Ante conversionem nostram patravimus & securé ac petulanter commisimus omnis generis flagitia & scelera: Ergo jam conversi debemus ab illis desistere, eaque fugere ac vitare. Ratio consequentiæ hîc intelligenda est ista: quód contrariorum efficientium contraria sunt effecta. Sicut igitur ex naturali vitiositate olim orta est securitas peccandi: ita nunc ex naturæ emendatione nasci debet studium sanctè vivendi. Idem argumentum propositum fuit suprá cap. 2. v. ult. Porró ad hujus argumenti illustrationem faciunt quæ tradit Paulus Rom. 6. v. 19. & deinceps. 1. Cor. 6. v. 11. 1. Thessal. 5. v. 4. & deinceps. Etsi autem istud argumentum non videtur pertinere ad omnes; quum nonnullis contingat spiritus regenerationis in pueritia: tamen satis est pertinere ad multos. Et quibus spiritus regenerationis maturé cótigit,

hoc

hoc ipso Dei beneficio magis obstringuntur ad sanctitatis studium: præsertim si cogitent, se á natura ad omnis generis scelera atque flagitia non minús pronos fuisse, quám illos qui ea admiserunt: quód autem non ipsi quoque eadem admiserint, ex gratia Dei per spiritum ipsius retentos fuisse.

Ex v.2. Ex eo quód Petrus cupiditatibus hominum opponit voluntatem Dei: monemur naturam humanam penitus esse corruptam seu depravatam: quippe cujus cupiditates repugnant sanctæ voluntati Dei. De hac naturæ corruptione passim testatur Scriptura.

Ex eodem versu. Quód Petrus ad studium sanctæ vitæ exhortans, monet ut vivamus voluntati Dei: hinc monemur voluntatem Dei, videlicet in Lege & Euangelio patefactam, esse sanctæ vitæ regulam.

Ex eodem versu. Vita sancta duas partes continet: fugam actionum turpium, ad quas instigant innatæ cupiditates, & studium actionum sanctarum quas á nobis requirit Deus. Confer Eph. 4. v. 22. & deinceps. Colos. 3. v. 9. & 10. Sup. 3. v. 11.

Ex v. 4. & 5. Quum videmus, homines mundanos & carnales, id est, voluptatibus mundi & carnis deditos, moribus nostris sobriis & ad gravitatem Christianam compositis, tanquam peregrinis offendi, nosque eo nomine blasphemare: non debemus ea re moveri, ut propterea concurramus cum eis ad eandem luxus profusionem: sed cogitare debemus, illos á Deo punitum iri. Hujus admonitionis usus hodie est, adversus blasphemiam eorum, qui quum vident nos improbare ac reprehendere compotationes & saltationes illas in nuptiis aliisve conviviis aut solennitatibus usitatas: dicunt, spiritum Zwinglianum seu Calvinisticum esse spiritum melancholicum, quo nimirum innuunt Diabolicum. Huc pertinet admonitio Pauli Rom. 12. v. 2. Ne conformate vos seculo huic.

Ex v. 6. Quum videmus proximum temporalibus pœnis á Deo affici, non debemus inde colligere, eum esse Deo exosum, ac proinde æterna quoque morte punitum iri. Etenim Deus temporales pœnas in nonnullis adhibet tanquam paternas castigationes, quibus illos ad resipiscentiam atque ita ad vitam æternam seu salutem animarum adducit: Sicut Petrus hoc loco de diluvio illo universali affirmat. Huc pertinet illud Pauli 1. Cor. 11. Quum judicamur (id est, punimur) á Domino castigamur, ne cum mundo condemnemur.

Ex v. 7. Quum Petrus hoc loco affirmet, omnium finem imminere: & tamen ex illo tempore quo hæc scripsit, aliquot secula effluxerint: quærat aliquis, quî veritas hujusce affirmationis constet. Respondeo primúm: Apud Deum mille anni perinde sunt ut unus dies, 2. Pet. 3. v. 8. Deinde tempus illud mundi quod cœpit á promulgatione Euangelii, in Scriptura vocatur tempus ultimum: idque propterea quód nulla ampliús illustris & catholica Dei patefactio in hoc mundo expectanda est præter adventum filii Dei ad judicium. ubi obiter notandum, illustres & catholicas Dei patefactiones jam præteriisse tres: Eæ sunt prædicatio Euangelii & resipiscentiæ per Noachum, ejusdemque prædicationis obsignatio per diluvium: deinde promulgatio Legis in monte Sinai, ejusdemque obsignatio per pœnas Israëlitarum in deserto, & introductio in terram promissam: tum promulgatio Euangelii per missionem Spiritus sancti in die Pentecostes, ejusdemque obsignatio per subsecuta miracula. Nunc quarta eademque ultima Dei patefactio restat, qua filius Dei conspici-

endum

endum se præbebit in nubibus & judicium universale exercebit. Adhæc Apostoli ideó de adventu illo Domini tanquam instanti loquuti sunt : quia quum scirent se versari in tempore mundi ultimo, diem tamen & horam finis mundi seu adventus Domini ignorabant (quippe quem etiam Angeli ignorant, Marc. 13. v. 32.) ac proinde ita de eo loquebantur, ut qui in singula momenta parati essent ad Dominum adventantem excipiendum. Interim tenendum est, sicut Paulus secum ipse non pugnat, quum uno in [a] loco affirmat, se in fines ætatum incidisse: [b] alibi veró negat, diem Domini venturum nisi priús venerit defectio: ita etiam non pugnare cum illa Pauli & hac Petri affirmatione, quód expectamus adhuc conversionem Judęorum, saltem bonæ partis, ante Domini adventum: idq; ex prophetia Pauli Rom. 11. v. 23. & deinceps.

[a] 1. *Cor.* 10. v. 11.
[b] 2. *Thess.* 2. v. 3.

Ex eodem versu. Ad Domini adventum præparare nos debemus per sobrietatem & vigilantiam, quotidianamque invocationem. Confer Lucæ 12. v. 35. & deinceps : item cap. 21. v. 34. & deinceps. item 2. Pet. 3. vers. 11. & deinceps.

Ex v. 8. Cavendum ne verbis Petri quæ hîc pronunciat de charitate, abutamur (ut Papistæ faciunt) ad oppugnandum doctrinam verbi Dei de justificatione fidei : quasi scilicet non justificaremur per solam fidem : sed remissionem peccatorum mereremur, saltem ex parte, per charitatem : id est, per hoc quód diligimus Deum & proximum. Etenim verborum Petri non hic est sensus, quód charitas nostra operiat peccata nostra coram Deo, ne scilicet veniant in illius conspectum, sed ut ea nobis propter charitatem nostram ignoscat : Sed sensus est, quód charitas qua diligimus proximum, tegat peccata proximi in nos admissa, idque coram nobis, id est, ne veniant in conspectum nostrum, sed ut ea proximo ignoscamus : nec illum propterea odio habeamus, aut cum eo rixemur. Quam esse sententiam verborum, planum est ex sententia quæ isti apud Salomonem unde hæc verba desumta sunt, opponitur, præcedunt enim illic hæc verba, *Odium excitat rixas: Proverb.* 10. 11.

Ex v. 9. Christiani debent esse hospitales, hoc est, faciles ad præbendum hospitium fratribus qui propter Euangelii confessionem coguntur exulare & incertis vagari sedibus. Et hoc officium illis præstandum est sine murmurationibus : ne scilicet adversus ipsos murmuremus, si paulo diutiús nobis oneri sint, maximé si id fiat citra ipsorum culpam. Confer Hebr. 13. vers. 2.

Ex v. 10. Facultatem juvandi proximi, quam singuli ex Dei dono accepimus, fideliter conferre debemus ad proximum juvandum : cogitantes, illam nobis á Deo concreditam esse tanquam œconomis: ac proinde dispensationis nostræ rationem illi aliquando reddendam fore.

Ex v. 11. Verbum Dei tractandum est cum summa reverentia & modestia, idque consideratione majestatis Dei á quo illud profectum est : ut ipse ita glorificetur. Peccant igitur qui verbo Dei tractando eruditionem suam aut eloquentiam ostentant, earumque rerum laudem apud auditores lectorésve quærunt. Confer 1. Cor. 1. v. 17. & deinceps : item cap. 2. a principio & deinceps.

Ex eodem versu, ex verbis, *Si quis ministrat, &c.* Qui instructi sunt facultate ministrandi proximo, sive sublevando inopiam pauperum, sive consolando curandóve ægrotos : facultatem illam ad juvandum proximos fideliter debent conferre, cogitantes illam sibi ob hanc ipsam

causam á Deo esse suppeditatam.

Ex v.12. & deinceps usque ad finem capitis. Notanda hîc sunt aliquot argumenta consolationis contra scandalum persecutionis quam patimur propter confessionem Euangelii. Eorum primum est; Quia Deus ita nos explorat,ut experiatur an in fide simus sinceri & constantes: quæ fidei sinceritas atque constantia ubi ita fuerit comperta tum nobis ipsis tum aliis, ea res & gaudium nobis affert & laudem. Item tradit Paulus Rom. 5. vers. 3.4. & 5. Secundum argumentum: Quia quum patimur propter confessionem Euangelii, consortes sumus afflictionum Christi: quippe qui propter eandem causam mundi odium & persecutionem passus est. Id autem nobis est honestum, conformari Christo tanquam nostro capiti, magistro ac domino. Hoc argumento Christus ipse Apostolos consolatus fuit Joh. 15.vers.18. 19.& 20. Tertium argumentum: Quia si constanter pertulerimus persecutionem istam,atque ita communicabimus cum perpessionibus Christi: consortes quoque futuri sumus gloriæ Christi & gaudiorum cælestium. Idem tradit Paulus Rom.8. vers. 17. item 2. Tim.2. vers.12. & 12. Quartum argumentum:Quia quum patienter ferimus probra mundi propter nomen Christi: ea res nobis cedit in gloriam: ut quæ indicio sit, quód requiescat super nos spiritus Dei. Etenim homo carnalis pronus est ad probra non ferendum, sed regerendum. Quintum argumentum: Quia hæc nostra patientia cedit ad glorificandum Deum: quippe propter quem injurias illas æquo animo ferimus: ut nimirum obediamus sancto ipsius mandato quo nobis præcepit veritatis suæ confessionem. Hoc argumentum significat & Johannes Joh.ultim.vers.19.ubi ait, Jesum verbis ad Petrum pronuntiatis de ipso olim cingendo per alium,significasse qua morte is glorificaturus esset Deum.Sextum argumentum: Quia Deus persecutiones nobis immittit justo ac sapiente judicio, & præterea animo paterno, tanquam suis domesticis atque adeo filiis: videlicet ne cum mundo condemnemur. Idem tradit Paulus 1. Cor.11.v.32. Ubi observandum, unam eandemque afflictionem habere posse rationem & explorationis aut etiam martyrii,& castigationis.Martyrii quidem & explorationis, quatenus infertur ac sustinetur propter Euangelii confessionem: castigationis verò, quatenus eam meriti sumus nostris peccatis coram Deo. Coram Deo,inquam.nam coram mundo ea in parte sumus innocentes. Septimum argumentum: Quia Deus tanquam justus judex,innocentiam nostram suo tempore asserturus est: quum scilicet puniet nostros persecutores æterno exitio. Idem tradit Paulus 2.Thess. 1.vers.5.& deinceps. Atque idem significabat quoque Christus,quum diceret: Si hoc faciunt in ligno viridi,in arido quid fiet? Octavum argumentum: Quia Deus qui persecutiones nobis immittit,est fidelis noster conditor. quare & potest & vult nos in persecutionibus conservare. Etsi autem non semper tuta præstat corpora, sed ea sæpe á tyrannis affligi atq; occîdi sinit: tamen satis nobis esse debet,quód semper confirmat fidelium suorum confessorum animos, ut intrepidé ac fortiter cruciatus corporis perferant & vincant.id quod martyrum exempla abundé demonstrant.

Ex v.17. Ecclesia est domus Dei: quia Deus in fidelibus inhabitat per Spiritum sanctum. Confer 1.Tim.3 v.15.Heb.3.v.2.& deinceps.

Ex eodem versu ex verbis, *Dei Euangelio.* Quum Euangelium authorem habeat Deum: sequitur,summa cum reverentia audiendum atque amplectendum esse.

ANALYSIS

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

Hîc redit primúm ad exhortationes ſpeciales, ac officii admonet tum presbyteros, tum juniores, uſque ad v.8. Deinde adjungit exhortationem generalem ſeu communem, verſ.8.& 9. Poſtremó epiſtolam concludit. Ita ſunt tres hujus capitis partes.

DE PRIMA PARTE CAPITIS.

PResbyteros qui inter vos ſunt, precor ego unâ presbyter, ac teſtis perpeſſionum Chriſti, atque idem gloriæ patefaciendæ conſors,

2 Paſcite Dei gregem qui penes vos eſt, curam illius agentes non coactè, ſed libenter: non turpiter affectantes lucrum, ſed promto animo.

3 Neq; ut dominantes cleris, ſed ut qui ſitis exemplaria gregis.

4 Et quum apparuerit ille Paſtorum princeps, reportabitis immarceſcibilem illam gloriæ coronam.

PResbyteros (id eſt, eos qui Eccleſiam gubernant verbo) hortatur ad curam gregis ſibi commiſſi. Idque primúm á ſuo exemplo, ut qui eodem officio fideliter fungantur, ſuæque fidelitatis præmium expectent, gloriam illam cæleſtem: quo jam ſecundum argumentum innuitur, ab eventu utili: verſ.1. Deinde v.2.& 3. illam curam pro grege gerendam illamque gregis gubernationem deſcribit é ſua forma illuſtrata contrariis; quatenus præcipit, ut gregis ſibi commiſſi curam agant *non coactè, ſed libenter: non turpiter affectando lucrum, ſed promto animo*; *non velut dominando cleris, ſed præbendo ſeſe exemplaria gregis.* Tum verſ.4. argumentum illud ab utili eventu, videlicet gloria cæleſti pro præmio ipſis tribuenda, repetit.

5 Similiter juniores ſubjecti eſtote ſenioribus, & omnes vicissim ſubjicimini. Modeſtiæ eſtote intus ornati: nam Deus ſuperbis reſiſtit, demiſſis autem dat gratiam.

6 Demittite igitur vos ſub potentem manum Dei, ut vos extollat in tempore:

7 Omni cura veſtra in eum conjecta: nam illi cura eſt de vobis.

Hîc juniores hortatur primúm ad ſubjectionem erga ſeniores: deinde ad modeſtiam tanquam illius ſubjectionis cauſam procreantem. Ac priorem quidem hortationem amplificat correctione, qua illam extendit ad omnes. Poſteriorem veró hortationẽ confirmat primúm ab adjuncta modeſtiæ pulchritudine, quam ſignificat verbo ἐγκαμβώσασθαι, id eſt, intus ornatum eſſe. Deinde ab eventis tum ſuperbiæ, tum modeſtiæ: ubi ait, *Nam Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Tum hortationem ipſam repetit, ſimulque argumentum illud ab eventis confirmat ab adjuncta potentia cauſæ efficientis unde illa eventa proficiſcuntur, ubi ait v 6. *Humiliamini igitur ſub potentem illam manum Dei, ut vos exaltet in tempore.* quaſi dicat: Deus ſatis potens eſt & ad reſiſtendum ſuperbis & ad exaltandum humiles, quare ſuperbiam fugite, humilitati veró ſtudete. Huic

sententiæ subjungit quasi πόρισμα seu corollarium, hortationem ad fiduciam in Deum, monens, *ut omnem suam curam in Deum conjiciant*: consideratâ nimirum potentiâ ipsius, cujus fecerat mentionem: nec non paternâ voluntate, de qua subjungit inquiens, *Nam illis cura est de vobis.*

DE SECUNDA PARTE CAPITIS.

8 *Sobrii estote: vigilate, nam adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, obambulat, quærens quem devoret.*

9 *Cui resistite firmi per fidem: scientes easdem perpessiones à vestra quæ in mundo est fraternitate impleri.*

Hîc hortatur universos ad sobrietatem, vigilantiam, & constantiam in fide ac tolerantia persecutionum. Ad sobrietatem & vigilantiam hortatur ab objecto periculo, videlicet insidiis diaboli perpetuis: quas insidias amplificat ab adjuncto diaboli robore, quatenus eum comparat leoni. Ipsam verò nocendi cupiditatem quæ diabolum ad nocendum filiis Dei impellit, declarat tribus similibus: primò vocans illum nostrum adversarium, ἀντίδικον: deinde comparans eum leoni rugienti: postremò tribuens illi cupiditatem devorandi. His diaboli insidiis quomodo sit resistendum, mox subjungit in principio versus 9. videlicet per constantiam in fide: atque ita illos ad constantiam in fide hortatur, simulque spe victoriæ consolatur. Postremò annectit quoque consolationem contra persecutiones mundi, á pari conditione fratrum, id est, fidei Christianæ sociorum in toto mundo. Neque enim quisquam debet meliore conditione esse velle quàm fratres.

DE TERTIA PARTE CAPITIS.

10 *Cæterùm Deus omnis gratiæ* author, *qui vocavit nos ad æternam suam gloriam in Christo Jesu, paulisper afflictos*, is inquam, *integros vos reddat, stabilitat, roboret, fundet.*

11 *Ipsi* sit *gloria & robur in secula seculorum, Amen.*

12 *Per Sylvanum vobis fidum fratrem (ut existimo) paucis scripsi, adhortans vos, & testificans hanc esse veram gratiam Dei in qua statis.*

13 *Salutat vos ea quæ est in Babylone vobiscum electa* Ecclesia, *& Marcus filius meus.*

14 *Salutate alii alios charitatis osculo. Pax* sit *vobis omnibus qui estis in Christo Jesu. Amen.*

Epistolam concludit primùm voto, v. 10. deinde doxologia, v. 11. tum διαχειφαλαιώσει, id est, brevi præcipuorum capitum in epistola tractatorũ indicatione, v. 12. postea salutationibus, v. 13. Postremò hortatione ad declarandum mutuam charitatem, ac rursus voto, vers. ultim. Primo illo voto optat eis primùm καταρτισμὸν, consummationem seu perfectionem, id est, plenam cognitionem voluntatis Dei, itemque plenam facultatem agendi quæ Deo placent. deinde constantiam in fide: quam significat tribus verbis, ubi ait, *Stabiliat, roboret, fundet.* In διαχειφαλαιώσει significat, se in hac epistola egisse duo: videlicet eos ad quos scribit esse adhortatum, & testificatum eis esse de veritate doctrinæ Euangelii quam erant amplexi; quam μαρτυρικῶς vocat *gratiam Dei*, quia testimonium est de gratia Dei per Christum in omnes credentes. In salutationibus simul significat locum ubi

hanc

hanc epistolam scripsit, videlicet in Babylone: quod nomé proprié de urbe Chaldææ, non autem allegoricé seu metaphoricé de urbe Roma intelligendum esse, rectè (meo judicio) á recentioribus traditur. quia illud quadrat cum apostolatu Petri, ut qui peculiariter destinatus fuit Judæis: quorum scilicet magna copia in orientalibus istis regionibus degebat. Sané si Romæ hanc epistolam scripsisset Petrus: non videtur idonea afferri posse causa, cur nomen illius voluerit dissimulare.

SCHOLIA IN CAP. V.

1 *Presbyteros* πρεσβυτέρους. Id est pastores & gubernatores morum.

2 *Dei gregem.* τὸ ποίμνιον τοῦ θεοῦ. Id est, cœtum fidelium. Metaphora. *Cleris.* τῶν κλήρων. κλήρους vocat singulos cœtus fidelium, quód sint Deo chari instar hæreditatis quæ alicui sorte contigit. nam κλῆρος propriè sortem significat. Concurrunt igitur hic metonymia & metephora: metonymia scilicet causæ procreantis, quatenus per sortem significatur hæreditas qui sorte contigit: metaphora verò, quatenus nomine hæreditatis intelligitur res chara instar hæreditatis.

4 *Et quum apparuerit.* καὶ φανερωθέντος Videlicet in suo adventu ad judicium. *Ille pastorum princeps.* τοῦ ἀρχιποίμενος. Id est, Christus. *Gloriæ coronam.* τὸν τῆς δόξης στέφανον. Id est, gloriam veluti coronam. Syntaxis qualis in illo Rom. 4. v. 12. Qui incedunt vestigiis fidei: id est, fide, quasi vestigiis. Paulus 2. Tim. 4. v. 8. nominat coronam justitiæ: quia pro justitia datur, tanquam præmium. Metaphora á certaminibus. Confer 1. Cor 9. v. 24. & deinceps.

5 *Demissis.* ταπεινοῖς. Ad verb. *Humilibus.* Id est, τοῖς ταπεινόφροσι.

9 *Fraternitate.* ἀδελφότητι. Sic nominat multitudinem fratrum, ut suprà cap. 2. v. 17.

12 *Ut existimo.* ὡς λογίζομαι. Referendum puto ad epitheton fidei.

OBSERVATIONES EX CAP. V.

Ex v. 1. 2. & 3. Presbyteri debent gregem Dei sibi commissum pascere: id quod fit docendo, exhortando, consolando, redarguendo, corripiendo, prout necessitas postulat. Deinde, debent gregis sibi commissi curam gerere fidelem: id quod fit diligenter observando singulorum vitam ac mores: idque promto animo, non propter lucrum. Tertió, non debet sibi in cleros (id est, cœtus fidelium) usurpare dominatum. Quartó, debent se gregi suo præbere exemplaria: id est, præire illis debent bono exemplo honestæ ac sanctæ vitæ. Hæc quum non præstent presbyteri & pastores in Papatu: sequitur, eos honorificis istis titulis indignos esse.

Ex v. 1. Quum Petrus se nominet συμπρεσβύτερον: constat hinc, non gessisse eum se pro capite Ecclesiæ in terris & vicario Christi. Ac proinde Papa falsó se jactat Petri in illa dignitate successorem: quippe quum nemo plus juris in alium possit conferre, quám ipse habeat.

Ex v. 3. Quum nomen cleri á Petro tribuatur totis cœtibus fidelium: sequitur illud in Papatu sacrilegé solis rasis & unctis atque officia Ecclesiastica administrantibus attribui, exclusis quos superbé nominant laicos.

Ex v. 4. Pastores ac Presbyteri ad officium suum studiosé administrandum acuere se debent spe præmii illis apud principem pastorum Christum repositi: quod est corona illa immarcescibilis gloriæ cœlestis. Eodem argu-

mento se confirmavit Paulus 2.Tim.4.vers.8.

Ex v.5.& 6. Juniores debent revereri seniores, eorumque sanctis monitis parêre.deinde omni conatu studere modestiæ,ac fugere superbiam: idque adducti tum modestiæ pulchritudine & remuneratione illius divina, tum superbiæ fœditate & divinis pœnis. Exemplum modestiæ proponitur nobis in Davide [a] & Salomone [b]: superbiæ verò in Pharaone [c] & Nebucadnezare [d].

[a] 1.Sam.18. v.17.
[b] 1.Reg.3.v.7
[c] Exod. 5.v.2.
[d] Dan.4. v.30.

Ex v.6 & 7.Omnem nostram curam conjicere debemus in Deum: tum quia opem nobis ferre potest ut omnipotens Deus, tum quia curam nostri gerit ut fidelis pater.Confer Matt.6.v.25.& deinceps.Idem præcipit David Psal.55.v.23. *Rejice in Jehovam quicquid dat tibi,& ipse sustentabit te : non permittet unquam justo ut dimoveatur.*Item Psal.35.v.5. *Devolve super Jehovam viam tuam :& confide in eo; nam ipse efficiet: proferens tanquam lucem justitiam tuam,&c.*

Ex v.8.Ad sobrietatem & vigilantiam commovere nos debet periculum perpetuó nos circumstans,videlicet insidiæ diaboli,qui perpetuó intentus est ut nos ad securitatem carnalem & omnis generis scelera atque flagitia adducat, & per ea in æternum exitium præcipitet. Idem argumentum proponitur á Paulo Eph.6.v.11.& 12.Eodem argumento usus quoque fuit Christus apud discipulos in horto,Matt.26.v.41.

Ex v. 9. Tentationibus diaboli resistendum est per fidem. Fides autem nititur verbo Dei.Confer institutionem Pauli Eph.6.vers.10. & deinceps: item exemplum Christi Matt.4.v.1.& deinceps.

Ex eodem versu notandum argumentum consolationis contra persecutiones propter Euangelium : quod est societas aliorum fidelium : qui cùm fratres nostri sint,non debemus meliore conditione esse velle.

Ex v.10. Notandum hic aliud argumentum consolationis contra persecutiones propter Euangelium:videlicet quód illæ durant pauliſper, id est, brevi tempore : vel etiam quód sint exiguæ, si scilicet comparentur cum gloria quæ constantes Euangelii confessores manet.Confer sup.cap.1.v.6. & Rom.8.v.18.

Ex eodem versu.Quum Petrus fidelibus exoptet καταρτισμὸν, id est absolutionem seu perfectionem,ut scilicet cognitio Dei & pietas in eis absolvatur atque perficiatur : sequitur hinc, fideles in hac vita non esse perfectos; sed continenter eis proficiendum esse.

Ex v.11.Quoties beneficiorum Dei mentionem facimus, in glorificationem illius seu prædicationem erumpere debemus. Simile exemplum vide suprá cap.4.v.11.item Rom.9.v.5.& cap.ult.v.ult.1.Tim.1.v.17.

[e] Matt.8. v.14.
[f] 1.Cor.9.v.5.

Ex v.13.Quum Petrus habuerit filium,haud dubié ex legitimo conjugio natum: quippe qui & [e] socrum habuit,& uxorem [f] circumduxit: perperam igitur Papa sacerdotibus & clericis(quos vocant) conjugio interdicit.

ANALYSIS LOGICA
POSTERIORIS EPISTOLÆ
S. PETRI.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

SCOPUS *Apostoli Petri in hac epistola est, fideles Judæos ad quos scribit,* [a] *commonefacere de rebus pertinentibus ad salutem ipsorum æternam. Principio igitur postea quam eos paucis confirmavit* [b] *in spe augmenti donorum Dei spiritualium jam in ipsos collatorum,* [c] *hortatur eos primùm ad studium proficiendi in fide aliisque virtutibus Christianis: simulque* [d] *causam exponit cur eos de his rebus tam studiosè commonefaciat. Deinde hortatur eos ad* [e] *constantiam in fide & confessione doctrinæ ipsis ab Apostolis traditæ: & contrà monet de doctoribus* [f] *falsis in Ecclesia exoriturus & jam tum ex parte exorientibus, monens ut ab illis sibi caveant ne ab eis in errores exitiales seducantur: simul etiam illorum mores describit unde veluti ex notis quibusdam queant agnosci. Postremò monet etiam ut sibi caveant à seductione* [g] *irrisorum seu illusorum (quos hodie vulgò Epicuræos appellitant) qui scilicet negant adventum Christi ad judicium universale & mundi hujus interitum. Itaque Apostolus adventum illum certò asseverat atque confirmat: simulq; formam interitus mundi graphicè describit.*

[a] *Cap.1.v.12. & deinceps. item cap.3.v. 1.17.18.*
[b] *Cap.1.v.3. & 4.*
[c] *Cap.1.v.5. & deinceps.*
[d] *Cap.1.v.12. & deinceps.*
[e] *Cap.1.v.16. & deinceps.*
[f] *Cap 2.toto.*
[g] *Cap.3.v.3. & deinceps.*

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Præmissâ inscriptione, vers. 1. & 2. confirmat eos in spe augmenti donorum spiritualium, v. 3. & 4. deinde hortatur eos ad studium proficiendi in fide aliisque virtutibus Christianis, á versu 5. usque ad 12. Tum causam exponit hujusce suæ commonefactionis, usque ad versum 16. Postremò eos hortatur ad constantiam in fide & confessione doctrinæ ipsis ab Apostolis traditæ, usque ad finem capitis. Ita caput distingui potest in quinque particulas.

DE PRIMA PARTICULA.

1 SIMEON *Petrus servus & Apostolus Jesu Christi, iis qui æque-pretiosam fidem nobiscum sortiti sunt per justitiã Dei nostri & servatoris Jesu Christi:*
2 *Gratia vobis & pax multiplicetur per agnitionem Dei, & Jesu Domini nostri.*

INscriptio continet tria membra: subscriptionem, ibi, *Simeon* &c. inscriptionem specialiter dictam, ibi, *Iis qui æque-pretiosam*, &c. & salutationem, ibi, *Gratia vobis* &c. Subscriptio continet nomina scriptoris quatuor: nomen proprium, in circumcisione scilicet ei impositum, quod est *Simeon*: deinde cognomen impositum illi á Christo, quod est *Petrus*: tum nomina officii duo: unum generale, quod est *servus Jesu Christi*: alterum

alterum ſpeciale, quod eſt *apoſtolus Jeſu Chriſti*. Inſcriptio ſpecialiter dicta conſtat periphraſi fidelium Judæorum in provinciis Imperii Romani tum degentium: ut colligitur ex collatione verſus primi capitis tertii cum verſu primo capitis primi epiſtolæ prioris. Illos autem deſcribit ab adjuncta fide per collationem parium. Fidem autē amplificat ab adjuncta præſtantia & á cauſa procreante atq; impulſiva. quarum illam ſtatuit Chriſtum: quem cōmendat á præſtantia tum perſonæ, quatenus eum nominat *Deum*: tum officii, quatenus eum vocat *ſervatorem* noſtrum. Impulſivam verò ſtatuit *juſtitiam illius*; quo nomine videtur intelligere veritatem ejus ſeu fidem in ſervandis promiſſis: quippe quòd jam olim patribus promiſerat ſe in ſuo adventu aliquos ex Iſraëlitis ad agnitionem ſui vocaturum. Salutatio comprehendit vorum quo exoptat eis augmentum trium maximorum bonorum: primùm *gratiæ*, id eſt, favoris Dei: deinde *pacis*, id eſt, tranquillitatis animi é ſenſu illius favoris Dei: tum *agnitionis Dei & Jeſu domini noſtri*. Hæc tria ita inter ſe comparata ſunt. Gratia ad pacem & agnitionem ſe habet ut cauſa procreans. nam quem Deus favore proſequitur, favore ſcilicet paterno propter Chriſtum, eum donat agnitione ſui & Chriſti: & per hanc ipſam agnitionem in eo efficit pacem, id eſt, tranquillitatem animi ſuaviter in agnita Dei gratia acquieſcentis. unde jam intelligitur, quòd agnitio quoque ad pacem ſe habeat ut cauſa procreans, ſaltem inſtrumentalis: quippe qua Deus utitur ad pacem in nobis efficiendam. quod ipſum quoque verba Petri innuunt, ubi ait, ἐν ἐπιγνώσει: pro eo quod eſt δι' ἐπιγνώσεως, id eſt, per agnitionem.

DE SECUNDA PARTICULA.

3 *Prout divina potentia ipſius omnia nobis donavit quæ ad vitam & pietatem* pertinent, *per agnitionem illius qui vocavit nos ad gloriam ac virtutem*:

4 *Propterea quòd maxima illa nobis ac pretioſa promiſſa donavit, ut per hæc efficeremini divinæ conſortes naturæ, elapſi ex interitu qui eſt in mundo per cupiditatem.*

Voto annectit conſolationem, confirmando eos in ſpe illius augmenti donorum ſpiritualium quod eis exoptaverat. Hoc igitur augmentum eis promittit ratiocinando á pari, in hanc ſententiam: Deus jam donavit nobis quæ ad vitam & pietatem pertinent: ergo dona illa nobis augebit, donec perfectionem vitæ ac pietatis adipiſcamur. Conſequentiæ ratio eſt, quia apud Deum par eſt ratio initii & progreſſus ſive augmenti & denique perfectionis: quippe quùm Deus ſit conſtans, & quum dona & vocatio ipſius ſint ἀμεταμέλητα. quare opus bonum quòd in Electis ſuis inchoavit, perficiet quoque ſuo tempore. Cæterùm donationem hanc Dei primùm amplificat ab adjuncta donantis potentia, ubi ait: *Prout divina potentia ejus nobis donavit*, &c. Deinde á donorum numero, ubi ait, *Donavit nobis omnia*, &c. Tum dona illa declarat exemplo, inquiens: *Per agnitionem illius*, &c. quo nomine intelligit fidem, tanquam donum principale ac cæterorum fundamentum. Præterea indicat donationis modum ſeu formam, ubi ait, *Qui vocavit nos*, &c. ubi loquitur de vocatione efficaci, qua mens illuminatur fide ſeu agnitione gratiæ Dei. Ad hæc ipſam hanc vocationem declarat expoſitione cauſæ inſtrumentalis, quæ ſunt promiſſiones gratiæ, de quibus ait: *Ex eo quòd maxima nobis ac pretioſa promiſſa donata ſint.* quas promiſſiones (ut apparet) amplificat á præſtantia rerum promiſſarum, quatenus

tenus nominat promissa maxima ac pretiosa, intelligens videlicet *vitam & pietatem* seu *gloriam & virtutem*: quæ bona paulo ante commemoravit. Postremó horum bonorum mentionem repetit nomine generali, simulque eorum præstantiam significat collatione similium, quatenus vocat *communionem naturæ divinæ*: Etenim Deus perfectè sapiens, sanctus & beatus est: itaque Electi quum & ipsi cœlesti sapientia, sanctitate ac beatitate donantur, hoc ipso divinæ naturæ suo modo & gradu consortes fiunt: quatenus illæ qualitates naturam Dei similitudine quadam referunt. Hanc autem communionem divinæ naturæ illustrat & amplificat à contrario: beatitati quidem (quam superiore versu vocavit vitam & gloriam) opponens φθορὰν, id est, interitum: sanctitati verò ἐπιθυμίαν, id est, cupiditatem seu concupiscentiam: ubi ait, *Elapsi ex interitu qui est in mundo per cupiditatem.*

DE TERTIA PARTICULA.

5 *Ad hoc ipsum verò vos omni præterea collato studio, adjicite fidei vestræ virtutem, virtuti verò scientiam,*

6 *Scientiæ verò continentiam, continentiæ verò tolerantiam, tolerantiæ verò pietatem,*

7 *Pietati verò animum in fratres propensum, animo verò in fratres propenso charitatem.*

8 *Hæc enim si vobis adsunt & exuberant, non inertes vos nec infructuosos efficiunt ad Domini nostri Jesu Christi cognitionem.*

9 *Nam cui hæc non adsunt, is cæcus est, nihil prorsus cernens, oblitus sese à veteribus peccatis fuisse purgatum.*

10 *Quapropter, fratres, potiùs studete vocationem & electionem vestram firmam efficere: hæc enim si feceritis, nunquam impingetis.*

11 *Ita enim copiosè subministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & servatoris Jesu Christi.*

A consolatione transit ad exhortationem, ac hortatur ad studium proficiendi in fide & aliis virtutibus Christianis, quas varias enumerat, vers. 6. & 7. eamque enumerationem gradatione rhetorica exornat. Etsi autem in hac gradatione non apparet gradatio logica, seu certus ordo, quo istæ virtutes aliæ post alias enumerentur: tamen fides primo loco idcirco videtur statui, quòd sit reliquarum virtutum Christianarum velut fons aut radix, atque adeò causa procreans. Etenim sine fide cæteræ virtutes Deo non placerent, ac proinde veræ virtutes non essent. quippe sine fide fieri non potest ut quisquam Deo placeat, Hebr. 11. vers. 6. Cæterùm fidei proximè adjungit virtutem, τὴν ἀρετὴν: quo nomine videtur intelligere justitiam erga proximum; qua qui præditi sunt, viri boni nominantur. Huic adjungit scientiam τὴν γνῶσιν: quo vocabulo videtur significare peritiam lucrifaciendi proximum, quatenus prudenter ac circumspectè versamur cum iis qui adhuc á fide Christiana alieni sunt, aut nondum satis de illa edocti: ac proinde studemus eos Christo lucrifacere, sollicitè cavemus ne qua ratione illos offendamus. Porrò scientiæ adjungit continentiam, τὴν ἐγκράτειαν: qua virtute frenantur libidines & luxus, ac proinde caventur adulteria & scortationes; item vinolentia, comessationes & compotationes. Huic adjungit tolerantiam, τὴν ὑπομονὴν: qua patienter & æquo animo sustinemus ac ferimus res adversas, ac inprimis persecutiones

propter

propter confessionem Euangelii. Tolerantiæ adjungit pietatem, τὴν εὐσέβειαν: qua virtute colimus Deum immediatè: cujus cultus præcipuæ partes sunt, adoratio, fiducia, invocatio & gratiarum actio. Pietati adjungit animum in fratres propensum seu amorem fratrum, τὴν φιλαδελφίαν: id est, amorem erga fideles qui eandem nobiscum profitentur fidem, & per illam fidem sunt filii Dei, ac proinde nostri fratres in Christo: quippe in quo tanquam filio Dei unigenito adoptati sunt non minús quám nos. Ad extremum adjungit charitatem, τὴν ἀγάπην: quæ scilicet latiús patet quám φιλαδελφία: quippe quæ ad universos, atque adeó ad inimicos quoque sese extendit. Atque hæ sunt virtutes ad quarum profectum Apostolus Judæos exhortatur. Cæterúm istam exhortationem deinceps confirmat quinque argumentis. quorum primum á fine cognitionis Christi sumtum, continetur v. 8. ibi, *Hæc enim si vobis adsunt* &c. Potest autem concludi hoc modo:

Si debetis esse actuosi ac fructuosi, debetis operam dare ut enumeratæ virtutes vobis adsint & exuberent.

Sed debetis esse actuosi ac fructuosi.

Ergo &c.

Loco propositionis ponitur ejus ratio his verbis: *Hæc enim si vobis adsunt & exuberant, non inertes nec infructuosos vos efficiunt.* Assumtionis loco ponitur item ejus ratio, his verbis, *Ad Domini nostri Jesu Christi cognitionem.* Hæc ratio sic potest formari.

Si idcirco donati á Deo estis cognitione Christi, ut essetis actuosi ac fructuosi, certé debetis studere ut tales sitis.

At verum antecedens.

Ergo & consequens.

Propositio confirmatur ab adjuncta turpitudine contrarii, quam innuit Petrus his verbis, *Non inertes nec infructuosos vos efficiunt.* quasi dicat, Turpe vobis esset, si adepti á Deo cognitionem Christi, atque adeó maximo beneficio affecti, non studeretis vos exhibere Deo gratos per bona opera tanquam fructus fidei Deo acceptos. Atq; adeó turpe esset, si quantum in vobis est, consilium Dei in cognitione Christi vobis donanda impediretis aut irritum redderetis. Porró Antecedentis seu Assumtionis sententia continetur istis verbis, *Non inertes nec infructuosos vos efficiunt ad Domini nostri Jesu Christi cognitionem.* Atque hoc est primum hortationis argumentum. Secundum argumentum á consequente absurdo seu effectu turpi contrarii, continetur in principio versus 9. ubi ait, *Nam cui hæc non adsunt, is cæcus est, nihil procul cernens.* Hoc argumentum sic potest concludi:

Cui virtutes illæ Christianæ non adsunt, is cæcus est.

At vos non vultis haberi pro cæcis: sed pro iis qui adepti sint salvificam cognitionem Dei.

Ergo studete ut virtutes illæ vobis adsint.

Propositio ponitur sola: Assumtio ex instituto Apostoli subintelligitur.

Tertium argumentum ejusdem generis continetur in fine versus 9. ubi ait, *Oblitus sese á veteribus peccatis suis fuisse purgatum.* Sic concludi potest.

Qui se Christianum nominat, & tamen virtutibus illis Christianis præditus non est: is oblitus est maximi beneficii Dei, videlicet sese á veteribus peccatis suis fuisse purgatum.

At vós non debetis tanti beneficii oblivisci.

Ergo debetis operam dare, ut quum Christianos vos nominetis, virtutibus

virtutibus quoque illis Christianis præditi sitis.

Propositionis veritas manifesta est ex ipsa natura gratitudinis. nam qui beneficiorum acceptorum memor est, is studet benefactori vicissim gratificari ac placere. Deo autem illi demum gratum faciunt ac placent, qui studeant virtutibus Christianis. Assumtio patet ex adjuncta ingratitudinis turpitudine.

Quartum argumentum ab effectu utili, continetur in principio versus 10. ubi ait, *Quapropter, fratres, potiùs studete vocationem & electionem vestram firmam efficere.* Hoc argumentum (ut apparet) implicitum est ipsi hortationi. Verba enim ista sic resolvenda sunt, ac si diceret Petrus: Quapropter, fratres, studete illis virtutibus, nam ita firmam efficietis vestram vocationem & electionem. Sic autem potest concludi:

Si debetis studere ut firmam in vobis efficiatis vestram vocationem & electionem: debetis studere virtutibus illis enumeratis.

At illud facere debetis.

Ergo & istud.

Connexi consequentia pendet ab affectione propriorum effectorum ad suas causas, quód nimirum ex propriis effectis causæ ipsorum firmiter concluduntur. Virtutes autem illæ Christianæ sunt propria effecta electionis & vocationis efficacis. id quod ubi de fide tanquam cæterarum virtutum fonte fuerit demonstratum, de cæteris quoque illis virtutibus demonstratum fuerit. Nam quod est causa causæ, id est etiam causa causati. At fidem esse proprium effectum electionis, docet Paulus quum fidem nominat fidem electorum Dei, Tit. 1. vers. 1. & Lucas Actor. 13. v. 48. ubi ait, sermoni Pauli apud Antiochenos habito credidisse quotquot ordinati erant ad vitam æternam. Deinde fidem esse quoque proprium effectum vocationis efficacis, percipitur ex verbis Pauli Ephes. 2. ubi fidem dicit esse donum Dei: & ex verbis Christi Johan. 6. ubi ait, Nemo potest venire ad me, nisi Pater eum traxerit. Et rursus ex verbis Pauli Epes. 1. v. 19. ubi fidem acceptam fert excellenti illi magnitudini potentiæ Dei & efficacitati fortis roboris ipsius. Assumtio patet ex ipsa rei utilitate. quis enim non intelligat, utile nobis esse ut confirmemur de nostri electione & efficaci vocatione? quippe qui de his certó persuasi sunt, illi certam quoque spem habent vitæ æternæ.

Quintum argumentum ejusdem generis continetur in fine versus 10. & versu 11. toto: ubi ait, *Hæc enim si feceritis, nunquam impingetis: Ita enim copiosè subministrabitur* &c. Hoc argumentum sic potest formari:

Quæ via inoffenso gradu introducit in æternum illud regnũ Domini nostri & servatoris Jesu Christi, eâ viâ vobis est incedendũ.

Atqui via virtutum enumeratarum vos inoffenso gradu introducet in regnum illud Christi.

Ergo illâ viâ vobis est incedendum.

Propositio ut per se nota omittitur. Assumtio veró verbis Petri continetur.

DE QUARTA PARTICULA.

12 *Quapropter non negligam vos de istis semper commonefacere, quamvis peritos & confirmatos in præsenti veritate.*

13 *Sed & justum arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo, excitare vos per commonefactionem.*

14 *Quum*

14 *Quum sciam brevi futurum ut deponam hoc tabernaculum meum: sicut Dominus noster Jesus Christus declaravit mihi.*

15 *Studebo igitur identidem ut vos post exitum meum possitis horum mentionem facere.*

Hortationi annectit expositionem causarum, cur eos de his rebus tam studiosé commonefaciat. Cæterúm causas exponit quatuor. quarum prima innuitur conjunctione syllogistica διὸ, id est, *quapropter*. scilicet, quia hæc mea commonefactio vobis utilis est ad consequendum æternum illud regnum Christi: ex collatione proxime præcedentium. Hujus causæ expositionem vel potiús ipsum factum commonefactionis amplificat prolepsi opinionis ipsorum, quasi ista commonefactio sit superflua, ubi ait: *Tametsi periti & confirmati situ in præsenti veritate.* Secundam causam exponit versu 13. ubi ait, *Justum enim arbitror* &c. quibus verbis significat, se moveri consideratione officii sui: erat enim Apostolus designatus inprimis circumcisionis, id est, Judæorum. Tertiam causam primúm attingit in expositione causæ secundæ, ubi ait, *Quamdiu sum in hoc tabernaculo.* deinde plené eam exponit v. 14. ubi ait, *Quum sciam brevi futurum* &c. Hæc causa sumta est á circumstantia temporis, & pertinet ad secundæ causæ amplificationem. Significat enim, eó studiosiús officium Apostoli apud ipsos fungendum sibi esse, quó minus sibi restet temporis ad id peragendum: quippe quum brevi futurũ sit ut é medio tollatur & supplicio capitis afficiatur propter Euangelium: quod ipsum testimonio Christi confirmat; quod testimonium seu prædictio mortis Petri narratur á Johanne in historia Euangelica cap. 21. v. 17. Porró contra supplicii istius metum Petrus se simul consolatur, dum mortem suam vocat *depositionem tabernaculi.* qua periphrasi significat, se paratum esse ad moriendum: quippe quum per mortem non sit interiturus, sed é corpore tanquam tabernaculo exiturus & ad Christum migraturus. Quartam denique causam exponit v. 15. videlicet ut Judæi illi fideles etiam post mortem ipsius (quam exitum suum nominat) habeant summam doctrinæ Christianæ, videlicet tum in hac tum in superiore epistola comprehensæ: unde se ipsi possint commonefacere officii sui: quum id jam novis literis aut sermone fieri non poterit ab ipso Apostolo.

DE QUINTA PARTICULA.

16 *Non enim arte compositas fabulas secuti, notam vobis fecimus Domini nostri Jesu Christi potentiam & adventum: sed ut qui oculis nostris aspeximus illius majestatem.*

17 *Acceperat enim á Deo Patre honorem & gloriam, voce ad eum delata hujusmodi á magnifica illa gloria, Hic est filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco.*

18 *Et hanc vocem nos audivimus é cælo delatam, quum essemus una cum eo in monte illo sancto.*

19 *Et habemus firmissimum sermonem propheticum: cui rectè facitis quód attendatis, velut lucernæ splendenti in obscuro loco, usquedum dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus vestris.*

20 *Si illud primúm noveritis, nullam prophetiam Scripturæ esse propriæ explicationis.*

21 *Non enim libitu hominis allata est olim prophetia, sed acti á Spiritu sancto loquuti sunt sancti illi Dei homines.*

Deinceps

Deinceps hortatur eos ad constantiam in fide & confessione doctrinæ eis traditæ ab Apostolis. Argumenta hortationis affert duo: Primum á præstantia subjecti in quo doctrina Apostolorum occupatur, quod subjectum hic á Petro nominatur *potentia & adventus Domini nostri Jesu Christi.* hæc enim sese cæterosque Apostolos & Euangelii ministros nota eis feciſſe affirmat. Intelligit autem adventum Filii Dei in mundum seu manifestationem in carne ad potentiam suam exserendam in redimendis Electis. Secundum argumentum petit ab adjuncta doctrinæ Apostolicæ certitudine. hanc autem significat ab authoritate magistri seu præceptoris á quo illam didicerant, videlicet Christi: illamque sententiam amplificat antithesi fabularum ingeniosé confictarum á philosophis profanis, de summo scilicet hominis bono: vel potiús á pseudapostolis & falsis doctoribus: ubi ait, *Non enim arte compositas fabulas sequuti.* Authoritatem veró Christi significat quum ait, *Sed ut qui oculis nostris aspeximus illius majestatem.* Confirmat igitur authoritatem Christi ab honore singulari quo fuit á Deo patre affectus, atque adeó in doctorem Ecclesiæ principem atque universalem mandato illius institutus atque ordinatus. quod ipsum confirmat á sua aliorumque Apostolorum (videlicet Johannis & Jacobi) experientia: ut qui majestatem illam Christi oculis suis aspexerint, & vocem Dei patris de illo audiendo é cœlo delatam audierint, Ψ.17. & 18. Deinde certitudinem doctrinæ Apostolicæ confirmat á consensu doctrinæ propheticæ, initio versus 19. ubi primó studium Judæorum collaudat, quód *sermoni Prophetico attendant.* deinde sermoni Prophetico sermonem Apostolicum seu Euangelii prædicationem anteponit propter majorem doctrinæ claritatem: illum quidem comparans lucernæ splendenti in obscuro loco: hanc veró lucifero, atque ipsi soli plenum diei lumen afferenti. Tertió monet de recta Scripturæ Propheticæ explicatione: eam scilicet pendêre non ex proprio legentis ingenio, sed ex gratiosa revelatione Spiritus sancti. Id quod confirmat á pari: quia scilicet prophetiæ allatæ sint non ex ingenio hominum, sed ex revelatione Spiritus sancti. Idem igitur erit idoneus prophetiarum interpres: quum unusquisque sit maximé idoneus interpres suorum verborum.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 *Symeon.* Συμεὼν. Videtur rectiús scribi per jota, sic, Σιμεὼν. In Hebræo enim non est kibbútz, cui respondet Græcorum υ: sed est chirick, sic, שמעון. Aliter scribitur Σίμων: ut Matth. 16. v.17. Ioh.1.v.43. *Petrus.* Πέτρος. Vide 1.Petr.1.v.1. *Servus & Apostolus.* δοῦλος καὶ ἀπόστολος. Sic Rom. 1.v.1. *Sortiti sunt.* λαχῶσι. Quasi sorte adepti sunt: id est, ex ordinatione Dei. Sic Luc.1.v.9. dicitur de Zacharia, ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι, sortitus est munus suffimenti faciendi. Etenim ex ordinatione Dei sacerdotes illo munere per vices fungebantur: ut ex eodem loco percipitur. *Per justitiam.* ἐν δικαιοσύνῃ. Id est, διὰ δικαιοσύνης. Hebraismus. Justitiæ autem nomine per synecdochen generis hic (ut videtur) intelligit fidem in servandis promissis. promiserat enim patribus, se in suo adventu aliquos ex Israëlitis ad agnitionem sui vocaturum. In eâdem significatione vocabulum *Justitiæ* videtur accipi Rom.3.v.25. & 26. *Dei nostri & servatoris nostri.* τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος ἡμῶν. Ex Græco apparet hæc duo de uno & eodem dici, non autem de duobus diversis, ita scilicet ut vocabulum *Dei* intelligêdum

sit

sit de Patre, *servatorū* verò de Christo: sed utrumque de Christo dicitur: quoniam ante nomen σωτῆρος abest articulus τῦ. Sic Tit.2.v.13. Nec obstat quòd repetitur pronomen ἡμῶν: id enim Hebræis familiare est. Sic Johan.20.v.28.ajebat Thomas, Christū adorās: ὁ κύριός μυ καὶ ὁ θεός μυ, id est, ô domine mi & ô Deus mi. Infrá tamen v.11. itemq; cap.3.v.18. ubi eadem duo nomina Christo tribuūtur, pronomen ἡμῶν repetitum nō est. Ex quorū quidem locorū collatione expositio hujus modó allata cōfirmatur.

2 *Multiplicetur.* πληθυνθείη. Sic 1.Petr.1.v.2. Item in epist. Judæ, v.2. *Per agnitionem.* ἐν ἐπιγνώσει. Id est, διὰ ἐπιγνώσεως. Enallage Hebræa, qualis modó v.1. in verbis, ἐν δικαιοσυνῃ. *Dei.* θεῦ. Scil. Patris. quia ab hoc mox distinguitur Jesus, tanquam diversa persona. Conjungitur autem hîc cognitio Dei patris & filii Jesu Christi, sicut Johan.17.v.3.

3 *Divina potentia.* ἡ θεία δυνάμις. Similiter Paulus potentiam Dei in creanda in electis fide celebrat Eph.1.v.19. & 20. *Ad vitam.* πρὸς ζωὴν. Scil. τὴν αἰώνιον, æternam. *Donavit.* δεδωρημένης. Sic solent Græci præteritis passivis interdum uti in significatione activa. Sic Heb.12.v.26. νῦν δὲ ἐπήγγελται, λέγων: nunc autē denuntiavit, dicens. *Illius qui vocavit nos* &c. τῦ καλέσαντος ἡμᾶς &c. Periphrasis Dei. *Ad gloriam ac virtutem.* διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς. Pro, πρὸς δόξαν καὶ ἀρετὴν: sicut modó dixit, πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν. nam quam illic nominavit ζωὴν, hîc vocat δόξαν: itemq; quam illic vocavit εὐσέβειαν, hîc nominat ἀρετήν. Similis enallage præpositionis διὰ pro πρὸς, reperitur Rom.6.v.4. in illis verbis: Sicut excitatus est Christus ex mortuis διὰ τῆς δόξης τῦ πατρὸς: id est, πρὸς τὴν δόξαν τῦ πατρὸς, ad gloriam patris. Ista enallage accidit ex homonymia Hebraicæ præpositionis Béth: quæ valet ἐν, εἰς, πρὸς, διὰ, σὺν.

4 *Donavit.* δεδώρηται. Vox formæ passivæ, significationis activæ: ut versu superiore, δεδωρημένης. Sic Hebr.12.v.26. ἐπήγγελται, denuntiavit seu promisit. *Divinæ naturæ.* θείας φύσεως. Id est, divinarum qualitatum animi, referentium naturam Dei: videlicet cælestis sapientiæ & sanctitatis. *Ex interitu* τῆς φθορᾶς. Alii vertunt corruptionem, referentes (ut videtur) ad corruptionem seu pravitatem naturæ humanæ. Sed puto φθορὰν hîc valere interitum sive exitium. Etenim videtur Apostolus bina binis voluisse opponere: nempe φθορὰν vitæ & gloriæ: ἐπιθυμίαν verò pietati & virtuti. Atque isto sensu nomen φθορᾶ planè accipitur infrá cap.2. v.12. *In mundo.* ἐν κόσμῳ. Id est, in hominibus huic mundo addictis.

5 Ad *hoc ipsum verò vos omni præterea collato studio.* καὶ αὐτὸ τῦτο δὲ σπουδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες. Videtur καὶ irrepsisse pro κατ'. Secus fuerit dura ellipsis præpositionis vel χάριν, vel πρὸς, vel σὺν. nam ex Chrysostomo affertur tale exemplum, εἰσφέρω πολλὴν σὺν ταῦτα σπουδήν: id est, Magnum ad ista confero studium. Cæterúm præpositio παρὰ in participio παρεισενέγκαντες, videtur respicere ad illam donationem Dei cujus fecit mentionem v.3.& 4. quasi dicat; præter illam donationem Dei, vos quoq; omne studium conferte ad donorum illorū conservationem atq; augmētationem. *Adjicite fidei.* ἐπιχορηγήσατε ἐν τῇ πίστει. Pro εἰς τὴν πίστιν. Subministrate seu adjicite ad fidem. Sic deinceps. *Adjicite fidei vestræ virtutem.* ἐπιχορηγήσατε ἐν τῇ πίστει ὑμῶν τὴν ἀρετήν. Omnes istas virtutes Christianas Paulus ad tres revocat: pietatem, justitiam & temperantiam, Tit.2.v.12. Sub pietate continentur fides & tolerantia: sub justitiâ, virtus, scientia, φιλαδελφία & charitas: temperantiæ deniq;, continentia respondet. Similis enumeratio virtutum Christianarum extat Phil.4.v.8.

8 *In-*

8 *Infructuosos. ἀκάρπους.* Elegans metaphora quâ bona opera comparantur fructibus: qui ut sua suavitate gustatum hominis, sic illa Deum delectant. Sic Paulus Gal.5.v.22. bona opera nominat fructus Spiritus, videlicet Spiritus sancti: quoniam ille ea in electis efficit. *Ad cognitionem, &c. εἰς τὴν ἐπίγνωσιν,* &c. Præpositio εἰς hîc notat collationem: quasi dicat, Si vita vestra comparetur ad cognitionem Christi qua præditi estis. Et sic accipitur præpositio πρὸς Rom.8.v.18. ubi dicitur, afflictiones præsentis temporis non esse pares πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν, &c. id est, si comparentur ad illam gloriam.

9 *Nihil procul cernens. μυωπάζων.* Vel, *luscioſus.* nam μυωπάζειν nihil aliud est quâm pati affectum τῷ μύωπος, hoc est luscioſi: videlicet μύειν τὰς ὄψεις, claudere oculos, non tamen penitus, sed parumper: quod Latini dicunt connivere oculis. Videtur autem hæc vox præcedenti nomini τυφλὸς subjici per quandam correctionem: quasi dicat Petrus: Cæcus est, aut certé, si non prorsus cæcus est, cæcutit tamen instar luscioſi, ut qui non rectè aspiciat æstimétve beneficium illud maximum purgationis sui â peccatis: quæ quidem sententia mox subjicitur ad præcedentium metaphorarum declarationem. *Oblitus. λήθην λαβών.* Ad verb. *ut qui oblivionem ceperit:* pro quo Latiné diceretur, ut quem oblivio ceperit. *A veteribus peccatis. τῆς πάλαι ἁμαρτιῶν.* Ad τῆς πάλαι, subaudi πεποιημένων. Id est, â peccatis jam olim commiſſis.

10 *Firmam efficere. βεβαίαν ποιεῖσθαι.* Scil. in mentibus vestris: ut nimirum vos nullo pacto dubitetis quin & á Deo electi sitis ad vitam æternam, & ad eandem serió vocati. nam in mente Dei electio, id est, decretum servandi suos electos firmum atq; immotum est. Solidum enim stat fundamentum Dei, habens sigillum hoc, Novit Dominus qui sint sui, 2.Tim.2.v.19. Itemq; vocatio Dei est ἀμεταμέλητος, Rom.11.v.29. Cæterúm in vulgata interpretatione hîc insertum est, *Per bona opera.* Et sic D.Beza testatur se reperisse in duob. manuscriptis codicibus Græcis, διὰ καλῶν ἔργων. Et sanè hæc ipsa ratio est, qua electio atq; vocatio in mentibus fideliũ firma efficitur, dum scilicet illę ratiocinantur ex propriis effectis ad suam causam procreãtem. Etenim bona opera non nisi ab electis & efficaciter vocatis proficiſci possunt. quippe hypocritarũ opera quantumvis speciosa, revera tamẽ bona nõ sunt: quia nec proficiſcũtur ex fide, nec referũtur ad gloriã Dei. *Nunquã impingetis. οὐ μὴ πταίσητέ ποτε.* Seu, nunquã offendetis. Metaphora ab iis qui inter ambulandũ currendúmve pedem offendũt seu impingunt. Etenim vita Christiana cõparatur stadio, in quo decurrendũ est cõtinuo atq; inoffenso cursu ad obtinendũ brabẽum vitę atq; glorię cęlestis. Vide 1.Cor.9.v.24.& deinceps. Hac metaphora utitur & Judas epistolę suę v.penult. ubi ait, τῷ δὲ δυναμένῳ φυλάξαι ὑμᾶς ἀπταίστους, &c.

13 *Quamdiu. ἐφ' ὅσον.* Subaudi. χρόνον. *In hoc tabernaculo. ἐν τούτῳ τῷ σκηνώματι.* Id est, in hoc corpore, videlicet meo. Metaphora: qua utitur & Paulus. 2.Cor.5.v.1. Et ad eandẽ respicit Phil.1.v.23. ubi ait, se teneri desiderio εἰς τὸ ἀναλῦσαι, ad migrãdũ, videlicet é tabernaculo corporis sui in tabernaculũ illud cæleste ubi Christus degit. *Excitare vos. διεγείρειν ὑμᾶς.* Id est, mentes vestras. Synecdoche integri. itẽ metaphora ab iis qui dormiũt. *Per commonefactionem. ἐν ὑπομνήσει.* Pro, δι' ὑπομνήσεως. Hebraismus.

14 *Quum sciam. εἰδὼς.* Ex peculiari (ut videtur) revelatione. Sic & Paulus sciebat instare tempus supplicii sui, 2.Tim.4.v.6. quanquã illud fortasse ex sermonibus hominum, quibus sententia in Paulum ferenda innotuerat.

Brevi

Brevi futurum ut deponam hoc tabernaculum meum. ὅτι ταχινή ἐστιν ἡ ἀπόθεσις τοῦ σκηνώματός μου. Ad verb. quod cita (seu velox) sit depositio tabernaculi mei. Id est, mors mea. Periphrasis. Manet autem in metaphora instituta. *Declaravit mihi.* ἐδήλωσέ μοι. Videlicet Johan. 21. v. 17.

15 *Studebo igitur.* σπουδάσω δὲ. Δὲ pro ἄν. Infert enim conclusionem é causis expositis. *Identidem.* ἐκάστοτε. Vel subinde. Id est, quavis oblata occasione. Videtur enim hoc adverbium adjungendum verbo σπουδάσω, potiús quàm verbo ἔχειν. *Exitum.* ἔξοδον. Videlicet ex hoc tabernaculo. id est, mortem. Manet in metaphora. Hoc nomine utitur & Lucas, loquens de morte Christi, cap. 9. v. 31.

16 *Potentiam & adventum.* δύναμιν καὶ παρουσίαν. Id est, adventum susceptum ad potentiam exserendam. ἐνδιαδύο. Exseruit autem Christus potentiam suam in primo illo suo adventu, tum efficaciter persuadendo quæ docebat, tum doctrinam suam confirmando miraculis, ac inprimis resurrectione á mortuis. Confer Matth. 7. v. 28. 29. & cap. 8. v. 27. Luc. 24. v. 19. 32. Rom. 1. v. 4. *Sed ut qui oculis nostris aspeximus.* ἀλλ' ἐπόπται γενηθέντες. Confer Luc. 1. v. 2. 1. Johan. 1. v. 1. *Majestatis.* μεγαλειότητος. Hac voce utitur & Paulus Hebr. 1. v. 3. & cap. 8. v. 1.

17 *Acceperat enim.* λαβὼν γὰρ. Scil. ἐτύγχανε. Id est, ἦλθε. Ellipsis Hebræa. *Ad eum.* αὐτῷ. Ad verb. Ei. quale est illud, *It clamor cælo:* hoc est, ad cælũ, seu cælũ versus. *In quo.* εἰς ὃν. Pro, ἐν ᾧ. sicut habetur Matth. 17. v. 5.

18 *In monte illo sancto.* ἐν τῷ ὄρει τῷ ἁγίῳ. Putatur fuisse mons Thabor.

19 *Firmissimum.* βεβαιότερον. Pro, βεβαιότατον. Comparativus pro superlativo, ut Actor. 25. v. 10. κάλλιον pro καλῶς. *Cui rectè facitis quód attendatis.* ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες. Similis verborũ trajectio extat 1. Pet. 3. v. 21. in illis verbis, ᾧ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα. *Dies.* ἡμέρα. Id est, fulgor Euangelii. Metaphora. *Lucifer.* φωσφόρος. Ille ipse fulgor Euangelii.

20 *Nullam prophetiam esse, &c.* ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας. Ad verb. Omnem prophetiam non esse. Phrasis Hebræa: qualis Rom. 3. v. 20. διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ.

21 *Sancti illi Dei homines.* οἱ ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι. Id est, prophetæ. Periphrasis: qua utitur & Paulus ad significandum ministrum verbi, 2. Tim. 3. v. ult. necnon 1. Tim. 6. v. 11.

OBSERVATIONES EX CAP. I.

Ex ℣. 1. ex verbis, *AEque pretiosam fidem.* Christiani qui egent bonis terrenis, ut auro, argento & similibus: consolentur sese, quód possident bonum cæleste longe-pretiosissimum, videlicet fidem. Sic David sese solabatur, quum ex fide erumperet in hæc verba: Dummodó te habeam (ô Jehova) nihil curo cælum vel terram. Item, Malo in atriis Domini esse janitor, quám sedere inter primos in aulis impiorum. Sic Moses maluit malis affici cum populo Dei, quám in Aegypto opibus peccati frui: Heb. 11. ℣. 25. 26.

Psal. 73. v. 25.
Psal. 84. v. 11.

Ex iisdem verbis. Quum omnes Christiani æqué pretiosam fidem habeant: æquum est ut propter hanc fidem sese mutuó honorent, nec quisquam alium contemnat, si ipse aliis donis spiritualibus excellat. Vide 1. Cor. 12.

Ex

Ex verbis, *Fidem sortiti sunt per justitiam Dei, &c.* Fides est donum Dei, quod homini contingit singulari Dei providentia: non secus ac in divisione bonorum per sortes, cuiq; contingit ea pars quam Deus sua providentia ei attribuit, Prov. 16. v. ult. Non igitur proficiscitur fides ex hominis voluntate aut viribus liberi arbitrii. Confer Joh. 1. v. 12. & 13.

Ex verbis, *Per justitiam Dei, &c.* Quum Deus sit constans in promissis suis: officii nostri est, ut promittenti credamus. Confer Lucæ 1. vers. 72. & 73.

Ex verbis, *Dei nostri & servatoris Jesu Christi.* Notandum est hoc testimonium de deitate Christi. Etenim Petrus hoc loco Christum diserté Deum nostrum nominat. nam quó minús hic vocabulo *Dei* intelligendus sit Pater: obstat, quód nomen σωτῆρος homini θεῦ per conjunctionem annectitur sine articulo, hoc modo: τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος. nam si de diversis personis esset sermo, diceretur τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ τοῦ σωτῆρος. Nec impedit, quód post σωτῆρος repetitur pronomen ἡμῶν. Iste enim pleonasmus apud Hebræos usitatus est.

Ex v. 2. Is demum veré in hoc mundo beatus est, qui paternum Dei erga se favorem in Christo agnoscit; ac in illo pacato & tranquillo ánimo acquiescit. Hæc enim Petrus tanquam causas veræ beatitatis exopeat iis ad quos scribit. Huc pertinet illud Joh. 17. Hæc est vita æterna, ut te cognoscant, &c.

Ex eodem versu, ex verbo, *Multiplicetur seu augeatur.* Fides, & ex consequente dilectio, in hoc mundo nunquam ita perfecta redditur, quin possit augeri. Quare falluntur qui jactant perfectionem.

Ex v. 3. Quicunque in se sentiunt fidem, statuere debent illam sibi á Deo auctum iri, ita ut per eam tandem consequantur vitam & gloriam. Interim autem studendum eis est, ut fidem suam demonstrent virtute ac pietate: necnon orandus Dominus ut fidem ipsis augeat.

Ex eodem versu. Fides est donum Dei, & efficitur in Electis per divinam potentiam & efficacem vocationem. Non ergo proficiscitur vel á meritis vel á viribus hominis. Confer Eph. 1. v. 19.

Ex eodem versu. Fides est agnitio Dei, qua agnoscimus nos ab illo vocatos esse ad gloriam ac virtutem, seu ad vitam ac pietatem: ac proinde virtuti atque pietati studentes, ad vitam atque gloriam tendimus.

Ex v. 4. Fides & studium sanctitatis efficiuntur in nobis per promissiones Dei, dum videlicet illæ nobis annuntiantur & á nobis considerantur.

Ex eodem versu. Qui vera sanctitate prædíti sunt, illi suo modo & gradu participes sunt naturę divinæ. Quare veræ sanctitati toto pectore studendum, ut naturæ divinæ participes reddamur.

Ex eodem versu. Prava concupiscentia fons est & corruptionis morum & interitus seu exitii æterni. Quare illi omni conatu resistendum.

Ex v. 5. 6. & 7. Christiani omne studium adhibere debent ad virtutes quæ hic á Petro enumerantur.

Ex v. 8. 9. 10. & 11. Notanda sunt quinq; argumenta quibus moveri debemus ad studium proficiendi in fide & omnibus virtutibus Christianis. Videlicet ut non simus inertes nec infructuosi: ut ne habeamur pro cæcis: ut ne habeamur pro iis qui obliti sint acceptæ a Deo remissionis peccatorum: ut confirmemur de nostri electione: denique ut in offenso gradu introducamur in regnum illud Christi æternum.

Ex v.12.& deinceps.Exemplo Petri discant ministri Verbi,officii sui esse ut nullam occasionem negligant commonefaciendi fideles curæ suæ commissos.

Ex v.12.Nemo adeó peritus & confirmatus videri sibi debet in veritate doctrinæ Christianæ, ut putet se non egere commonefactione atque ampliore institutione.quippe ex parte cognoscimus,ut ait Paulus 1. Cor. 13. Et eadem subinde á doctoribus verbi audire,tutos nos præstat,teste eodem Apostolo Phil.3.v.1.

Ex v.13.14.& 15.Contra mortis metum consolari nos debemus consideratione hac, quód anima nostra per mortem nec interibit nec in locum tormenti deturbabitur: sed é corpore veluti tabernaculo exibit & ad Christum migrabit.Confer Philip.1.v.23. 2.Cor.5.v.1.& deinceps.

Ex v.15.Non est satis, semel aliquem Scripturæ librum perlegisse : sed identidem relegere ac meditari oportet. in hunc enim usum Apostoli ac Prophetæ libros suos apud Ecclesiam deposuerunt. Confer Johan.5. 39. Rom.15.4. 1.Tim.4.13. 2.Tim.3.16.

Ex v.16.& deinceps.Notanda sunt duo argumenta quibus moveri debemus ad constantiam in fide & confessione doctrinæ Apostolicæ. Eorum unum est præstantia ipsarum rerum de quibus Apostoli doctrinam tradunt: videlicet adventus filii Dei in mundum seu manifestatio Dei in carne, & redemtio Electorum per ipsius mortem ac divinam potentiam. Confer 1. Timot.3.v.ult.Alterum est doctrinæ certitudo: quippe quam ab ipso filio Dei didicerunt,& quæ consensum habet Prophetarum.

Ex v.19.Quum Petrus sermonem Propheticum commendet á certitudine doctrinæ & consensu cum doctrina Euangelii : perversé igitur & imperité faciunt, qui libros veteris Testamenti ex Ecclesia exterminandos putant.

Ex eodem versu.Etsi eandem salutis viam tradiderunt Prophetæ & Apostoli: tamen doctrina Apostolorum claritate antecellit. unde conditio nostra melior est quám fuit patrum sub Lege seu vetere Testamento, videlicet ante Christi adventum.Confer Matt.13.v.16.& 17.item cap.11.v.11.

Ex v.20.& 21.Qui vocati sunt ad explicandum Scripturas: non debent confidere acumine ingenii,sed orare Deum ut mentem ad intelligendum Scripturas sibi aperiat per Spiritum sanctum, adhibita interim studiosa meditatione & scrutatione similiumque locorum collatione. Confer Joh.5.39.Luc.24.v.45. Psal.119.v.18.

Ex v.21.Quum sacra Scriptura authorem habeat Spiritum sanctum : sequitur esse authenticam regulam tum fidei tum vitæ nostræ.Item sequitur, falsum esse dogma Papistarum,quód authoritas Scripturæ pendeat ab authoritate Ecclesiæ.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Posteaquam hortatus est ut cóstanter retineant doctrinam veram ac salutarem Apostolorum, nunc contrá monet ut sibi caveant á doctoribus falsis

falsis in Ecclesia exorituris & jam tum exorientibus, ne ab illis in hæreses exitiales seducantur: simulque mores illorum describit, unde veluti ex notis quibusdam queant agnosci ac proinde caveri.

DE PRIMA PARTE CAPITIS.

FUerunt autem & pseudoprophetæ in populo: ut etiam inter vos erunt falsi doctores, qui subintroducent hæreses exitiales, etiam dominum qui ipsos mercatus est abnegantes, accersentes sibi velox exitium.

2 Et multi sequentur eorum exitia: per quos via veritatis blasphemabitur:

3 Et per avaritiam fictis sermonibus vos negotiabuntur, quibus damnatio jam olim non otiatur, & quorum exitium non dormitat.

4 Nam si Deus Angelis qui peccaverunt non pepercit, sed in tartarum detrusos, catenis caliginis tradidit damnationi servatos:

5 Et prisco mundo non pepercit, sed octavum Noë justitiæ præconem servavit: diluvio in mundum impiorum inducto:

6 Et civitates Sodomorum ac Gomorrhæ in cinerem redactas subversione damnavit, fecitque ut essent exemplar impie victuris:

7 Et justum Lot libidinosa nefariorum conversatione fatigatum eripuit.

8 Justus enim ille, quum habitaret inter eos, in dies animam justam iniquis illorum factis, & videndo & audiendo excruciabat.

9 Novit Dominus pios è tentatione eripere, injustos autem in diem judicii pœnas dantes servare.

10 Maximè verò eos qui carnem sequentes, in impura cupiditate incedunt, & dominatum despiciunt: qui, inquam, ut sunt audaces & sibi placentes, non horrent dignitates convitiis incessere.

11 Quum ipsi Angeli, qui sunt robore ac potentia majores, non ferant adversus eas apud Dominum judicium maledicum.

12 At isti, veluti animantia rationis expertia quæ naturali impetu feruntur, nata ad eum finem ut capta intereant, ea vituperantes quæ ignorant, suo interitu interibunt.

13 Reportaturi mercedem injustitiæ, ut qui pro voluptate ducant quotidianas delicias; labes ac maculæ, qui fraudibus suis se oblectant, epulando vobiscum:

14 Oculos habentes plenos adulterii, & qui á peccando cessare nesciant, inescantes animas instabiles, cor habentes ad avaritiam exercitatum, execrandi homines:

15 Qui relictâ rectâ viâ, aberrarunt, sequuti viam Balaam filii Besor, qui mercedem iniquitatis amavit:

16 Sed redargutionem suæ transgressionis sustinuit: nam subjugis asina muta, humanâ voce loquuta, prohibuit Prophetæ dementiam.

17 Isti, sunt fontes aquâ carentes, nebulæ á turbine agitatæ: quibus caligo tenebrarum in æternum servata est.

18 Nam prætumidam vanitatem loquendo, per carnis cupiditates, perque lasciviias inescant illos qui verè effugerant eos qui in errore versantur.

19 Libertatem eis pollicendo, quum ipsi servi sint corruptelæ. siquidem á quo quis superatus est, huic etiam in servitutem est addictus.

20 Nam si postquam inquinamenta mundi, per agnitionem Domini & Servatoris Jesu Christi effugerint, his rursum implicati superentur, facta est ultima eorum conditio deterior priore.

21 Satius enim fuisset eis non cognovisse viam justitiæ, quam cognitâ illâ, regredi

regredi à sancto mandato ipsis tradito.

22 *Sed accidit eis quod vero proverbio dici solet, Canis reversus ad suum vomitum: &, Sus lota, ad volutabrum cœni.*

PRimo omnium prophetiã suam de exorituris in Ecclesia falsis doctoribus proponit: eamque illustrat collatione similis exempli pseudoprophetarum qui olim fuerunt in populo Dei. Deinde monet, ab illis esse cavendum: quippe quód *subintroducturi sint hæreses exitiales.* Tum impietatem istarum hæresium amplificat, quippe per quas illi *abnegaturi sint Dominũ* (id est, Christum) *qui ipsos mercatus erat.* id quod referendum est partim ad fidem ipsorum temporariam, partim ad ipsorum professionem, partim denique ad judicium charitatis in fratribus. Etenim quámdiu quis fidem Christianam amplectitur ac profitetur, tamdiu statuatur oportet illum à Christo esse redemtum. Abnegant autem Dominum Christum tum illi qui negant ejus personam, tum qui officium. Quartó prædicit illis certum exitium. Atque hæc versu primo. Versu 2. monet de hæresium illarum successu, videlicet multos fore earum sectatores: quorum impietatem amplificat ex factis, quód scilicet *viam veritatis sint blasphematuri.* Versu 3. primam istorum hæreticorum notam indicat, videlicet avaritiam, quam ostendit ex ipsorum factis, ubi ait, *Et per avaritiam fictis sermonibus vos negotiabuntur.* Deinde repetit prædictionem exitii illorum, ubi ait, *Quibus damnatio jam olim non otiatur, &c.* Quam sententiam deinceps confirmat ab exemplis tribus: quorum primum est Angelorum qui peccaverant, vers. 4. secundũ prisci mundi qui fuit temporibus Noachi, vers. 5. tertium Sodomitarum & Gomorrhæorum, vers. 6. Cui exemplo ad consolationem piorum, vers. 7. adjungit per occasionem ipsius historiæ, exemplum contrarium conservati pii Loti: sicut & secundo exemplo adjunxerat exemplum conservati pii Noachi. Tum vers. 8. pietatem Loti quam commemoraverat, pleniús enarrat. Demum vers. 9. ex illis exemplis generalem doctrinam deducit tum de conservatione piorum, tum de exitio impiorum: atque ita deinceps redit ad impiorum illorum hæreticorum descriptionem. Versu igitur 10. duas alias notas istorum indicat, nempe duo alia vitia: videlicet libidinositatem & superbiam. De libidinositate ait, *Maximé verò eos qui carnem sequentes, in impura cupiditate incedunt.* De superbia addit: *Et dominatum despiciunt: audaces & sibi placentes non horrent dignitates convitiis insessere.* Porró istius superbiæ indignitatem amplificat primúm à contraria modestia Angelorum, vers. 11. Deinde ab adjuncto stupore atque cæcitate: quam declarat exemplo simili animalium brutorum: ubi simul interitum eis prædicit ejusdem exempli collatione, vers. 12. Tum illius interitus, hoc est, pœnæ divinæ, justitiam significat, initio versus 13. Postea alia duo istorum vitia indicat, videlicet intemperantiam in cibo ac potu, & fraudes seu hypocrisin: reliqua parte v. 13. Versu 14. vitia ante commemorata repetit per congeriem, videlicet libidinositatem, fraudes & avaritiam. Porró avaritiam istorum illustrat deinceps v. 15. & 16. exemplo Balaami, cujus historiam paucis recitat ex Numer. 22. Versu 17. & 18. aliam istorum notam indicat, videlicet vaniloquentiam cum fastu conjunctam: quod vitium illustrat duobus similibus: comparans eos primúm *fontibus aqua carentibus:* deinde *nubibus à turbine agitatis* ac dissipatis; ita ut pluviam quam promittere videbantur, non dent. Atque ibi rursus

mentio-

mentionem exitii ipsorum admiscet. Cæterùm vaniloquentiam istam amplificat á pernicioso effectu, quippe quód per eam homines *inescent*: id est dulcia & salutaria promittendo in perniciem adducant: dum scilicet hominibus faciunt potestatem indulgendi *cupiditatibus carnis, pollicendo eis libertatem*, quasi scilicet liberi sint ab obedientia legum. Hunc perniciosum effectum amplificat antithesi pristini status illorum quos isti ita inescant: quippe *qui veré effugerant eos qui in errore versantur*, amplexi scilicet fidem Christianã. Deinde monet, libertatẽ quam isti pollicentur, non esse veram libertatem, sed potiús esse servitutem, videlicet servitutem peccati, v. 19. id quod probat á servitutis causa procreante, ubi ait: *Siquidẽ á quo quis superatus est, huic etiam in servitutem est addictus*. V. 20. & deinceps effectum illum pernicioſum falsæ doctrinæ pluribus verbis exponit: & indignitatem relapsionis istorum qui falsâ doctrinâ seduci se patiuntur, amplificat per collationem minoris, videlicet minoris exitii illorum *qui viam justitiæ non cognoverunt*, vers. 20. & 21. tum & illustrat collatione duorum similium, videlicet *canis redeuntis ad vomitum*, & *suis lotæ redeuntis ad volutabrum cœni*: quorum similium accommodationem testimonio *proverbii* confirmat, vers. ult.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 *Et pseudoprophetæ.* καὶ ψευδοπροφῆται. quasi dicat, Non solum veri prophetæ: de quibus modó dictum in fine capitis præcedentis. *In populo.* ἐν τῷ λαῷ. Videlicet in populo Dei: id quod notat articulus. *Inter vos.* ἐν ὑμῖν. Ad verb. In vobis. sicut apud Cic. dicitur, amicitiam non nisi in bonis esse posse: id est, inter bonos. *Subintroducent.* παρεισάξουσιν. Videlicet præter sanam doctrinam Euangelii: id quod notat præpositio παρά. *Hæreses exitiales.* αἱρέσεις ἀπωλείας. Vel exitiabiles. Ad verb. hæreses exitii. Hebraismus. *Dominum qui ipsos mercatus est.* τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην. Periphrasis Christi argumentosa. quasi dicat, Christus illos est mercatus: ergo non debebant eum negare. *Mercatus est.* ἀγοράσαντα. Videlicet pretioso suo sanguine. Confer Actor. 20. v. 28. 1. Corinth. 6. vers. 20. Intelligendum est autem quod hîc dicitur, non κατ' ἀλήθειαν, sed κατὰ δόξαν: quia pii ex charitate opinati fuerunt, illos esse vere-fideles, eó quód fidem profiterentur. nam certum est, Christum solam Ecclesiam mercatum esse seu acquisiviſſe: Actorum 20. vers. 28. Ephes. 5. vers. 25. 26. 27. *Accersentes.* ἐπάγοντες. Inducentes, vel adducentes.

2 *Exitia.* ἀπωλείαις. Id est, exitialia dogmata. Metonymia effecti emphatica. *Via veritatis.* ἡ ὁδὸς τῆς ἀληθείας. Id est, veritas illa cælestis seu cælitus patefacta, quæ est via quædam ad veram felicitatem. Syntaxis qualis in illo Rom. 4. v. 12. Vestigia fidei.

3 *Per avaritiam.* ἐν πλεονεξίᾳ. Pro, διὰ πλεονεξίας. Hebraismus. *Damnatio.* τὸ κρῖμα. Ad verb. Judicium. Synecdoche generis.

4 *Nam si Deus Angelis, &c.* εἰ γὰρ ὁ θεὸς ἀγγέλων, &c. Confer Judæ epist. vers. 6. Est autem in hoc versu ἀναπαπόδοτον, seu illipsis consequentis in enuntiato connexo. Subaudiendum enim est, οὐκ ἐκείνοις φείσεται: id est, nec illis parcet. Nisi fortasse εἰ irrepsit pro καί. Nam si in principio versus pro εἰ γάρ, legatur καὶ γάρ: tum nullum ἀναπαπόδοτον erit. Reperimus tamen simile ἀναπαπόδοτον Rom. 9. vers. 22. & 23. *Sed in sartarum*

detrusos, catenis caliginis tradidit. ἀλλὰ σειραῖς ζόφου ταρταρώσας παρέδωκεν. In Græco verba sunt trajecta. nam planum est, illud dativum σειραῖς regi non á participio ταρταρώσας, cui proximé conjungitur: sed á verbo παρέδωκεν, à quo longiùs abest. Verbum ταρταροῦν deductum est á nomine τάρταρος, quo significatur locus damnatorum: qui aliàs appellatur ὁ ἅδης, Lucæ 16. vers. 23. & locus tormenti, ibidem vers. 28. & abyssus, Lucæ 8. vers. 31. item carcer Apocalyp. 20. vers. 7. 1. Pet. 3. vers. 19. Est autem ταρταροῦν, εἰς τάρταρον ῥίπτειν: qua phrasi utitur Homerus Iliad. θ. non procul á principio, ubi Jupiter minatur cæteris diis, si quis ausit decretum ipsius rescindere. ait autem inter alia:

Ἧ μιν ἐλὼν ῥίψω εἰς τάρταρον ἠερόεντα, &c. Id est.

Aut eum correptum projiciam in tartarum obscurum. *Damnationi.* εἰς κρίσιν Adverb. ad judicium. Synecdoche generis.

5 *Prisco mundo.* ἀρχαίου κόσμου. Id est, priscis hominibus. Metonymia subjecti. *Octavum Noë.* ὄγδοον Νῶε. Id est tum ipsum Noë tum unâ cum ipso septem alios, videlicet uxorem, tres filios & tres nurus. *Justitiæ præconem.* δικαιοσύνης κήρυκα. qui prædicavit hominibus sui seculi pœnam eis eventuram propter vitam sceleratam, nisi resipiscerent: ac proinde ad studium justitiæ eos hortatus est. Sed præterea prædicavit quoque Euangelium, id est gratiam Dei, iis qui resipiscerent. Confer 1. Pet. 4. vers. 6. & capite 3. vers. 19. *In mundum impiorum.* κόσμῳ ἀσεβῶν. Id est, in maximam illam multitudinem impiorum quorum mundus plenus erat. Simili fere significatione accipitur vocabulum mundi Jacob. 3. vers. 6. ubi de prava lingua dicitur, quòd sit ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας, mundus injustitiæ.

6 *Sodomorum ac Gomorrhæ.* Σοδόμων καὶ Γομόρρας. Nec non Adamæ & Zebojimorum: quæ duo oppida unâ cum illis commemorantur Deuter. 29 vers. 23. Nam quinto oppidulo, quod á sermone Loti quo illius conservationem ab Angelo impetravit, dictum fuit Zoar, parsum fuit: ut percipitur ex Gen. 29. v. 21.

9 *E tentatione.* ἐκ πειρασμοῦ. Sic vocat afflictiones externas: sicut & epist. superiore, cap. 1. v. 6. *Pœnas dantes.* κολαζομένους. Scil. jam nunc secundum animam apud inferos. Vel potiùs, *punitos*: ut sit enallage temporis. id est, é medio sublatos per horribile aliquod supplicium. quæ expositio exemplis recitatis maximé convenit. Cui etiam favet nativa significatio verbi κολάζειν, quod significat pœnis compescere atque cohibere petulantiam alicujus: unde ἀκόλαστος, qui nullis pœnis petulantiam suam compesci patitur.

10 *Qui carnem sequentes incedunt.* τοὺς ὀπίσω σαρκὸς πορευομένους. Ad verb. Qui post carnem proficiscuntur. Hebraismus. Sic Judæ v. 7. ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας. In istis vocabulo carnis per verecundam synecdochen significatur genitale, ac metonymicé coitus. Istius synecdoches exempla passim occurrunt: ut Lev. 6. v. 3. & c. 15. v. 3. Ezec. 16. v. 26. & c. 23. v. 20. *In impuræ cupiditate.* ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ. Ad verb. In cupiditate pollutionis, id est, qua polluuntur. Hebraismus. Potest autem hic locus paulo aliter verti: nempe sic. τοὺς ὀπίσω σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ πορευομένους. eos qui per impurā cupiditatē carnē sectantur. Ita scil. ut á participio πορευομένους primó regantur illa verba, ὀπίσω σαρκὸς: deinde demū illa ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ. Atq; hanc syntaxin cōfirmat collatio loci citati ex epist. Jud. Sic autē præpositio ἐν nō notabit viam seu locū ubi ambuletur: quēadmodū

ficiet,

fieret, si ista verba, ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ proximé atque immediaté conjungerentur cum participio πορευομένους: sed notabit causam procreantem á qua ambulatio proficiscitur seu quæ ad ambulandum impellit. *Dignitates.* δόξας. Ad verb. Glorias. Sic per metonymiam adjuncti ἐμφατικῶς nominat ipsos principes summa in mundo gloria ac majestate præditos atque circumfulgentes. *Non horrent convitiis incessere.* οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες. Pro, βλασφημεῖν. Græcismus.

12 *Ea vituperantes quæ ignorant.* ἐν οἷς ἀγνοοῦσι βλασφημοῦντες. Pro, ἐν ἐκείνοις ἃ ἀγνοοῦσι. Videtur autem in illa phrasi, βλασφημεῖν ἔν τινι πράγματι, esse Hebraismus in præpositione ἐν usurpata pro περὶ. Sic enim loquuntur Græci, βλασφημεῖν περί τινος πράγματος. Cujus phrasis exemplum affertur hoc ex Isocrate, ἐνίους τῶν σοφιστῶν βλασφημεῖν περὶ τῆς ἐμῆς διατριβῆς. *Suo interitu interibunt.* ἐν τῇ φθορᾷ αὐτῶν καταφθαρήσονται. Præpositio ἐν redundat ex Hebraismo. Nomen autem φθορὰν alii reddunt corruptelam, intelligentes (ut videtur) de corruptis moribus. Sed instituta comparatio postulat, ut intelligatur de interitu spirituali, sicut in protasi intelligebatur de interitu corporali. Ait autem, *Interitu suo*: id est, sibi destinato á Deo: sicut dixerat, animalia bruta nata esse εἰς ἅλωσιν καὶ φθοράν.

13 *Qui fraudibus suis se oblectant.* ἐντρυφῶντες ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν. Vel, qui deliciantur in fraudibus suis. Cæterúm ex collatione Judæ v.12. videatur pro ἀπάταις αὐτῶν, legendum ἀγάπαις ὑμῶν.

14 *Oculos* &c. ὀφθαλμοὺς &c. Confer illud Christi Matth.5.v.28. *Execrandi homines.* κατάρας τέκνα. Ad verb. Execrationis filii. Hebraismus: cujus exempla vide Ephes.2.v.2. Col.3.v.6. 1.Petr.1.v.14.

15 *Filii Bosor.* τοῦ βοσὸρ. Supple, υἱοῦ. id est, qui Balaam fuit filius Bosoris.

16 *Subjugis asina.* ὑποζύγιον. Ad Græcum nomen subauditur ζῶον vel κτῆνος: ut integrum sit, subjuge animal vel jumentum. Et intelligitur generaliter, de equis, bobus, asinis, mulis. Est igitur hic synecdoche generis. *Humana voce.* ἐν ἀνθρώπου φωνῇ. Præpositio ἐν redundat ex Hebraismo.

17 *Caligo tenebrarum.* ὁ ζόφος τοῦ σκότους. Id est, tenebrosissima. Hebrais.

18 *Prætumidam vanitatem.* ὑπέρογκα ματαιότητος. Ad verb. prætumida vanitatis.

OBSERVATIONES EX CAP. II.

Ex v.1.& 2. Quum videmus in Ecclesia exoriri falsos doctores, & multos sequi atque amplecti eorum exitialia dogmata, non debemus ea re tanquam nova offendi ut propterea dubitemus de veritate doctrinæ Christianæ. nam & olim in populo Dei extiterunt falsi prophetæ, & falsos doctores in Ecclesia exorituros prædictum est ab Apostolis, atque etiam ab ipso Christo. Confer Act.20.v.29.& 30.1.Cor.11.v.19. 2.Thes.2.v.3. & deinceps. 1.Tim.4.v.1.& deinceps. Matth.24.v.24.

Ex iisdem versibus. Quum simus præmoniti de exorituris falsis doctoribus & apostatis: officii nostri est ut sollicité nobis ab illorum seductione caveamus, constanter scilicet adhærendo sanæ doctrinæ ab Apostolis traditæ. Confer Matth.24.v.25.

Ex versu 1. ex verbis, *Etiam dominum qui ipsos mercatus est, abnegantes.* Cavendum ne his verbis Petri abutamur ad oppugnandum doctrinam Scripturæ de redemtione Electorum, quód nimirum soli Electi per mortē

Christi redempti sint; quippe pro quibus solis oravit moriturus Johan.17. mundo diserté excluso. Nam quod Petrus ait, Christum mercatum esse etiam eos qui ipsum abnegant & exitium sibi accersunt: intelligendum est de opinione tum ipsorum tum aliorum, quo tempore illi Christum confitebantur. nam etiam hypocritæ ad tempus opinantur, se per Christum esse redemptos: (unde Christus illis fidem tribuit, sed temporariam, Matth.13. v.21. itemque Paulus tribuit illis gustum doni cælestis, Hebr.6. vers.4.) & quicunque Christum confitentur, pro credentibus & ex consequente pro redemtis, ex charitate ab aliis habentur & habendi sunt. Interim semper verum manet illud Pauli Actor.20. vers.28. quód *Deus* (hoc est, filius Dei, Christus) *sanguine suo acquisiverit Ecclesiam*: Ecclesiam, inquam, cujus certé membra hypocritæ & apostatæ non sunt; etiamsi dum in Ecclesiæ sinu degunt, pro membris ex charitate habentur. Hinc de talibus ait Johannes: *Exiverunt ex nobis, sed non erant ex nobis. nam si fuissent ex nobis, mansissent nobiscum.* 1. Joh.2.19.

Ex v.2. Hæretici & sectarii quum veritatem Euangelii non possint refutare, blasphemant eam & doctores atque confessores illius. Sed recipient illi suo tempore meritam damnationem, nisi resipuerint.

Ex v. 3. 10. 12. 13. 14. 15. 17. 18. 19. Diligenter observandæ sunt notæ quibus Petrus falsos doctores depingit: ut illis animadversis, á talibus nobis caveamus. Eæ notæ sunt: negotiatio seu mercatura animarum, v.3.14. & 15. luxuria & libidines, v.10.13.14. contemtus dominatuum, id est regum ac principum, v.10. cæcus furor in vituperanda doctrina sana, v.12. prætumida vaniloquentia, v.17.& 18. pollicitatio libertatis seu indulgentia ac permissio peccandi, v.19.

Ex v.3.& deinceps usque ad 10. Notanda sunt duo argumenta consolationis contra detrimentum quod Ecclesiæ afferunt falsi doctores. Unum est, quód Deus illos suo tempore ex Ecclesia exterminaturus & æterno exitio puniturus est: alterum, quód constantiam cultorum suorum in vera religione ac pietate est remuneraturus, eripiendo illos é catholicis mundi pœnis & πανολεθρίαις. His adde, quód Christus electos suos custodit, ne in errores exitiabiles seducantur. Matth.24.v.24. 2.Tim. 2.v.19. item quód eorum pietatem remuneraturus est præmiis æternis, videlicet gloria & gaudiis cœlestibus, 2.Thes.1.v.5.& deinceps. Matth.13.v.43. 1.Cor.15.v.41. & 42. Phil.3.v.ult. Denique in Apocalypsi promissio illa identidem iteratur, *Victori dabo edere ex arbore vitæ*, & similia. ut cap.2.v.7.11.17.26. cap.3.v.5.12. 21. cap.21.v.7.

Ex v.4. Quum Petrus hoc loco mentionem faciat peccati Angelorum, propter quod in tartarum á Deo detrusi sunt: quæri potest, quodnam illud peccatum fuerit? Respondeo: Etsi hoc in Scriptura nusquam (quod sciam) est expressum: tamen ex duobus locis colligi potest fuisse rebellionem contra Deum ex superbia, qua sese cum Deo comparare ausi sunt tanquam æquè sapientes & justi. Prior locus est Genes.3. ubi narratur, quomodo diabolus effecerit ut de statu suo deturbarentur primi nostri parentes, videlicet afflando illis hoc ipsum venenum superbiæ, ut auderent affectare æqualitatem cum Deo in sapientia: quatenus ajebat, Si ederitis de fructu vetito, eritis sicut Elohim (id est, Deus pater, Filius & S.S.) scientes bonum & malum. Probabile est autem, diabolum eâdem via ac ratione tentasse hominem dejicere de felici statu, qua noverat se é suo felici statu dejecisse seipsum. Sciebat enim Deum sui perpetuó esse similem: ac proinde

inde similia peccata similiter puniturum. Alter locus extat Job.4.vers.17. 18.19. ubi Eliphas Jobum arguens, quód amius esset cum Deo contendere, quasi ab illo præter meritum tantopere afflingeretur, inter alia sic loquitur: *An mortalis Deo justior esset? num opifice suo mundior esset vir? En servis suis non crediturus esset firmitatem: angelis, inquam, suis appositurus lucem. Quanto minús inhabitantibus domos argillaceas?* quibus verbis Eliphas contra Jobum argumentatur in hanc sententiam: quasi dicat: Hæc est communis omnium hominum sors, ut nulla ex parte cum Deo justitiâ & puritate comparari possint, ac proinde multis calamitatibus justé á Deo affligantur. quid ergo te misero fiet, si pergas cum Deo contendere? Hoc autem argumentum confirmat ab exemplo Angelorum per πλάσιν, id est fictionem: quatenus fingit & casum (uti loquuntur) ponit, Angelos illos qui jam in bono confirmati sunt, idem facere quod Jobus fecerat: aut saltem facere visus fuerat: id est, contendere cum Deo, seque cum illo in puritate & justitia comparare. Ex hac porró hypothesi ratiocinatur ducendo argumentum á majore ad hunc modum: Si Angeli sese Deo in sanctitate exæquarent seu tanquam æquales cum Deo compararent: Deus non parceret illis, id est, non relinqueret eos in sua firmitate & luce, sed inde eos deturbaret: Ergo multó minus parcet hominibus, si id fecerint: quippe qui inhabitant domos luteas, id est, quorum spiritus seu animæ inhabitant corpora caduca & infirma, atque adeó primitus ex luto a Deo creata: ita ut sint naturæ minús excellentis quam Angeli. Hinc jam colligo á pari: Si Deus Angelis qui jam in bono confirmati sunt, non parceret, si illi sese Deo in sanctitate exæquare auderét, sed deturbaret eos de sua firmitate & luce: Ergo Angelos illos quos de suo statu deturbavit & ex luce in tartarum detrusit, propter illam ipsam superbiam detrusisse videtur. Etenim ut parium causarum paria sunt effecta: ita vicissim parium effectorum pares sunt causæ.

Ex eodem versu; ex verbis, *Sed in tartarum detrusos*, &c. Notandum est hoc testimonium ad confirmandum articulum fidei de adventu Christi ad judicandum vivos ac mortuos: quo nimirum judicio Electos suos ad se in cœlum assumet: reprobos veró unâ cum diabolo & angelis illius abire jubebit in infernum atque etiam eó ire compellet per sanctos angelos suos, ut illic igni æterno crucientur. Confer Matth.13. vers.40. & deinceps, item cap.25.vers.31.& deinceps. Luc.8.vers.31.& cap.16.vers.23.& 28. 1.Thes.4.vers.16.& 17. 2.Thes.1.v.5.& deinceps. Judæ v.6. Apoc.20.v.10.& deinceps.& cap.21.v.8.

Ex iisdem verbis. Considerandum, quomodo consentiat hoc pronuntiatum Petri, itemq; simile pronuntiatum Judæ vers.6. cum aliis Scripturæ locis, ubi traditur, diabolum & angelos ejus vagari per orbem terrarum & in sublimi seu aëre, hominesque variis modis tentare & affligere, ut Job.1.vers.7. & cap.2. vers.2. ubi Satan Deo respondens ait, se peragrasse terram & ex permissu Dei Jobum varié afflixit: ut narratur cap.1. & 2. Sic in historia regis Achabi narratur, quomodo malus spiritus á Jehova emissus deceperit Achabum, per falsos prophetas promittendo illi victoriam in eo prælio in quo percussus arcu occubuit, & Israëlitæ fugati sunt. Sic in novo Testamento occurrunt hi loci, Matth.4. vers.1. & deinceps, ubi describitur quomodo diabolus tentaverit Christum. item historiæ apud Euangelistas passim occurrentes de dæmoniacis seu obsessis á dæmoniis: ac inprimis illa Luc.8. vers.31. ubi legio dæmoniorum Dominum rogat,

ne

ne sibi imperet ut abeant in abyssum. Item loca Pauli: ut Roman. ult. vers.20. Deus conteret Satanam sub pedes vestros citó. 2.Corinth.12.v.7. & 8.ubi narrat, sibi datum esse angelum Satanæ, á quo colaphis cædatur: seque super hoc ter Dominum rogasse ut abscederet á se. Ephes.2. v.2.ubi Satanam vocat principem cui sit potestas aëris, & spiritum qui nunc agat in hominibus contumacibus. item cap.6.v.11.& deinceps, ubi describit luctam fidelium cum malis spiritibus. de qua lucta monet & Petrus 1.epist. cap.5. vers.8. & 9. Cum his igitur & similibus locis quomodo consentit hoc pronuntiatum Petri, quo affirmat, Deum Angelos qui peccaverunt, detrusisse in tartarum, & catenis caliginis traditos servare ad judicium? Si enim sunt in tartaro, idque catenis caliginis, & quidem vinculis æternis (ut Judas ait) alligati: quomodo igitur dicuntur vagari in aëre & per terram? quippe quum tartarus sit sub terra: unde & infernus nominatur: & Petrus idem confirmat, dum utitur verbo ταρταρῶν, quod valet εἰς τάρταρον ῥίπτειν, sicut Homerus loquitur, Iliad.θ. non procul á principio, ubi ait;

Ὅ μιν ἐλὼν ῥίψω εἰς τάρταρον ἠρόεντα
τῆλε μάλ', ἦχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι δέδηθεν.
ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδός.
τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω ὅσσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.

Quibus verbis Jupiter in concione cæteris diis minatur: si quis eorum auxilium laturus sit vel Trojanis vel Græcis, se illum correptum projecturum in tartarum obscurum, procul valde, ubi profundissimum sit sub terra barathrum: ubi item sint ferreæ portæ & æreum pavimentum: idque tanto intervallo sub inferno, quanto distat cœlum á terra. Hanc de tartaro sententiam eatenus saltem confirmat Petrus verbo illo utens, quatenus traditur esse locus apud inferos ubi suppliciis afficiantur qui Deum offenderunt, nec reconciliationem adepti sunt. Respondeo. Ad loca illa concilianda videtur statuendum: Deum initio quidem, statim scilicet á commisso Angelorum peccato & rebellione, detrusisse eos in tartarum seu infernum: sed ita tamen ut quoties ei visum est, ante ultimum judicium, eos inde exire permittat in terram & liberum hunc aërem, rursusque ad tempus, saltem aliquam eorum partem, in tartarum includat, ne hominibus super terram possint nocere. Id quod confirmo his duobus Scripturæ locis. Apocalypseos nono vers.1.& deinceps narratur, Angelo cuidam datam fuisse clavem putei abyssi; quem quum ille aperuisset, exierint locustæ vastatrices, id est spiritus infernales seu tartarei: quippe qui impositum sibi habebant regem, angelum abyssi, cui nomen Hebraicé Abaddón, Græcé veró Apollyon, id est, perdens: illisque datum fuisse, ut cruciarent homines certo tempore. Deinde rursus cap.20.v.1.& deinceps, narratur, descendisse é cœlo Angelum qui habebat clavem abyssi (id est, inferni seu tartari) itemque catenam magnam in manu sua: qua vinxerit Satanam ad annos mille, conjectum in abyssum, ut non seduceret ampliús gentes, donec complerentur anni mille. nam postea oportere eum solvi ad exiguum tempus. Ex his duobus locis claré apparet, spiritus tartareos ita inclusos esse carceri suo, qui nominatur abyssus & tartarus, ut interdum ad tempus inde emittantur in terram, ac tum rursus includantur & vinciantur, unde & legio illa cacodæmonum Lucæ 8. Dominum

rogabat

rogabat ne sibi imperaret ut irent in abyssum. Quód autem Judas vincula illa quibus mali Angeli sub caligine ligati atque constricti sunt, nominat æterna : id referendum est ad perpetuum ipsorum horrorem, quo veluti constricti, instar maleficorum in carcere inclusorum, judicium illud ultimum exspectant : ut percipitur ex verbis illorum cacodæmonum qui Christo ad duos obsessos accedente, exclamabant : Quid nobis tecum Jesu fili Dei ? venisti huc ad torquendum nos ante tempus ? Matth.8.v.29. Item ex verbis Jacobi, ubi ait, dæmonia credere, Deum esse unum : & horrescere. Jac.2.19.

Ex v.4.5.6.7 8.9. Exempla pœnarum quibus Deus, teste Scriptura, affecit impios : itemque liberationis atque conservationis piorum ; transferenda sunt ad nostrum usum : ut scilicet illis moniti, discamus fugere impietatem, & contrá pietati studere. Confer 1.Cor.10.v.5.& deinceps.Heb. 12.v.1. Rom.15.v.4.

Ex v.8. Si contingat nos habitare aut versari inter homines corruptis ac flagitiosis moribus præditos : non debemus illorum exemplum imitari, aut verbis gestúve approbare : sed potiús quoad tempestivé poterimus, ad studium sanctitatis eos amicis monitis revocare : aut certé si flagitiosa eorum facta videre & audire cogamur, debemus animam nostram excruciare, Deumque rogare ut & illos corrigat & nos ab eorum conversatione liberet : exemplo Loti. Huc pertinet illud præceptum Pauli Rom.12. v.2. *Ne configuremini seculo isti.* Damnandum igitur proverbium quo dicunt, cum lupis ululandum esse.

Ex v.10.& 11. Reges & Principes non sunt vel despiciendi propter officium quod gerunt : vel convitiis incessendi, si malis moribus sint præditi : sed mandatis eorum (dum modó nihil quod verbo Dei repugnet, præcipiant) obediendum : ipsi veró judicio Dei committendi. Confer Rom.13.v.1.& deinceps.

Ex v.11. Robur Angelorum facit ad nostrum solatium : si adjungamus promissiones Dei de nostri per illos in periculis protectione. Quum enim robustissimi sint, ac Regibus Principibusque potentiores : poterunt igitur nos contra tyrannorum persecutionem atque adeó contra omnem vim quæ ab hominibus nobis infertur, facilé defendere : atque etiam defensuri sunt, si modó id conducat ad salutem nostram æternam, ac inprimis ad gloriam Dei. Hinc Elisæus præsidio Angelorum adversus Syrorum exercitum septus, dicebat ministro suo trepidanti, *Plures sunt á nobis quám ab illis* : 2 Reg.6. Item Christus ingruentibus in horto ad eum capiendum ministris Sacerdotum, Petrum defendere conantem revocat his verbis : *An putas me non posse nunc precari patrem meum, qui huc sistat mihi plures quám duodecim legiones Angelorum?* Matth.26.v.53.

Ex v.12. Cavendum ne more bestiarum feramur ad voluptates corporis : sed bestiales illæ cupiditates judicio rectæ rationis, ac inprimis meditatione verbi Dei frenandæ sunt.

Ex eodem versu. Cavendum ne vituperemus quæ ignoramus : sed antequam judicemus, causa probé cognoscenda est.

Ex v.18. ex verbis : *Eos inescant qui verè effugerant eos qui in errore versantur*. Considerandum, quomodo hoc dictum conveniat cum dicto Christi Matth.24 v.24. *Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & edent signa magna & miracula : ut seducant (si fieri possit) etiam Electos.* Hìc Christus docet fieri non posse ut Electi seducantur, videlicet in errorem exitiabilem.

at Petrus videtur docere contrarium, dum ait inescari (hoc est, in exitiabilem errorem seduci) eos qui veré effugerant illos qui in errore versantur. quod quid aliud est, quàm qui veré in Christum crediderant? id quod non contingit nisi Electis. Sed sciendum, inter ista dicta non esse repugnantiam. Etenim dictum Christi intelligendum est simpliciter: quia Scriptura plurimis in locis tradit certitudinem salutis Electorum ac perseverantiam eorundém in vera fide. At dictum Petri intelligendum est κατὰ τι, secundum quid, videlicet quo ad judicium charitatis: quæ quamdiu videt proximum á turba errantium se segregare & cœtui credentium ac verorum Dei cultorum se aggregare, eandemque cum illis religionem profiteri atque exercere: habet illum pro vere-credente: etiamsi interim multi, qui pro talibus habentur, tales revera non sint.

Ex v. 19. Vera libertas non est, putare se liberum esse á bonis legibus, ac proinde agere quod naturæ corruptæ libet. nam qui cupiditatibus suis indulgent, revera servi sunt. Vera autem libertas est: quum liberati á potestate diaboli per Christi mortem; & á dominatu peccati inhabitantis, per ejusdem spiritum: promté & alacriter servimus Deo ex præscripto verbi ipsius. Confer Johan. 8. v. 32. & deinceps. Roman 6. v. 14. & deinceps. Galat. 5. v. 13.

Ex v. 20. 21. & 22. Qui á professione fidei Christianæ deficiunt, graviùs á Deo punientur, quàm qui illam nunquam receperunt. Quare Deum oremus ut per Spiritum sanctum á nobis tantum malum apostasiæ clementer prohibeat: atque ad illam præcavendam exercitiis pietatis (ut auscultatione & lectione & sancta meditatione verbi Dei, item precibus) assiduè utamur. Confer Heb. 6. v. 4. & deinceps. item cap. 10. v. 26. & deinceps. Matt. 12. v. 43. & deinceps.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hîc transit ad aliam commonefactionem, qua monet ut sibi caveant á seductione irrisorum seu illusorum, qui negant adventum Christi ad judicium universale & mundi hujus interitum. Itaque Apostolus adventum illum certó asseverat atque confirmat: deinde formam interitus mundi graphicé describit. Sic duæ sunt præcipuæ capitis partes.

DE PRIMA PARTE.

1 *HAsce jam alteras vobis literas scribo, dilecti, quibus sinceram mentem vestram per commonefactionem excito.*

2 *Ut memores sitis verborum quæ prædicta sunt á sanctis Prophetis, & mandati illius nostri qui sumus Apostoli Domini & servatoris,*

3 *Illud primùm scientes, venturos extremis diebus irrisores, secundùm suas ipsorum cupiditates incedentes:*

4 *Et dicentes, Ubi est pollicitatio adventus ejus? nam ex quo die Patres obdormierunt, omnia ita permanent ab initio creationis.*

5 *Illud enim sponte ipsos latet, cælos jam olim extitisse per Dei sermonem, & terram ex aqua & in aqua consistentem.*

6 *Quamobrem*

6 *Quamobrem is qui tum erat mundus, aquâ inundatus periit.*

7 *Qui verò nunc sunt cæli ac terra, eodem sermone repositi, servantur igni in diem judicii & exitu impiorum hominum.*

8 *Unum autem hoc ne vos lateat dilecti, Unum diem apud Dominum* perinde esse *ut mille annos, & mille annos, ut diem unum.*

9 *Non tardat Dominus promissum (ut nonnulli tarditatem* hanc esse *ducunt) sed patiens est erga nos, nolens ullos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere.*

VErsu 1. & 2. transitionem facit, qua scriptionis suæ scopum denuò indicat, atque ita eos rursum ad constantiam in retinenda Euangelii doctrina exhortatur, ut quæ tum Prophetarum tum Apostolorum testimonio comprobata sit. Versu 3. & 4. proponit prophetiam de venturis irrisoribus, eorumq; recitat argumentationem qua disputant contra alterum Christi adventum: Sententia argumentationis est hæc.

Si mundus jam per multa secula duravit; durabit semper: & ex consequenti nunquam veniet Christus ad mundum destruendum & judicium exercendum: ac proinde promissio illius adventus vana est.

Sed verum est antecedens.

Verum igitur & consequens.

Conclusio præcedit ibi, *Ubi est pollicitatio* &c. Assumtio sequitur ibi, *Nam ex quo die* &c. Propositio omittitur. Versu 5. & deinceps Petrus argumentationem istam refutat & contrarium asseverat. Ac primùm refutat tacitam hypothesin qua connexum istius argumentationis nititur: quasi scilicet tam diuturna mundi duratio arguat, impossibile esse ut mundus unquam dissolvatur. Hoc igitur Deo esse possibile ostendit Petrus á mundi creatione per ratiocinationem á pari: Deus potuit suo sermone, id est mandato, mundum creare: Ergo poterit eundem sermone suo destruere. Antecedens confirmat testimonio conscientiæ adversariorum quod commemorat per reprehensionem dissimulationis eorum, ubi ait, *Illud enim sponte ipsos latet.* quasi dicat, Nôrunt quidem, aut certé facilé ex sacris literis nosse possunt: sed dissimulant. Deinde ℣. 6. negat assumtionem, saltem ex parte: quatenus affirmat mundum illum priscum aquâ inundatum periisse, id est, orbem terrarum vastatum atque corruptum esse: unde apparet, non per omnia esse verum quod isti dicunt, *Omnia ita permanere ab initio creationis.* Tum ℣. 7. ex allato exemplo diluvii deducit asseverationem futuri interitus mundi per ignem. Postea ℣. 8. per prolepsin monet, non debere cuiquam videri quòd interitus mundi & damnatio impiorum nimis diu differatur, aut quasi Dominus tardet. Rationem affert ex Psalmo 90. quia apud Deum mille anni sint ut unus dies: quam sententiam Petrus sententiâ reciprocâ amplificat, quasi dicat: Etiamsi nobis mille anni videantur diuturnum tempus: ac proinde mundus nobis videatur valde diu durasse, ut qui jam durarit per aliquot annorum millia: tamen alia est ratio apud Deum: quippe cui nullum tempus longum videtur. Ad extremum ℣. 9. causam exponit, cur Dominus nondum adveniat ad judicium: nempe quia concedat Electis spatium resipiscendi ut serventur. Hanc causæ expositionem amplificat antithesi causæ falsæ quam negat, quasi scilicet Dominus adventum suum differat ex tarditate. Simul etiam asseverationis præcedentis fundamentum attingit, quod est Domini promissio.

DE SECUNDA PARTE.

10 *Veniet autem, ſicut fur in nocte, dies ille Domini: quo cœli cum ſtridore præteribunt; elementa veró æſtuantia ſolventur, terræque & quæ in ea ſunt opera exurentur.*

11 *Quum igitur hæc omnia ſolvenda ſint: quales oportet eſſe vos in ſanctis converſationibus & pietatis officiis,*

12 *Expectantes & properantes ad adventum diei Dei? in quo cœli conflagrantes ſolventur, & elementa æſtuantia liqueſcent.*

13 *Sed cœlos novos ac terram novam ſecundùm promiſſum ejus expectamus, in quibus juſtitia inhabitat.*

14 *Quapropter, dilecti, quum hæc expectetis, ſtudete ut immaculati & incontaminati ab eo reperiamini cum pace:*

15 *Dominique noſtri patientiam, ſalutem ducite. ſicut & charus frater noſter Paulus pro ſibi data ſapientia ſcripſit vobis:*

16 *Sicut etiam in omnibus epiſtolis, loquens in eis de iſtis: in quibus ſunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parùmque ſtabiles detorquent, ut & reliquas Scripturas, ſuo ipſorum exitio.*

17 *Vos igitur, dilecti, iſtorum præſcii quum ſitis: cavete ne illorum nefariorum errore cum illis abducti, excidatis à propria ſtabilitate.*

18 *Sed creſcite in gratia & agnitione Domini noſtri & Servatoris Jeſu Chriſti. Ipſi ſit gloria & nunc & in tempus ſempiternum. Amen.*

Deinceps formam adventus Domini ad judicium & deſtructionis mundi deſcribit, atq; inde exhortationem deducit ad ſtudium ſanctitatis: annectens doctrinæ hujus confirmationem á conſenſu doctrinæ Pauli: de cujus ſcriptorum difficultate, ſaltem in parte, ſimul monet: ac poſtremó ad conſtantiam in hac doctrina & profectum hortando epiſtolam concludit. Igitur v. 10. adventum Domini deſcribit partim ab adjuncto temporis, quód venturus ſit ſicut fur in nocte, id eſt ex improviſo: partim ex modo interitus mundi, idque per partes, ubi ait, *Cœli cum ſtridore præteribunt.* &c. Verſu 11. & 12. ex hac forma (tam terribili ſcilicet) interitus mundi deducit exhortationem ad ſtudium ſanctitatis & fiduciæ: ſimulque ſententiam de mundi interitu repetit. Verſu 13. affirmat creatum iri mundum novum: idq; teſtimonio Eſaiæ confirmat: ſimulque novi illius mundi felicem ſtatum indicat, quód ſcilicet juſtitia in eo inhabitatura ſit: remotis ſcilicet impiis & in gehennam conjectis. Tum v. 14. & initio 15. exhortationé illam repetit. Verſu 15. doctrinam hanc ſuam teſtimonio Pauli confirmat, ejuſq; ſcripta á ſingulari ſapientia commendat. Veruntamen v. 16. de eorundem in aliquibus partibus difficultate admonet: & ſcandalo occurrit quod oriebatur á levitate quorundam, qui difficilia illa loca Paulina detorquebãt ad ſuum exitium. Monet igitur, idem accidere reliquis Scripturis: de quarum tamen veritate & utilitate pii nequaquam dubitant. Poſtremó v. 17. & 18. epiſtolam concludit repetitione commonefactionis principalis, & doxologia ſeu celebratione nominis Chriſti.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 *Quibus.* ἐν ταῖς. Subaudi ἐπιστολαῖς. id eſt, in qua utraque epiſtola. *Per commonefactionem.* ἐν ὑπομνήσει. Id eſt, διὰ ὑπομνήσεως. Hebraiſmus.

2 *Mandati*

2 *Mandati nostri qui sumus apostoli Domini* &c. τ῀ς τῆς ἀποστόλων ἡμῶν ἐντολῆς τοῦ Κυρίου &c. Verborum trajectio, Petro familiaris. Legitimus ordo est, τῆς ἐντολῆς ἡμῶν τ῀ν ἀποστόλων Κυρίου &c. Ubi cavendum ne quis ἡμῶν accipiat pro ἡμετέρων, tanquam regeretur á nomine ἀποστόλων. At cohæret cum illo nomine non per syntaxin rectionis, sed convenientiæ: convenit enim cum illo per appositionem.

3 *Extremis diebus.* ἐπ' ἐσχάτου τ῀ν ἡμερῶν. Ad verb. In extremo dierum. Hebraismus: ut Gen.49. v.1. Beacharith hajamím. *Secundum cupiditates.* κατὰ τὰς ἐπιθυμίας. Id est, prout eos ducunt vel agunt cupiditates.

4 *Ubi est.* ποῦ ἐστιν. quasi dicant: Nusquam est, evanuit: denique vana est & mendax. *Ex quo die.* ἀφ' ἧς. Supple ἡμέρας. *Obdormierunt.* ἐκοιμήθησαν. Id est, mortui sunt.

5 *Per Dei sermonem.* τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ. Id est, per Dei jussum seu imperium: ut planum est ex narratione Mosis. quó pertinet & illud Psal.33. v.9. Dixit, & facta sunt: mandavit, & steterunt. *In aqua.* δι' ὕδατος. Pro, ἐν ὕδατι: ut 1.Pet.3.v.20.

6 *Quamobrem.* δι' ὧν. Eâdem significatione usus fuit istis particulis suprá cap.1.v.4. *Qui tum* erat *mundus.* ὁ τότε κόσμος. Post τότε subaudi γενόμενος. Mundi autem vocabulo intelligitur hîc tum superficies orbis terrarum, tum homines & bestiæ super illam degentes.

7 *Qui verò nunc* sunt *cæli.* οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ. Post νῦν subaudi ὄντες. *Eodem sermone.* τῷ αὐτῷ λόγῳ. Id est, vi ejusdem sermonis seu mandati divini. *Servantur igni.* πυρὶ τηρούμενοι. Scilicet ut igne crementur, sicut paulò póst declarabit. *In diem judicii.* εἰς ἡμέραν κρίσεως. Usque in diem judicii illius universalis. Alii, *damnationis*: conjungentes nimirum per Zeugma cum hoc nomine illa quæ sequuntur, τ῀ν ἀσεβῶν ἀνθρώπων. Parum refert.

9 *Non tardat Dominus promissum.* οὐ βραδύνει ὁ Κύριος τ῀ν ἐπαγγελίας. Post ἐπαγγελίας subaudi ἕνεκα. q. d. Non tardat quod ad promissionē attinet: id est, non differt promissum. *Tendere.* χωρῆσαι. Vel cōcedere.

10 *Sicut fur.* ὡς κλέπτης. Confer Matth.24.v.43. Luc.21. v.35. *Prætereibunt.* παρελεύσονται. Non quidem in nihilum redacta, sed in novam formam transmutata. Confer Psal.102.v.27.Rom.8.v.19.

11 *In sanctis conversationibus.* ἐν ἁγίαις ἀναστροφαῖς. Confer. Matt.24. v.42. Luc.21.v.34.36. *Pietatis officiis.* εὐσεβείαις. Ad verb. pietatibus.

12 *Properantes.* σπεύδοντας. Confer Luc.21.v.28. Apoc.ult.v.17. *Dei.* τοῦ Θεοῦ. Id est, Christi. Vel Dei patris: ut qui judicaturus est per Christum, Act.17.v.31. *In quo.* δι' ἣν. Scil. ἡμέραν. Pro, ἐν ᾗ. Vel potiús, δι' ἣν, scil. παρουσίαν: per quem adventum diei Dei. *Liquescent.* τήκεται. Pro, τήξεται. Enallage temporis.

13 *Secundùm promissum.* κατὰ τὸ ἐπάγγελμα. Quod extat Esa.65. v.17. & cap.66.v.22. *Justitia.* δικαιοσύνη. Id est, homines justi & sancti.

14 *Cum pace.* ἐν εἰρήνῃ. Id est, μετ' εἰρήνης. Hebraismus.

15 *Salutem arbitramini.* σωτηρίαν ἡγεῖσθε. Scil. εἶναι, esse. hoc est, ad salutem vobis conducere. Hîc in prædicato enuntiati est metonymia effecti. sicut in illo Rom.7 v.7. Lex peccatum est? *Sicut etiam in omnibus epistolis.* ὡς καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἐπιστολαῖς. Scil. γράφει, scribit: ex membro præcedente. *In quibus.* ἐν οἷς. Videtur potiús legendum, ἐν αἷς. scil. ἐπιστολαῖς. quam lectionem D.Beza testatur reperiri in tribus manuscriptis codicibus. *Nonnulla difficilia intellectu.* δυσνόητά τινα. Ut sunt quæ disputat de rejectione Judæorū, ac omnino de prædestinatione, Rom.9.10.& 11. item de

impo-

impossibilitate resipiscentiæ apostatarum, Heb.6.& 10.

18 *In tempus sempiternum, εἰς ἡμέραν αἰῶνος.* Ad verb. In diem seculi.

OBSERVATIONES EX CAP. III.

Ex v.1.& 2. Adversus sanæ doctrinæ & sanctæ vitæ hostes, remedium ex jugi meditatione Propheticorum & Apostolicorum scriptorum petendum est: ut rectè hic notavit D.Beza.

Ex v. 3. & deinceps. Contra irrisores qui negant adventum Christi ad judicium, muniamus fidem nostram recordatione prædictionis Apostolorum & ipsius Christi: qui tales irrisores venturos prædixerunt. Confer 1.Timoth.4.v.1. & deinceps. 2.Tim.3.v.1. & deinceps. Judæ v.17. & deinceps. Matth.24.v.24.25.37.38.39.

Ex v.7.10.11.12.13. Deus mundum suo tempore (videlicet in adventu Christi ad judicium) concrematurus est, ac tum ex illis cineribus novum mundum creaturus. Ita tamen ut nec sedes beatorum, summum videlicet, sive tertium cælum; nec locus damnatorum, videlicet infernus seu tartarus, destruatur. Illa enim sedes utraque inde ab origine seu fundatione mundi parata est recipiendis suo tempore tum illis tum istis: teste Christo Matth.25.v.34.& 41. Quòd autem mundus non sit redigendus in nihilum, sed immutandus atque renovandus, traditur Psal.102.v.23. ubi de cælo & terra dicitur: *Ista peritura sunt: tu autem* (ô Jehova) *permanes: ista, inquam, omnia ut vestimentum veteraſcent: ut indumentum mutabis ea, atque mutabuntur.* Ad idem confirmandum facit spes illa instaurationis quam rebus creatis tribuit Paulus Rom.8.v.19. & deinceps.

Ex v.8 9.& 15. Quum adventus Christi ad judicium diu nobis videtur differri: cogitemus, mille annos apud Dominum esse ut diem unum; ac proinde illum non tardare, sed definito tempore venturum. Cogitemus quoque id temporis spatium nobis concedi ad resipiscentiam & ex consequenti ad salutem: ac proinde tempore utamur.

Ex ℣.9. ex verbis, *Nolens ullos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere.* Cavendum ne his verbis abutamur ad oppugnandum doctrinam in plurimis Scripturæ locis traditam de electione particulari, hoc est, qua Deus non omnes in universum homines, sed aliquos tantum pro suo beneplacito elegit ad salutem: quos etiam solos resipiscentiâ donat, & per hanc ad salutem adducit. Etenim Petrus non loquitur hic de omnibus in universum hominibus, sed tantùm de omnibus Electis. Scribit enim ad fideles Judæos, quos ex charitate pro Electis habebat. Ideò ait, Patiens est erga *nos*, videlicet quos per Euangelium vocavit & etiamnum vocat: nolens ullos (videlicet ex nobis) perire: sed omnes (videlicet nos, quos vocat) ad resipiscentiam tendere. Charitatis enim est, quos Deus dignatur vocare suo verbo, illos habere pro Electis.

Ex v.10. & deinceps. Quum Christus ad judicium venturus sit ex improviso: quippe quum diem illum & horam omnes ignorent: officii nostri est, perpetuò vigilare & perpetuo studio sanctitatis nos ad ipsius adventum cóparare. Confer Matth.24 v.42.& deinceps. Luc.21.v.34.& deinceps.

Ex ℣. 13. Contra miserias hujus mundi consolemur nos spe novi mundi, in quo justitia inhabitabit, & in quo fruemur gaudio æterno & gloria æterna: sicut copiosè describitur in Apocalypsi, duobus capitibus postremis.

Ex

Ex v.15.ex verbis, *Sicut & charus frater noster Paulus, &c.* Fidos verbi doctores decet, ut sese mutuo testimonio ornent, & alii alios Ecclesiæ Dei cõmendent, ac præsertim eos, de quorum doctrina possit oborirí sinistra suspicio. Ita enim videmus hic Judæis á Petro commendari doctrinam Pauli: de quo apud nonnullos suspicio erat, calumniis pseudapostolorum excitata, quasi doceret defectionem á Mose & Lege Dei.

Ex iisdem verbis probabiliter colligitur; epistolam quæ extat ad Hebræos, scriptam esse á Paulo: sicut in illius Analyseos prolegomenis fusiùs demonstravimus.

Ex v.16. *Ut & reliquas Scripturas.* His verbis Petrus epistolas Pauli inter Scripturas canonicas refert. Idem autem sentiendum de epistolis cæterorum Apostolorum: quia omnium par fuit authoritas.

Ex tribus versibus ultimis: Cavendum ne quæ difficilia intellectu occurrunt in Scripturis, detorqueamus: vel detorquentibus aures præbeamus: sed potiùs opera danda, ut adorantes occulta & justa judicia Dei de quibus Scripturæ testantur, in gratia & agnitione Domini nostri & servatoris Jesu Christi stabiliamur & crescamus. Quam gratiam largiatur nobis Deus pater per Christum & Spiritum sanctum, Amen.

I ANALYSIS

ANALYSIS LOGICA EPISTOLÆ PRIMÆ APOSTOLI JOHANNIS.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

PRoposítum est Apostolo Johanni in hac epistola, fideles ad quos scribit, confirmare tum in [a] fide Christiana, tum in studio [b] pietatis, ac nominatim dilectione [c] proximi: idque in eum finem, ut illi solido fruantur [d] gaudio ex [e] communione cum [f] vero Deo & certa [g] spe vitæ æternæ. Cæterùm duo illa doctrinæ capita, fidem inquam & dilectionem, tractat promiscuè & alternatim, subinde ab uno ad alterum transiens atque rediens. Adhæc utrumque amplificat & illustrat á contrario: quatenus monet ut á [h] seductoribus (quos antichristos nominat) nec non ab [i] idolis sibi caveant: item quatenus á dilectione [k] mundi & [l] odio fratrum dehortatur.

a cap. 5. v. 13.
b cap. 2. v. 1.
c cap. 3. v. 23.
d cap 1 v. 4.
e cap 1. v 3
f cap 5. v. 20.
g cap. 3. v. 2.
h cap. 2. v. 18. & deinceps. item cap. 4. v. 1. & deinceps.
i cap. 5. v ult.
k cap. 2. v. 15.
l cap 2 v. 9. 11. item cap. 3. v. 12. 15. item c. 4. v. 20.

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Orditur á doctrina fidei, describens personam Christi & indicans præcipuum illius in fideles collatum beneficium, videlicet vitam æternam: quam definit communione cum Deo & solido gaudio. Deinde annectit præceptum sanctitatis, in eoque exponendo ad doctrinam fidei redit, exponens aliud Christi erga fideles beneficium, videlicet remissionem peccatorum: ubi simul reprehendit eos qui se peccatum habere negant.

DE PRIMA PARTE CAPITIS.

1 QUOD *erat á principio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus, & manus nostræ contrectarunt, de sermone vitæ:*

2 *(Nam vita patefacta est: & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam illam æternam quæ erat apud Patrem, & patefacta est nobis)*

3 *Quod*, inquam, *vidimus & audivimus, id annuntiamus vobis, ut & vos communionem habeatis nobiscum: & communio nostra sit cum Patre & cum Filio ejus Jesu Christo.*

4 *Et hæc scribimus vobis ut gaudium vestrum sit plenum.*

QUatuor primis versibus proponit summam Euangelii seu doctrinæ de Christo, eamque confirmat testimonio experientiæ tum suæ ipsius tum cæterorum Apostolorum. Indicat autem duo de Christo: nempe quis sit, & quid boni credentibus attulerit. Atque ita doctrinam Euangelii tum á præstantia subjecti, tum ab utilitate, tum denique á certitudine commendat. Si igitur quæratur, quis sit Christus: significat esse

verum

verum Deum & verum hominem. Deitatem ejus significat, ubi ait: *Quod erat á principio.* Si enim Christus á principio mundi, seu quum mundus inciperet, jam erat: erat igitur ab æterno: quia tempus cum mundo cœpit. item ubi eum nominat *Sermonem vitæ*: nec non *vitam æternam quæ erat apud Patrem.* Sermo enim nominatur, quia est æterna illa Sapientia per quam Deus pater mundum condidit, & genus humanum inde á mundi principio allocutus est. Denique vita nominatur, itemque vita æterna: quia est author vitæ in omnibus creaturis, quocunque illæ vitæ genere vivant. Humanam verò ejus naturam demonstrat, ubi ait, *Quod audivimus, quod vidimus, &c.* item ubi ait, *Vitam esse patefactam seu manifestatam,* scilicet in carne: ut loquitur Paulus 1. Tim. 3. v. ult. Jam si quæratur, quid boni credentibus Christus attulerit: significat attulisse eis vitam æternam: quatenus eum nominat *Sermonem vitæ,* & *vitam,* & denique *vitam æternam.* Porrò testimonium experientiæ suæ cæterorumque Apostolorum significat, ubi ait, *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus, & manus nostræ contrectarunt.* Cæterùm vitam æternam quam Christus credentibus attulit, definit *communione cum vero Deo & gaudio solido,* quod nimirum ex communione illa manat, in fine versus tertii: & versu quarto. Atque hunc ipsum scriptionis suæ finem seu scopum esse significat, ut in ista communione & gaudio, id est, vita æterna confirmentur fideles ad quos scribit. ait enim, se illis Christum annuntiare, *ut communionem habeant cum Apostolis, atque adeó cum Patre & cum filio ejus Jesu Christo.* item se hæc eis scribere, *ut gaudium ipsorum sit plenum.*

5 *Hæc igitur est denuntiatio quam audivimus ex ipso, & renuntiamus vobis, Deum lucem esse, nec tenebras in eo esse ullas.*

6 *Si dixerimus nos societatem habere cum eo, & in tenebris incedimus; mentimur, nec sincerè agimus.*

7 *Quod si in luce incedimus, sicut ipse est in luce; cõmunionem habemus cum eo mutuam, & sanguis Jesu Christi Filii ejus purgat nos ab omni peccato.*

8 *Si dixerimus nos peccatum non habere; nosipsos fallimus, & veritas in nobis non est.*

9 *Si confiteamur peccata nostra: fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & purget nos ab omni iniquitate.*

10 *Si dixerimus nos non peccasse, mendacem facimus eum, & sermo ejus non est in nobis.*

Hactenus proposuit summam Euangelii, ut eos confirmaret in fide: nunc accedit ad alteram propositi sui partem, præcipiens studium sanctitatis, ut absque quo professio fidei sit mendax. Hanc autem partem é superiore deducit tanquam proprium effectum é sua causa procreante, sic ratiocinando.

Si communionem habemus cum Deo, necesse est ut ambulemus in luce, id est operam demus sanctitati: quia Deus lux est.

Atqui communionem habemus cum Deo: id quidem certé dicimus ac profitemur, quatenus scilicet nos profitemur Christianos seu fideles.

Ergo necesse est ut ambulemus in luce, id est operam demus sanctitati.

Prosyllogismus propositionis præcedit, confirmatus testimonio doctrinæ Christi quam Apostoli ex ipso audiverant, item amplificatus negatione contrarii. Propositionis sententia succedit vers. 6. amplificata absurdo

consequente contrarii. nam pro eo quod simplex erat, *Si communionem habemus cum Deo, necesse est ut ambulemus in luce*: ait, *Si dixerimus nos communionem habere cum eo, & in tenebris ambulamus: mentimur, nec sincerè agimus*. Simul etiam innuitur prosyllogismus assumtionis, ubi ait, *Si dixerimus*: quasi addat, *Sicut dicimus*: dum scilicet nos Christianos profitemur. Deinde v. 7. annectitur propositionis amplificatio per enuntiatum reciprocum, ubi ait: *Quod si in luce incedimus, sicut ipse est in luce: communionem habemus cum eo mutuam*. Cæterùm assumtio intelligenda relinquitur. Porrò ratiocinatio ista Apostoli vim habet exhortandi ad studium sanctitatis, ab effectis duobus: quorum unum est laus veritatis in profitenda fide Christiana; alterum confirmatio fidei de communione nostra cum Deo. Prius significatur à contrario mendacio, vers. 6. Posterius significatur vers. 7. ex collatione cum sententia præcedente. nam quum dicit, *Communionem habemus cum eo mutuam*: perinde est ac si diceret: *tum demum verè dicimus ac certò scimus nos habere communionem cum Deo*. Cæterùm huic posteriori effectui annectit alterum illi affinem, videlicet confirmationem fidei de remissione peccatorum per Christi sanguinem parta: atque ita redit ad doctrinam fidei, exponendo aliud Christi erga fideles beneficium: quod quidem altero illo antea exposito, videlicet vitâ æternâ, ordine naturæ prius est: quia ad communionem cum Deo & vitam æternam accessus nemini patet, nisi qui priùs cum eo fuerit reconciliatus. hanc autem reconciliationē effecit Christus suo sanguine, quatenus illius effusionem cum sensu iræ Dei propter nostra peccata passus, peccata nostra expiavit, nobisque remissionem eorum à Deo promeritus est suisque precibus impetravit. Id significat Johannes his verbis, *Et sanguis Jesu Christi Filii ejus purgat nos ab omni peccato*. Id est, Si in luce ambulemus sanctitatique studeamus, tum confirmabimur quoque in fide remissionis peccatorum per sanguinem Christi partæ. Cæterùm hoc Christi beneficium amplificat Johannes partim ab adjuncta agentis facultate, partim ab adjuncta effecti amplitudine. Facultatem agentis notat, quum Christum vocat *Filium Dei*; hac enim appellatione innuit, sanguinem illius satis pretiosum fuisse ad peccata Electorum expianda. Amplitudinem effecti significat expressione particulæ universalis: quum ait, sanguinem Christi purgare nos ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας, ab OMNI peccato: quasi dicat, nullo excepto. Versu 8. sententiam propositam amplificat prolepsi, qua occurrit iis qui negant se peccatum habere, quod si verum esset: tum sententia Apostoli de peccatorum nostrorum per sanguinem Christi perpetua purgatione esset falsa. Quippe qui peccatum nullum habet, de eo verè dici non potest, quòd ab omni peccato purgetur. Johannes negationem illam simpliciter ut falsam & hypocriticam reprehendit. deinde vers. 9. per antithesin sententiam propositam repetit, & ad consolationem fidelium sub onere peccatorum gementium accommodat. tum vers. 10. ipsam reprehensionem istorum repetit, illamque negationem non solùm ut hypocriticam, sed etiam tanquam sacrilegam reprehendit, quippe quæ Deum mendacem faciat. quo ipso falsitatem istius negationis evincit à testimonio Dei: ut qui in suo verbo omnes homines peccati arguat.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 *A principio*. ἀπ' ἀρχῆς. Scilicet mundi. Pro hoc Johan. 1. vers. 1. dicitur,

dicitur, ἐν ἀρχῇ, in principio. *Audivimus.* ἀκηκόαμεν. Nempe nos Apostoli. *Oculis nostris.* τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν. Pleonasmus emphaticus. A Luca nominantur αὐτόπται, Luc.1.vers.2. *Quod spectavimus.* ὃ ἐθεασάμεθα. Hoc non otiosé adjicitur, sed refertur proprié ad miracula Christi, tanquam spectacula divinæ potentiæ ipsius. sicut ait in Historia sua Euangelica cap.1. vers.14. Spectavimus (ἐθεασάμεθα) gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti egressi á patre. *Contrectarunt.* ἐψηλάφησαν. Scil. tum ante mortem atque resurrectionem ejus, túm post. Vide Luc.24.v.39. Johan.20.v.27. *De Sermone.* περὶ τοῦ λόγου. Pro, τοῦ λόγου. Anomalia appositionis. Sermonis autem vocabulo intelligit filium Dei, ut Joh.1.v.1.& 14. *De sermone vitæ.* περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς. Id est, qui est autor vitæ. Confer Joh.1 v.4.

2 *Patefacta est.* ἐφανερώθη. Scil. in carne, ut loquitur Paulus 1.Tim.3.v.16. *Vitam illam æternam.* τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον. Id est, authorem vitæ æternæ. *Apud patrem.* πρὸς τὸν πατέρα. Sic Johan.1.v.1.

5 *Denuntiatio.* ἡ ἐπαγγελία. Infrá cap.3.v.11. nominatur ἡ ἀγγελία. *Lux.* φῶς. Id est, plenus sapientiæ & sanctitatis.

6 *In tenebris.* ἐν τῷ σκότει. Scilicet ignorantiæ & peccati. *Nec sincerè agimus.* καὶ οὐ ποιοῦμεν τὴν ἀλήθειαν. Ad verb. Nec facimus veritatem. Sic Johan.3.v.21.

7 *Si in luce incedimus.* ἐὰν ἐν τῷ φωτὶ περιπατῶμεν. Id est, si sapienter & sanctè vivimus. *Cum eo mutuam.* μετ' ἀλλήλων. Seu, inter nos. Communionem, inquit; habemus (nempe Deus & nos) inter nos mutuam. *Filii ejus.* τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. Hoc exprimit ad significandum illius sanguinis pretiositatem. Sic Act 20.v.28. á Paulo nominatur sanguis Dei. *Ab omni peccato.* ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας Sic Tit.2.v.14.

8 *Veritas.* ἡ ἀλήθεια. Potest intelligi vel simpliciter vel per synecdochen generis de verbo Dei: quod dicitur in nobis esse, quum á nobis & rectè intelligitur & firmiter creditur. Huic posteriori expositioni favet collatio versus ultimi: & ad eandem firmandam facit dictum Christi Joh. 17. v. 17. ubi ait: Sermo tuus veritas est.

9 *Fidelis est & justus.* πιστός ἐστι καὶ δίκαιος. Id est, constans in servandis promissis. promisit autem remissionem peccatorum resipiscentibus & veniam ex fide petentibus. *Facimus.* ποιοῦμεν. Nempe quantum in nobis est. id est, mendacii vel potiùs mendacitatis arguimus. Sed alterum, ὑπερπικώτερον est.

OBSERVATIONES EX CAP. I.

Ex v.1.& 2. De persona Christi. Christus est verus Deus, & verus homo. Quomodo utrumque probetur ex textu, dictum est in Analysi.

Ex iisdem versibus. Observandum exemplum communicationis idiomatum. Etenim Sermo vitæ qui erat á principio, id est, filius Dei idemque Deus æternus, dicitur ab Apostolis esse visus oculis & manibus contrectatus: utique non secundùm deitatem, sed secundùm carnem personaliter assumtam.

Ex iisdem versibus. Vitæ æternæ author est Christus, iis nimirum qui in ipsum credunt. hæc enim causa est cur á Johanne nominetur Sermo vitæ, item vita & vita æterna: nempe non solùm quód ipse vivat vitam æternam & beatam, sed etiam quód vitæ æternæ & beatæ author sit aliis. Vide infrá cap.5.v.11.& 12.

Ex v.3.& 4.Vita æterna consistit in communione cum Deo: cujus communionis pars una est gaudium. cujus hic mentionem facit Johannes: altera verò pars quæ alibi in Scriptura traditur,est gloria.Interim tamen servandum est discrimen inter Deum & Electos.Sicut enim Dei natura infinita seu immensa est: sic etiam ejus gaudium infinitum & gloria infinita est. Contrá sicut natura hominis finita est: sic etiam ejus gaudium finitum & gloria finita est quin etiam certi erunt gradus tum gaudii Electorum, tum gloriæ.quorum prius percipitur ex verbis Christi,ubi pronuntiat, tolerabilius fore Sodomitis in die judicii quám Capernaitis incredulis : posterius verò traditur á Paulo 1.Cor.15 ubi docet,in resurrectione mortuorum tale fore discrimen gloriæ,corporum quidem certé,quale est discrimen claritatis in corporibus stellarum.

Ex v.5.6.7. Fides per quam in hac vita communionem habemus cum Deo,necessariò ex se parit studium sanctè vivendi. Quare ubi nullum est studium sanctitatis,ibi falsa est fidei professio.

Ex v.7. Qui cupiunt habere communionem cum Deo, eos necesse est habere remissionem peccatorum. quia quum Deus sanctus ac purus sit, cum impuris & peccato pollutis nihil commune habet.

Ex eodem versu. Quum sanguis Christi nos purget ab omni peccato; id est, quum omnia peccata nobis remittantur á Deo propter sanguinem Christi cum sensu iræ Dei effusum in cruce ad illa expianda:consequens est ut sola obedientia mortis Christi nobis ad justitiam á Deo imputetur. Etenim justitia qua coram Deo justificamur,nihil aliud est quám peccatorum remissio.id quod manifestè docet Paulus Rom.4.v.6.& 7.ubi probaturus testimonio Davidis,eum hominem beatum esse,cui Deus imputat justitiam, adducit verba hæc Psalmi 32.*Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c.* Unde liquet,has duas locutiones Apostolo æquipollere: *Homini á Deo imputari justitiam,*& *Homini á Deo remitti peccata.* Errant igitur qui putant, ad justitiam nobis á Deo imputari obedientiam vitæ Christi qua Legem perfecte præstitit,nec non sanctificationem naturæ humanæ in ipso. Nam quod dicunt,non esse satis non peccasse, sed præterea requiri perfectam Legis præstationem: pro diversis accipiunt,quæ reipsa idem sunt. Etenim quum de homine dicitur, quód non peccârit (videlicet planè non) id perinde est ac si diceretur, quód perfectè Legem præstiterit : & vicissim. Item quód tradunt, etiamsi quis per Christi mortem satisfecerit judicio Dei, luendo pœnam quam sua peccata merebantur:tamen propter naturę pravitatem non audere comparere coram Dei majestate, nisi præter mortem Christi habeat aliud remedium quo efficiatur ut illa corruptio naturæ seu peccatum inhabitans non veniat in rationem coram Deo : contradictionem impleat. Etenim peccatorum nomine, pro quibus Christus sua morte satisfecit, continetur quoque peccatum illud inhabitans. non igitur contra illud peccati genus alio remedio opus est, ne veniat in rationem coram Deo, hoc est, ne nobis imputetur ad damnationem. Interim verum est, ad illud infringendum atque imminuendum opus esse remedio sanctificationis Spiritus sancti, qui illud mortificet & justitiæ studium in nobis creet. Denique sanguis Christi (ut manifestum est ex propositis verbis Johannis) est remedium unicum & veluti * panaces, ad sanandum omnes nostros morbos : id est ad expiandum omnia nostra peccata, poſque ab illis purgandum : sive sint peccata quæ vocantur Commissionis, quum commisimus scilicet quæ Deus vetuit : sive Omissionis, quum

* *De hac herba tradit Plin. lib.25 natur. hist.cap.4.*

quum omisimus quæ Deus imperavit: seu denique peccatum quod nominatur Originale, cujus pars est illa naturæ corruptio. Non igitur opus est, contra diversas peccati species diversa remedia commiscri.

Ex eodem versu, ex verbis, *Filii ejus.* Quód sanguis Christi tam pretiosus est coram Deo, ut judicio illius satisfaciat pro omnibus omnium Electorum peccatis, quæ nimirum & plurima & gravissima sunt: facit dignitas personæ: quippe quæ est filius Dei, atque adeó Deus. Confer Act.20.v.28. Huc etiam facit sanctitas naturæ humanæ & vitæ Christi: ut percipitur ex verbis Petri 1.Pet.1.v.19.

Ex v.8.& 10. Cavendum ne videamur nobis sancti & ab omni peccato puri in nobis ipsis. quia contrarium testatur Deus in suo verbo: & præterea ipsa cujusque conscientia.

Ex v.9. Quum conscientia nos angit recordatione admissorum peccatorum, confiteamur peccata nostra Deo, remissionemque eorum petamus propter satisfactionem Christi: eamque nos impetraturos certó confidamus, freti natura Dei justa ac fideli, & promissionibus ipsius. Promisit enim, se peccata remissurum omnibus resipiscentibus & in Christū credentibus.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Hic quoque partim doctrinam fidei, partim præceptum sanctitatis ac nominatim dilectionis proximi tradit: simulque monet ut sibi caveant á seductoribus, contráque illorum tum apostasiam tum seductionem fidem ipsorum confirmat.

1 *Filioli mei, hæc scribo vobis, ne peccetis. Quod si quis peccarit, advocatum apud Patrem habemus, Jesum Christum justum.*

2 *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius mundi* peccatis.

INitio ad institutam exhortationem redit, eamq; concludit. Deinde per prolepsin contra lapsus quotidianos, ex infirmitate oriri solitos, ipsos consolatur á patrocinio Christi: cujus patrocinii vim confirmat ab antegressa e, usdem satisfactione: quam amplificat á subjecti occupantis amplitudine per distributionem & imparium collationem: qua electos distribuit in fideles eos ad quos scribebat, & in reliquos per totum mundum dispersos: atque ita illos cum istis tanquam pauciores comparat.

3 *Et per hoc scimus quód eum novimus, si mandata ipsius observamus.*

4 *Qui dicit, novi eum, & mandata ejus non servat; mendax est, & in eo veritas non est:*

5 *Qui autem servat sermonem ejus, verè in hoc charitas Dei adimpleta est; per hoc scimus, nos in ipso esse.*

6 *Qui dicit se in eo habitare, debet, sicut ille ambulavit, ita & ipse ambulare.*

Redit ad præceptum sanctitatis, illudque rursus eo argumento quo supra cap.1.v.5. & deinceps usus fuit, confirmat: nempe quód studium sanctitatis cum communione Dei (quam hic *cognitionem Dei*, item, *dilectionem*

Dei, nec non *manſionem in Deo* nominat) tanquam neceſſarium effectum cohæreat. unde porrò ſequitur, fideles per ſtudium ſanctitatis (quod hîc vocat *obſervare mandata Dei*, item *obſervare ſermonem Dei*, item *ambulare ſicut ille*, videlicet Chriſtus, *ambulavit*) tum apud alios conſequi laudem veritatis in profitenda religione Chriſtiana, tum apud animos ſuos de fidei ſuæ veritate confirmari, quod utrumque quum utile & expetendum ſit: ſequitur ſanctitati ſtudendum eſſe.

7 *Fratres, non novum mandatum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus, quod* videlicet *habuiſtis* jam inde *á principio. Vetus hoc mandatum, ſermo ille eſt quem audiſtis* jam inde *á principio.*

8 *E contrario mandatum novum ſcribo vobis; quod verum eſt in ipſo, ſit & in vobis: quia tenebræ prætereunt, & vera illa lux jam lucet.*

Præceptum modò tradit um de imitanda vita Chriſti ſeu de obſervandis mandatis Dei, amplificat prolepſi: qua occurrit opinioni novitatis. Negat igitur hoc præceptum eſſe novum: & contrà affirmat eſſe vetus: id quod confirmat teſtimonio conſcientiæ ipſorum, ut qui nôrint, ſe præceptum hoc habuiſſe & audiviſſe inde á principio ſuæ per Euangelium vocationis. Deinde v. 8. ſententiam hanc amplificat correctione, qua præceptum illud novum eſſe concedit quadam ratione, videlicet quatenus eo præcipiatur verus Dei cultus ex vera voluntatis divinæ cognitione promanans, qui priſtinis ignorantiæ & impietatis tenebris ſit oppoſitus. Atque hoc ſenſu Paulus veteri homini novum opponere ſolet.

9 *Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc.*

10 *Qui diligit fratrem ſuum, in luce manet, & offendiculum in eo non eſt:*

11 *Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quò eat: quia tenebræ oculos ipſius obcæcarunt.*

Redit ad præceptum ſanctitatis, illudq; revocat ad certam ſpeciem, videlicet dilectionem proximi. Cõmodé autem illud annectit ſententiæ modò allatæ de vera illa luce quæ jam lucet: admonens, cum luce illa cognitionis Dei in Chriſto cohærere dilectionem proximi, tanquam neceſſarium ſcilicet effectum, quod ab illa luce non poſſit divelli. Simul etiam phraſin illam, *In luce eſſe ſeu manere*, accommodat ad ſignificandum utilem quendã dilectionis fraternæ effectum: qui eſt, quòd ſcimus nos inoffenſo gradu ambulare in vitam æternam: quippe quum ambulemus in luce, non autem in tenebris. Atque ita ad dilectionem fraternam ab utili effectu hortatur: contraq; ab odio fratrum á contrario effectu noxio deterret.

12 *Scribo vobis, filioli, quoniam remiſſa ſunt vobis peccata propter nomen ejus.*

13 *Scribo vobis, patres, quoniam noſtis eum qui á principio eſt. Scribo vobis, adoleſcentes, quoniam Malum illum viciſtis. Scribo vobis, pueruli, quoniam noſtis Patrem.*

14 *Scripſi vobis, patres, quoniam noſtis eum qui eſt á principio. Scripſi vobis, adoleſcentes, quia fortes eſtis, & verbum Dei habitat in vobis, & illum Malum viciſtis.*

Hîc per quandam prolepſin opinionis aliquorum de opera hujus ſcriptionis ſupervacanea, exponit cauſas cur iſta ſcribat ac tam ſtudioſé ipſos ad dilectionem fratrum exhortetur. Ac primò exponit cauſam generalem & omnibus ad quos ſcribit, communem, videlicet beneficium divinum longe maximum gratuitæ remiſſionis peccatorum per Chriſtum. Deinde exponit cauſas quaſdam ſpeciales, & diverſis ætatibus accommodatas. Diſtribuit autẽ fideles ad quos ſcribit, ſecundùm ætates in tres claſſes: patres, adoleſcentes,

adoleſcentes,& puerulos: quibus ſingulis ſpecialem aliquam ſcriptionis ſuæ cauſam attribuit. Patribus,id eſt,ſenioribus: quoniam norint eum qui eſt á principio,id eſt Chriſtum,ex collatione cap. 1.v.1. Adoleſcentibus,id eſt mediæ ætatis hominibus: quoniam vicerint illum Malum, hoc eſt,diabolum: non cedendo ſcilicet illius tentationibus ſeu ſollicitationibus ad peccandum. Puerulis denique,id eſt,infimæ ætatis(quæ quidem inſtitutionis capax eſt)hominibus: quoniam nôrint Patrem,videlicet Deum,favore paterno ipſos complectentem in Chriſto. Quæ bona omnia quum illi habeant á Deo ex ſingulari gratia per operationem Spiritus ſancti (id quod Johannes tacitè innuit)innuit hoc ipſo æquum eſſe ut gratiç Deo referendæ causâ ſtudeant ſanctè vivere & proximos diligere. Cæterúm duo priora diſtributionis membra,v.14.repetit, & eorum alterum quod eſt de victoria adoleſcentum,pleniús exponit, indicando victoriæ illius cauſas procreantes duas: unam internam, robur ipſorum, videlicet animi quod ſuppeditat Spiritus ſanctus: alteram externam,videlicet verbum Dei,quod eſt gladius ille Spiritus quo diabolus abigitur. Hîc autem notandum, etſi cauſæ illæ certis ætatibus eleganti quadam ratione ab Apoſtolo ſunt accômodatæ: interim tamen ipſas quoque ſingulas omnibus illis ætatibus cómunes eſſe: ut patet. Elegantia autem illius ſpecialis accommodationis conſiſtit in hoc, quód ſenes delectantur commemoratione rerum antiquarum: adoleſcentes jactant ſuum robur: pueruli veró gaudent conſpectu patrum.

15 *Ne diligite mundum,neque ea quæ in mundo ſunt.ſi quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.*

16 *Quoniam quicquid eſt in mundo,* videlicet *cupiditas carnis,& libido oculorum,& faſtus vitæ,non eſt ex Patre,ſed ex mundo eſt.*

17 *Porró mundus præterit, & cupiditas ipſius: qui veró præſtat voluntatem Dei,manet in æternum.*

Antequam puerulos iterum alloquatur(ſicut bis allocutus fuit ſeniores & adoleſcentes) interſerit admonitionem de cavendo amore mundi.quæ admonitio licet revera ad omnes ætates, ratione quidem utentes, pertinet: tamen hîc (ut videtur)ſpecialiter ad ſeniores & adoleſcentes dirigitur: ut qui præ cæteris illâ opus habeant. Atque hæc eſt cauſa repetitionis interruptæ. etenim hac admonitione abſolutâ, ad inſtitutam repetitionem redibit,iterum ſcilicet alloquendo puerulos,infrá v.18. Porró iſta admonitio pertinet ad præceptum ſanctitatis. Dehortatur igitur ab amore mundi & rerum mundanarum, ut qui conſiſtere non queat cum amore Dei: quippe illi contrarius. Et hanc admonitionem illuſtrat enumeratione partium trimembri, v.16. ubi res quibus capiuntur homines mundo addicti & ſpiritu Dei non regeniti, ad tria ſumma genera revocat: concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum & faſtum vitæ. Per concupiſcentiam carnis videtur intelligere libidines & comeſſationes, quibus inprimis dediti ſunt adoleſcentes: unde hanc per ὑστέρον,id eſt,ordinis inverſionem, primo loco commemorat:quia proximé allocutus fuerat adoleſcentes. Per concupiſcentiam veró oculorum videtur intelligere voluptatem quam capiunt homines avari ex aſpectu ſuarum divitiarum atque opum: quod vitium familiare eſt ſenibus. Porró faſtus vitæ qui ex poſſeſſione bonorum corporis & externorum exiſtere ſolet, communis eſt adoleſcentibus & ſenibus: quippe quorum illi præcipué ſuperbiunt bonis corporis, ut pulchritudine, robore, agilitate: iſti veró bonis externis, nempe pecunia, agris, ædibus magnificis,veſtibus ſplendidis. Abiſtarum igitur rerum amore eos

dehortatur

dehortatur primúm (ut diximus) á contrario: quia ille amor non possit consistere cum amore Dei, qui scilicet omnino in ipsis esse debeat, quóve ipsi sese præditos esse videri velint. Deinde v. 17. addit argumentum ab effectu inutili: quia res illæ prætereant, id est, obnoxiæ sint interitui, ac proinde neminem beare possint. Contrá hortatur ad præstationem voluntatis Dei, id est, studium sanctitatis, ab effectu utili, videlicet beata immortalitate. non quód hanc sanctè vivendo quisquam promereatur: sed quód non nisi hac via ad eam possit perveniri.

18 *Pueruli, ultimum tempus adest: & sicut audivistis antichristum venturū, etiam nunc antichristi multi cœperunt esse: unde scimus ultimum tempus adesse.*

19 *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis: nā si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscū. sed* egressi sunt ex nobis, *ut patefieret non omnes esse ex nobis.*

20 *At vos unctionem habetis á Sancto illo* profectam, *& nostis omnia.*

21 *Non scripsi vobis* idcirco *quód veritatem ignoretis: sed quia eam nostis, & nullum mendacium ex veritate esse.*

22 *Quis est mendax nisi qui negat Jesum esse Christum? hic est antichristus, qui negat Patrem & Filium.*

23 *Quisquis negat Filium, nec Patrem habet.*

24 *Quod igitur audivistis á principio, in vobis maneat. si in vobis manserit quod audivistis á principio, vos quoque in Filio & Patre manebitis.*

25 *Hæc autem illa est promissio quam ipse pollicitus est nobis,* nempe *vitam illam æternam.*

26 *Hæc scripsi vobis de iis qui seducunt vos.*

27 *Sed ad vos quod attinet, unctio quam accepistis ab eo, manet in vobis, nec necesse habetis ut quisquam doceat vos: verùm sicut eadem unctio docet vos de omnibus, quæ & verax est, & non mendax: & sicut docuit vos, manebitis in eo.*

28 *Nunc igitur, filioli, manete in eo: ut quum patefactus fuerit, habeamus fiduciam, neque pudefiamus coram eo in ipsius adventu.*

29 *Si scitis eum justum esse: nostis, quicunque exercet justitiam, ex ipso natum esse.*

Hic jam ad interruptam distributionis repetitionem redit: & sicut suprā senes atque adolescentes secundó affatus fuit, ita nunc puerulos quoque secundó affatur. Non tamen repetit sententiam antea de illis pronuntiatam: sed novam admonitionem, illorum ætati singulariter accommodatam, affert: videlicet ut sibi caveant á seductoribus. Etenim puerilis ætas præ cæteris obnoxia est seductioni. Pertinet autem hæc admonitio ad doctrinam fidei. Monet igitur ut sibi caveant á seductoribus, quos vocat Antichristos, eó quód sub professione nominis Christiani Christo adversarentur, & insignis illius Antichristi qui tum adhuc erat venturus & in Ecclesia regnaturus, veluti prodromi seu præcursores essent. Ne autem mirum illis videatur, tales Antichristos jam tum in Ecclesia exortos esse, confirmat illud á testimonio Apostolorum in Ecclesia tum noto ac recepto, quód videlicet ultimo tempore venturus sit Antichristus. Deinde contra illorum seductorum apostasiam fidem eorum confirmat: partim negando, quód isti seductores & apostatæ ex ipsis, nempe vere-credentibus, fuerint, v. 19. partim affirmando, quód ipsi habeant unctionem (hoc est, Spiritum sanctum) á Sancto illo, id est, Christo: ac proinde nôrint omnia, quæ ad salutē scilicet necessaria sunt, v. 20. Tum v. 21. sententiam postremó allatam amplificat prolepsi, qua causam exponit hujus suæ scriptionis & admonitionis: nempe ut eos in veritatis notitia confirmet, non autem ut tanquam

plane

planè rudes doceat. Postea v.22. falsam atque Antichristianam seductorum istorum doctrinam commemorat, quód scilicet negent, Jesum esse Christum. id quod facere intelligendi sunt, tum qui personam Christi, tum qui ejusdem officium oppugnant. Ac personam quidem tum oppugnabat Cerinthus, negando Christi deitatem. quod idem non longé pósl fecerunt alii complures: ut Arius, Paulus Samosatenus & alii. Humanam verò naturam negavit Marcion & alii. Officium denique oppugnarunt Pelagiani & adhuc oppugnat insignis ille Antichristus, Papa seu Pontifex Romanus. Porró ex illo dogmate deducit consequens v.22. & 23. quód iidem negent & Patrem, id est, illum solum verum Deum: quippe quum extra Christum nullus sit verus Deus. Pater enim est in Filio, & Filius in Patre. Postea v.24. hortatur eos ad constantiam in fide doctrinæ de Christo quam acceperant ab Apostolis: & hanc hortationem v.25 confirmat ab effectu utili, quód vi illius doctrinæ ac fidei adepturi sint vitam æternam. Tandem admonitionem hanc v.26. epilogo & quasi epiphonemate concludit. Tum vers. 27. admonitionem eandem amplificat correctione, quód eâ non admodum necesse habeant, eó quód á Spiritu sancto edoceantur: eaque occasione eos consolatur á perseverantia in fide, quam eis promittit. Versu 28. annectit exhortationem qua eos ad perseverantiam in fide hortatur, addito argumento ab effectu utili, videlicet fiducia (id est, læta conscientia) in adventu Domini. Versu ult. annectit alteram exhortationem, qua eos hortatur ad studium justitiæ seu sanctitatis, argumento ab utili effectu, ut nimirum hinc patefiat, ipsos ex Deo natos esse: ut qui ingenium patris, qui justus est, referant.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 *Filioli mei.* τεκνία μου. Vox blandientis. Respicit autem non solúm ad spiritualem illam generationem, qua eos per Euangelium genuerat, gignendo in eis fidem: sed etiam ad ætatem suam, ut qui jam grandævus esset. *Advocatum.* παράκλητον. Eodem nomine appellatur & Spiritus sanctus Johan. 14. v. 16. & cap. 15. v. 26. *Apud Patrem.* πρὸς τὸν πατέρα. Confer Heb. 9. v. 24. Rom. 8. v. 34. *Justum.* δίκαιον. Ac proinde idoneum ad agendum apud Deum nostram causam. Confer Heb. 7. v. 26. 1. Pet. 3. v. 18.

2 *Propitiatio.* ἱλασμὸς. id est, victima expiatoria, θυσία ἱλαστική. Paulus eodem sensu illum vocat ἱλαστήριον, Rom. 3. v. 25. *Pro nobis.* Id est, ὑπὲρ ἡμῶν. *Pro totius mundi peccatis.* καὶ ὅλου τοῦ κόσμου. Pro, καὶ τῶν ὅλου τοῦ κόσμου. Scilicet ἁμαρτιῶν. Ellipsis articuli: ut percipitur ex antithesi. Nomine autem mundi per metonymiam synecdochicam intelligit non omnes totius mundi homines, sed tantúm omnes totius mundi credentes atque electos: quod ipsum liquet ex antithesi, ubi ait, *Nec pro nostris solúm*, pro *nostris*, scilicet qui in Christum credimus. scribit enim credens ad credentes.

3 *Nosse.* γινώσκομεν. Id est, agnoscere pro nostro servatore, ac proinde eum diligere: ex collatione versus quinti. Synecdoche membri Hebraica. nam apud Hebræos verba notitiæ interdum connotant aut προσπαθῆ significant consequentes affectus: ut psal. 1. v. ult. Deus novit iter piorum. Matt. 25. v. 12. Non novi vos.

5 *Nos in ipso esse.* ὅτι ἐν αὐτῷ ἐσμεν. Id est, nos communionem cum ipso habere: ut locutus est sup. cap. 1. v. 6. & 7. Idipsum mox v. 6. vocat, In eo manere seu habitare. quo modo etiã loquitur Christus Joh. 6. v. 56. & c. 15. v. 5.

6 *Ambu-*

6 *Ambulavit.* περιεπάτησεν. Id est, vixit. Trita metaphora.

7 *Jam inde á principio.* ἀπ' ἀρχῆς. Videlicet á principio vocationis vestræ per Euangelium.

8 *Mandatum novum.* ἐντολὴν καινὴν. Confer Johan. 13. v. 34. *Sit & in vobis.* καὶ ἐν ὑμῖν. Scil. ἔστω vel ἔχω. Id est, Sicut in Christo est vera atque sincera dilectio, similiter sit etiam in vobis. Atq; hactenus præceptum dilectionis est novum, quatenus requirit renovationem animi per Spiritum sanctum, ut possimus Christum veré imitari. *Tenebræ.* ἡ σκοτία. Id est, ignorantia Dei. *Lux.* τὸ φῶς. Id est, cognitio Dei. *Lucet.* φαίνει. Nempe in Euangelio.

12 *Filioli.* τεκνία. Ut suprá v. 1. Nondum enim incipit distributio in certas ætates: quæ continetur demum versu sequente. Sed ista appellatio cunctas ætates complectitur. *Propter nomen ejus.* διὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Nempe Christi. Id est, propter ipsum. Metonymia adjuncti. Sic Actor. 4. v. 12. Non est aliud nomen sub cælo &c. Item Actor. 10. v. 43. Remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus &c. Sic Johan. 3. v. 18. Quia non credidit in nomen unigeniti filii Dei.

13 *Eum qui á principio est.* τὸν ἀπ' ἀρχῆς. Scil. ὄντα. Id est, ab æterno: ut suprá v. 1. *Malum illum.* τὸν πονηρόν. seu, nequam illum. id est, diabolum. Sic Matth. 6. v. 13. Libera nos ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, ab illo nequam, videlicet diabolo.

14 *Fortes.* ἰσχυροί. Proprié, robusti, ut Matth. 12. v. 29.

15 *Mundum.* τὸν κόσμον. Id est, voluptates mundanas. quas mox per epexegesin synecdochicam vocat ea quæ in mundo sunt. *Non est charitas Patris in eo.* οὐκ ἔστιν ἡ ἀγάπη τοῦ πατρὸς ἐν αὐτῷ. Id est, Is non diligit Patrem, seu Deum.

16 *Quicquid est in mundo.* πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ. Scil. ὄν. Id est, omnes voluptates mundi. Synecdoche generis, ut paulo-anté. Videlicet *cupiditas.* ἡ ἐπιθυμία. Particulam *Videlicet* supplevi, ut perspicua redderetur syntaxis. nam deinceps per appositionem trium specierum declaratur, quænam sint illa quæ sunt in mundo.

18 *Sicut audivistis.* καθὼς ἠκούσατε. Fortasse respicit ad prædictiones Pauli: quæ extant Act. 20. v. 29. 30. 2. Thes. 2. v. 3. & deinceps. 1. Timoth. 4. v. 1. & deinceps.

19 *Egressi sunt.* ἐξῆλθον. Nempe antichristi illi. *Ut patefieret.* ἵνα φανερωθῶσιν &c. Confer 1. Cor. 11. v. 19.

20 *Unctionem.* χρίσμα. Id est, Spiritum sanctum, qui appellatur oleum exultationis. psal. 45. v. 7. Hebr. 1. v. 9. *A sancto illo.* ἀπὸ τοῦ ἁγίου. Videlicet Christo. Confer Johan. 1. v. 16. *Omnia.* πάντα. Nempe quæ ad salutem necessaria sunt.

21 *Nullum mendacium ex veritate esse.* ὅτι πᾶν ψεῦδος ἐκ τῆς ἀληθείας οὐκ ἔστι. Ad verb. Quód omne mendacium ex veritate non est. Hebraismus: qualis 2. Pet. 1. v. 20.

22 *Qui negat Jesum esse &c.* ὁ ἀρνούμενος ὅτι Ἰησοῦς οὐκ ἔστιν. Ad verb. Qui negat Jesum non esse. Gemina negatio ex consuetudine Græcorum.

23 *Nec patrem habet.* οὐδὲ τὸν πατέρα ἔχει. Confer dictú Christi Joh. 5. v. 23.

25 Nempe *vitæ illa æterna.* τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον. Appositio ἀναμφίλογος, orta ex verbo proxime-præcedente, ἐπηγγείλατο.

27 *Sed ad vos quod attinet.* καὶ ὑμεῖς. Ellipsis Hebraica. Nam statuere hic trajectionem verborum (quasi scilicet dicatur, καὶ τὸ χρίσμα ὃ ὑμεῖς ἐλάβετε) mihi quidem postulatum nimis magnum videtur. *Ut quis doceat vos.* ἵνα τις διδάσκῃ ὑμᾶς. Scilicet, tanquam prorsus rudes & ignaros Euangelii.

Euangelii. *De omnibus.* περὶ πάντων: Scil. ad salutem necessariis. *Manebitis.* μενεῖτε. Est promissio. Itaque verbum μενεῖτε positum est modo indicativo, ut in fine versus 24.

28 *Quum patefactus fuerit.* ὅταν φανερωθῇ. Scilicet, Christus in adventu suo ad judicium. *Fiduciam.* παῤῥησίαν. Hoc verbo in eâdem significatione passim utitur & Paulus. Significat autem proprié fiduciam in loquendo, quum quis dicit liberé quicquid sentit, non veritus offensionem ejus qui audit. Sed hic accipitur generaliùs.

OBSERVATIONES EX CAP. II.

Ex ℣.1,& 2. Euangelii scopus duplex hîc notandus est. Unus, ut consideratis maximis Dei erga nos per Christum beneficiis quæ in Euangelio nobis annuntiantur, studeamus Deo placere, fugiendo peccata & observando mandata ipsius. Alter, ut si ex infirmitate peccaverimus, non desperemus de gratia Dei: sed nos consolemur fide in Christum, tanquam peccatorum nostrorum expiatorem, nostrumq; advocatum apud Patrem. De priore scopo ait Paulus 1.Thess.4.℣.3. *Hæc est voluntas Dei* (videlicet patefacta in Euangelio) *sanctificatio vestra.* De posteriore ait Christus Johan.6.versu 40. *Hæc est voluntas ejus qui misit me, ut omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam.* Item Paulus Rom.15.v.4. *Quæ præscripta sunt, ad nostram doctrinam præscripta sunt: ut per patientiam & consolationem scripturarum, spem illam teneamus.* Utrumque verò conjungit Tit.2.℣. 11.12.13. ubi ait, *Illuxit enim* (videlicet per Euangelium) *gratia Dei salutifera, omnibus hominibus: erudiens nos, ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter & justè & piè vivamus in præsenti seculo: expectantes beatam illam spem & apparitionem gloriosam magni illius Dei ac servatoris nostri, Jesu Christi.* Hinc intelligitur, Pontificios calumniari, quum de doctoribus Euangelii dicunt, eos vetare bona opera.

Ex iisdem versibus. Quoties conscientia peccatorum nos angit, confugiamus ad nostrum advocatum Christum, qui in cælo pro nobis apud Patrem perpetuò intercedit, quatenus perpetua ostensione sui corporis in perpetua memoria conservat expiationem peccatorum nostrorum in illo corpore peractam, quando nimirum in terra illud obtulit Patri victimam pro nobis. Confer Rom.8.℣.33.& 34. Heb.9.℣.24. & deinceps.

Ex ℣.1. Quum solus Christus nobis ab Apostolo proponatur tanquam advocatus noster apud Deum: peccant igitur Pontificii qui fingunt alios advocatos (quos etiam idcircò invocandos tradunt) videlicet sanctos Angelos, & sanctos homines defunctos. Confer Rom.8.℣.32. 1.Timoth.2.℣.5.

Ex ℣.1. ex epithero *Justum.* Justum seu sanctum esse oportuit Christum, ut posset pro nobis fungi officio Advocati atque Pontificis. Secus enim ad Deum; ut qui sanctus, imò ipsa sanctitas est; neque accessum haberet ullum, neque locum apud eum permanendi. Confer Hebr.7.℣.26. *Talis nos decebat pontifex* &c. 1.Pet.1.v.18.& 19. *Redemti estis pretioso sanguine tanquam agni immaculati* &c. Item cap.3.℣.18. *Nam & Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis.* Atque hic est verus finis, cur oportuerit Christum mediatorem nostrum, esse justum seu sanctum: non autem ille quem nonnulli fingunt, ut scilicet justitia seu sanctitas ipsius nobis ad justitiam coram Deo imputetur. nam si hæc nobis imputaretur: nō fuisset

opus,

opus, Christum fieri victimam ad nos sanctificandum & justificandum.

Ex ℣.2. ex verbis, *Sed etiam pro totius mundi peccatis.* Cavendum ne his verbis abutamur contra doctrinam Scripturæ de fine seu scopo passionis Christi: quasi nimirum Christus propositum habuerit, passione sua expiare peccata omnium seu singulorum hominum qui unquam in mundo vixerunt, vivunt ac victuri sunt: Neque enim Johannes hîc loquitur de singulis mundi hominibus, sed tantúm de singulis Electis. loquitur enim tanquam credens ad credentes, quum ait, *Jesus Christus est propitiatio pro peccatis nostris:* nostris, inquam, qui in ipsum credimus: unde nimirum constat, nos esse ex numero Electorum. tum addit: *Nec pro nostris solúm, sed etiam pro totius mundi peccatis.* id est (ut ipsa comparatio arguit) pro peccatis credentium in toto mundo. Sané passio Christi, sufficiens fuit ad expiandum peccata non solúm Electorum, sed etiam Reproborum, atque adeó singulorum hominum totius mundi: sed non fuit voluntas Dei, ut pro singulis susciperetur ac perageretur, sed tantum pro Electis. id quod clarissimé liquet ex eo, quód Christus passionem illam suam jamjam aditurus, seséque Patri in cruce victimam expiatoriam oblaturus, diserté oravit pro solis sibi datis á Patre, id est, Electis: mundo (quo nomine illic reprobi intelliguntur) excluso. Vide Joh. 17. v. 9. & 20. Vide item (si placet) observationes meas in 1. Tim. 2. v. 6.

Ex v. 3. 4. 5. & 6. Vera cognitio ac dilectio Dei, studium observandi mandata ipsius semper conjunctum habet. Quare in quibus studium hoc non est, illi falsó de cognitione ac dilectione Dei gloriantur.

Ex v. 7. Præceptum de diligendo proximo eó magis commendatum nobis esse debet, quód est vetus: videlicet jam olim traditum per Mosen, ac postea in principio prædicationis Euangelii per Christum ipsum repetitum atque renovatum. Vide Levit. 19. v. 18. Joh. 13. v. 34. & 35.

Ex v. 8. Qui veram cum Christo communionem habent, in illis accenditur vera lux cognitionis Dei ac proinde dilectionis tum Dei tum proximi, pulsis tenebris ignorantiæ.

Ex v. 9. 10. & 11. Qui proximum odit, falsó gloriatur de luce cognitionis Dei. Etenim qui Deum veré cognoscit, is eundem diligit: qui autem eum diligit, is propter ipsum diligit quoque proximum: quia scilicet ipse mandavit.

Ex v. 10. & 11. Ad diligendum proximum moveri quoque debemus nostra ipsorum utilitate: ut nimirum ambulantes in luce cognitionis Dei, perveniamus ad lucem illam gloriæ cælestis & beatæ immortalitatis. Etenim is demum in luce cognitionis Dei ambulat, qui proximum diligit: qui autem illum odit, is ambulat in tenebris ignorantiæ, ac proinde ad exitium pergit.

Ex v. 12. 13. & 14. Ad proximum diligendum moveri debemus consideratione maximorum Dei erga nos beneficiorum: ut quód peccata nobis remisit propter Christum, quód nos donavit cognitione Christi ac sui ipsius, quód suppeditavit nobis vires ad vincendum diabolum.

Ex v. 15. & 16. Falluntur qui putant, se simul posse diligere mundum & Deum: quia voluptates mundanæ Deo adversantur. Sic Matth. 6. v. 24. Non potestis Deo servire & mammonæ. Rom. 12. v. 22. Ne configurate vos seculo isti.

Ex v. 16. Deus non est author peccati.

Ex v. 15. 16. & 17. Ab amore mundi deterreri debemus, tum quód voluptates

luptates mundanæ Deo adversantur, tum quód non afferunt veram beatitudinem: quum res mundanæ, fluxæ & caducæ sint. quin potiús afferunt æternum exitium illis qui sese istis rebus addicunt atque immergunt. Confer Matth. 13.v.22.

Ex v.17. Qui beatam immortalitatem desiderat, in præstanda Dei voluntate seduló elaboret. Etsi enim illam hoc studio non promeremur: tamen non nisi hac via ad eam pervenire licet. Voluntas autem Dei est, tum ut credamus in Christum. Joh.6.v.40. tum ut studeamus sanctificationi nostri, 1.Thess.4.v.3.

Ex v.18. & 22. Ex verbis Johannis colligitur, Antichristum quem Apostoli venturum prædixerunt, non esse hominem quempiam unicum: sed multitudinem quandam pseudodoctorum in Ecclesia, qui sub professione doctrinæ Christianæ doctrinam de Christo veram ac salutarem sint negaturi. Etenim Johannes hoc loco talem syllogismum facit.

Quum venturus est Antichristus, erit tempus ultimum.

At nunc multi Antichristi venerunt.

Ergo nunc est tempus ultimum.

Hic syllogismus nihil concluderet, nisi nomen illud, *Antichristus*, in propositione, notaret multitudinem Antichristorum. Esset enim τὸ μέσον δίπλοον, medium duplex seu argumentum geminum: unde existerent quatuor termini, ex quibus nihil concluditur. Præterea idem colligitur ex doctrina Pauli, si inter se conferantur duo hæc loca, 2.Thess.2.v.2. ac deinceps, & 1.Tim.4.v 1. ac deinceps. Nam quum in utroque loco de Antichristi adventu admoneat, tamen in priore loco de eo loquitur numero singulari, appellans eum hominem peccati, filium perditionis &c. at in posteriore loco utitur numero plurali, appellans spiritus deceptores seu impostores (πλάνους) & falsiloquos. Interim tamen tenendum, numero singulari notari aliquod regnum in quo subinde unus quispiam præsideat: cui regno viam straverunt Antichristi illi seu hæretici qui jam tum, temporibus Apostolorum, extiterunt. id quod tum Johannes significat hoc loco, quum ait, multos Antichristos jam tunc exortos esse: & Paulus 2.Thess.2.v.7. ubi dicit, mysterium illud iniquitatis jam tum ἐνεργεῖσθαι, id est, in aliquibus operari seseque exserere. Quæ quum ita sint: falsó igitur Pontificii tradunt, Antichristum fore hominem unicum & singularem, é tribu Dan oriundum & circumcidendum: qui á Judæis pro Messia susceptus, tribus duntaxat annis ac sex mensibus Hierosolymæ sit regnaturus ac sævisturus, & quem tandem in monte Oliveti ascensum in cælum parantem, Christus sit interfecturus.

Ex v.19. ex verbis, *Ex nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis.* Calumniantur hodie qui sinceros atque orthodoxos Euangelii doctores Arianismi insimulant, propterea quód ex illis egressi sunt quidam Ariani. nam pari ratione insimulari possent Apostoli illarum hæresium quas tempore ipsorum spargebant Cerinthus & alii. at hanc consequentiam negat Johannes dum fatetur quidem istos ex Apostolis aliisque sinceris Euangelii doctoribus egressos; at interim negat, fuisse ex ipsis: id est, ipsorum doctrinam sincerè amplexos fuisse.

Ex eod.versu, ex verbis: *Nam si fuissent ex nobis* &c. Qui verè sunt ex numero credentium, illi cum credentibus manent, id est, fidem non amittunt; nec á fidei professione deficiunt, saltem extra metum supplicii & finaliter. Etenim Petrus metu supplicii negavit quidem Christum: sed

interim

interim tamen fides ejus non defecit, nec ille in ista negatione diu perstitit: quin potiús statim eum pœnituit; & postea Christum constanter, etiam in supplicio capitis, confessus fuit.

Ex eod. versu, ex verbis: *Sed hoc factum est* &c. In Ecclesia visibili in terra, semper vere-credentibus hypocritæ admixti sunt. quapropter quum illi á professione fidei deficiunt, non est quód ea re magnopere perturbemur: quasi nimirum eidem periculo expositi simus. nam vere-credentes sustentantur gratiâ Dei, ut & fidem retineant, nec temeré ab illius professione deficiant, seducti scilicet in errorem exitialem. nam id fieri non posse, Christus expressé pronuntiavit Matth. 24. ℣. 24.

Ex ℣. 20. Vere-credentes habent Spiritum sanctum, & illius virtute in fide perseverant.

Ex eod. versu. Spiritum sanctum habent credentes á Christo, tanquam membra á capite, & tanquam palmites á vite. Idem testatur Apostolus noster Euangelii sui c. 1. ℣. 16. inquiens, *Et ex plenitudine ipsius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.*

Ex eod. versu. Unctio Sacerdotum ac Regum in vetere Testamento fuit symbolum donorum Spiritus sancti. hæc enim causa est, cur Spiritus sanctus nominetur χρίσμα, unctio seu potiús unguentum.

Ex eod. versu. Blasphemé accipiunt nomen Dei in vanum, qui proximo malum imprecantur per chrisma Dei: quippe quum chrisma Dei sit Spiritus sanctus. Caveamus igitur á tanta blasphemia, & alios ab ea dehortemur.

Ex eod. versu, ex verbis: *Et nostis omnia.* Vere-credentes nôrunt omnia quæ ad salutem scitu necessaria sunt. quæ quidem notitia sufficere illis debet, etiamsi multa alia ignorent. unde ortum pium illud distichon:

Si Christum bene scis, satis est: si cætera nescis.
Si Christum nescis, nihil est: si cætera discis.

Ex ℣. 21. Etiam illi qui veritatem cognoverunt, doctorum admonitiones audire debent; ut nimirum in veritate cõfirmentur. Sic Paulus Phil. 3. ℣. 1. *Eadem scribere vobis, me quidem haud piget: vobis autem tutum est.* Peccant igitur qui deserunt congregationes Ecclesiasticas, eó quod videntur sibi veritatem satis cognovisse. At interim necesse habent confirmari: ac præterea infirmioribus præire debent bono exemplo. unde Paulus Hebr. 10. versu 25. *Non deserentes aggregationem nostri mutuam* &c.

Ex ℣. 22. Quicunq; negant, Jesum esse Christum, sunt antichristi: ac proinde cavendi. Negant autem omnes illi qui vel de persona, vel de officio Christi doctrinam verbo Dei contrariam tradunt ac propugnant: ut hodie faciunt Papistæ, Anabaptistæ, Schwencfeldiani, Ubiquitarii, Ariani.

Ex ℣. 23. Falsó gloriantur Judæi, Turcæ & Ariani, se colere verum illum Deum, conditorem mundi. nam ille est pater Christi. at hunc ipsi negant. quare simul negant & Patrem. Huc pertinet illud Christi Johan. 5. ℣. 23. *Qui non honorat Filium, non honorat Patrem qui misit eum.* Item illud Johan. 17 ℣. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.*

Ex ℣. 24. & 25. In doctrina de Christo quæ inde á principio Euangelii in Ecclesia sonuit, constanter perseverandum est: quia sic demum cum vero Deo conjuncti permanebimus, & vitâ æternâ ab illo promissâ fruemur.

Ex

Ex v.27.ex verbis, *Unctio docet vos.* Spiritus sanctus efficax est per prædicationem Euangelii, illuminando mentes Electorum cognitione veritatis salvificæ. Quare ministerium verbi in pretio habendum est. Confer Rom. 1.v.16.& cap.10.v.17. 1.Cor.3.v.5.&c.

Ex eod.versu. Spiritus sanctus in credentibus manens, docet eos certóque eis persuadet, quód & ipsi mansuri sint in Christo. unde sequitur, eos fidem nunquam amissuros. Huc facit illud Pauli Rom.8.v.16.& 17. *Ipse Spiritus testatur unâ cum spiritu nostro, nos esse filios Dei. quod si filii, etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Ex v.28.Qui constanter manserint in Christo (id quod fit per veram fidem) habebunt fiduciam, neque pudefiant coram eo in ipsius adventu. Quare Deum rogemus ut nos in fide confirmet.

Ex v.26.Qui veré est filius Dei, renatus scilicet per Spiritum sanctum, is justitiæ dat operam, consideratâ naturâ Dei sanctâ & justâ. Huc pertinet illud, Sancti estote: quoniam ego sanctus sum, Lev.19.v.2.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Pergit fideles exhortari partim in genere ad studium sanctitatis, partim in specie ad dilectionem fratrum.

V 1 *Idete qualem charitatem dedit nobis Pater,* nempe *ut filii Dei vocemur. propterea mundus non novit nos, quia non novit eum.*

2 *Charissimi, nunc filii Dei sumus, sed nondum patefactum est quod erimus. scimus autem fore ut quum patefactum fuerit, similes ei simus: quoniam videbimus eum sicuti est.*

3 *Et quisquis habet hanc spem in eo sitam, purificat se, sicut & ille purus est.*

4 *Quisquis dat operam peccato, etiam operam dat discrepantiæ á Lege: nam peccatum est ipsa discrepantia á Lege.*

5 *Et scitis illum patefactum esse ut peccata nostra tolleret. Et peccatum in eo non est.*

6 *Quisquis* igitur *in eo manet, non peccat: quisquis* verò *peccat, non vidit eum, neque novit eum.*

7 *Filioli, nemo vos seducat: qui dat operam justitiæ, justus est; sicut ille justus est.*

8 *Qui dat operam peccato, ex diabolo est: quoniam â principio diabolus peccat. Ad hoc patefactus est Filius Dei ut dissolvat opera diaboli.*

9 *Quisquis natus est ex Deo, peccato non dat operam: quoniam semen ipsius in eo manet: nec potest peccare, eo quod ex Deo natus est.*

10 *Per hoc manifesti sunt filii Dei & filii diaboli. quisquis non dat operam justitiæ, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum.*

VErsu 1.argumentum hortationis proximé allatum amplificat, admonens rem maximi momenti esse, ex Deo esse natum, ac proinde nominari filium Dei. Deinde sententiam hanc amplificat prolepsi, qua occurrit judicio tum mundi seu infidelium, tum ipsorum fidelium. Ac

judicium quidem mundi significat contemnendum esse, ut quod oriatur ex ignorantia Dei, in fine versus primi. Judicio verò fidelium, quod faciunt ex experientia miseriatum quibus in hac vita sunt subjecti, opponit v. 2. felicitatem & gloriam certò ipsis eventuram post hanc vitam. Felicitatem autem illam definit similitudine cum Deo & visione perfecta Dei. Versu 3. ex spe illius felicitatis cujus mentionem proximè fecerat, deducit exhortationem ad studium sanctitatis: proposito exemplo Dei, (sive patris, sive filii) cujus nimirum consuetudine suo tempore in cælo sint fruituri. Versu 4. hortatur ad fugam peccati ab adjuncta turpitudine, quæ est in Legis divinæ transgressione. quasi dicat:

Qui legem Dei transgreditur, rem turpem & Deo exosam facit.

At qui peccatum facit, (id est peccato indulget aut operam dat) is Legem Dei transgreditur.

Ergo qui peccatum facit, rem turpem & Deo exosam facit.

Assumtionem confirmat á peccati definitione: quippe quod nihil aliud sit quám ἡ ἀνομία, id est, ipsa Legis transgressio seu á Lege discrepantia.

Versu 5. & 6. alia duo argumenta affert: quorum prius sumtum est á fine seu scopo primi adventus Christi, quem dicit patefactum esse ut peccata nostra tolleret, videlicet tum expiando illa sacrificio suæ mortis, tum ingenerando nobis illorum odium ac fugam per Spiritũ sanctum. Ex quorũ illo percipitur, quám detestanda res sit peccatũ; ut quod non potuerit aliter expiari nisi morte filii Dei: ex isto autẽ intelligitur, quám perverse agãt qui sese Christianos ac proinde Spiritu Christi præditos profitentur, nec tamen peccatum oderunt aut fugiunt. Posterius argumentum sumtum est á communione fidelium cum Christo. Illud sic concluditur:

Quisquis in Christo manet, non peccat: quia in Christo peccatum non est.

At omnes fideles in Christo manent.

Nulli ergo fideles peccant.

Prosyllogismus propositionis præcedit in fine versus quinti. Sequitur propositio ipsa, amplificata antithesi, v. 6. Versu 7. occurrit falsæ opinioni, quasi quis possit esse justus, etsi non det operam justitiæ. Apostolus monet ut ab isto errore sibi caveant; & contrarium demonstrat exemplo Christi. Versu 8. affert aliud argumentum, quod sumtum est á peccati authore diabolo: á cujus communione qui abhorrent (abhorrent autem omnes fideles) abhorrere quoque debent ab operibus illius. Hoc argumento recitato, repetit illud paulo antè allatum, á fine primi adventus Christi: cui repetitioni occasionem præbuit nomen diaboli, cujus opera sunt peccata, propter quæ tollenda ac destruenda Christus advenit. Versu 9. aliud affert argumentum, quod sumtum est á causa procreante sanctitatis, videlicet regeneratione fidelium per Spiritum sanctum. Hoc argumentum repetit, vers. 10. amplificatum á contrario: ac simul annectit exhortationem specialem, qua hortatur ad dilectionem fratrum.

11 *Quoniam hæc est denuntiatio quam audivistis á principio, ut diligamus alii alios.*

12 *Non sicut Cain, qui ex illo Malo erat, & jugulavit fratrem suum. Cujus autẽ rei gratiá jugulavit eum? quia opera ejus mala erant, fratris autẽ ejus justa.*

13 *Ne miremini fratres mei, si odit vos mundus.*

14 Nos

14 *Nos scimus nos translatos esse ex morte ad vitam, quia diligimus fratres: qui non diligit fratrem, manet in morte.*

15 *Quisquis odit fratrem suum, homicida est: & nostis nullum homicidam habere vitam æternam in se manentem.*

16 *Per hoc cognovimus charitatem, quód ille animam suam pro nobis posuit: nos igitur debemus pro fratribus animas ponere.*

17 *Qui verò habuerit mundanas facultates, & viderit fratrem suum egentẽ, & clauserit viscera sua* avertens se *ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?*

18 *Filioli mei, ne diligamus verbo neq; linguâ, sed opere & veritate.*

19 *Et per hoc cognoscimus nos ex veritate esse, & coram ipso secura reddemus corda nostra.*

20 *Nam si nos condemnet cor nostrum, nempe potentior est Deus corde nostro, & novit omnia.*

21 *Charissimi, si cor nostrum nos non condemnet, fiduciam habemus apud Deum.*

22 *Et quicquid petierimus accipimus ab eo, quoniam mandata ejus servamus, & ea quæ ipsi placent facimus.*

23 *Hoc est igitur mandatum ut credamus nomini Filii ejus Jesu Christi, & diligamus alii alios, sicut dedit mandatum nobis.*

24 *Nam qui servat ejus mandata, in eo habitat, & ipse in eo: & per hoc novimus eum habitare in nobis*, nempe *ex Spiritu quem nobis dedit.*

Præceptum dilectionis modo propositum, deinceps confirmat argumentis. quorum primum sumtum est á mandato Dei: quod amplificat á circumstantia temporis, dicens, quód audiverint illud á principio. Vers. 12. præceptum propositum amplificat contrario exemplo Cajini: cujus fratricidium amplificat expositione causæ: quam ostendit fuisse hypocrisin ipsius & invidiam erga fratrem. Tum v. 13. ex isto exemplo corollarium deducit ad consolandum pios contra odium mundi: quippe quód hoc non sit aliquid novum aut insolitum. Vers. 14. aliud argumentum affert, quod sumtum est ab utili effectu, videlicet tranquillitate animi ex conscientia felicis status in quem fideles translati sunt, nempe ex morte in vitam. Hoc argumentum amplificat á contrario: quæ ipsa amplificatio tertium argumentum continet, quod sumtum est ab effectu pernicioso. Caterúm istud argumentum mox v. 15. confirmat argumento generis, videlicet homicidii, cujus speciem statuit odium fratris. Concludit autem integro syllogismo, ad hunc modum.

Nullus homicida habet vitã æternã in se manentẽ, sed manet in morte.
Quisquis odit fratrem suum, homicida est.
Ergo qui odit fratrem, non habet vitam æternam in se manentem, sed manet in morte.

Conclusio præcedit in fine versus 14. Assumtio sequitur in principio v. 15 Cui annectitur conclusio in eodem versu. Est autem hic notandum, Johannem hæc duo accipere pro uno atque eodem: *Non diligere fratrem*: &, *Odisse fratrem*: ut liquet ex collatione conclusionis cum assumtione. Versu 16. monet, quousque se extendere debeat charitas, nempe eó usque ut parati simus etiam mori pro fratribus: id quod exemplo Christi confirmat. Versu 17. per corollarium, mendacii arguit hypocritas, qui jactant charitatem Dei: quum interim destituti sint charitate proximi: quippe cui egenti nihil de suis copiis suppeditant, ne dum ut parati sint vitam pro illo relinquere. Versu 18. ex præcedente reprehensione hypocritarum deducit

regulam charitatis: ut scilicet non contenti professione verborum, charitatem erga proximum ipsis factis demonstremus. Versu 19. & deinceps tria argumenta affert ab effectis: quorum primum est, quód ex charitate intelligimus, nos veré esse Dei filios. hoc argumentum superioribus annectit occasione vocabuli *veritatis*, quo proximé usus fuerat. hîc autem illud repetit per ἀντανάκλασιν, in diversa significatione: intelligens scilicet ipsum Deum: id quod percipitur tum ex ipsa phrasi, tum ex sequente pronomine αὐτοῦ. Secundum effectum est pacata conscientia seu fiducia apud Deum, quatenus nimirum ex charitate colligimus, nos vera fide esse præditos ac proinde Deo placere. Hanc fiduciam & tranquillitatem conscientia v. 20. commendat á contraria cordis trepidatione, qua nimirum inquietantur ii qui sibi malé conscii sunt. Porró hanc ipsam trepidationem qua nos condemnat cor nostrum, amplificat collatione majoris, videlicet judicii Dei: quod ipsum amplificat ab adjuncta illius omniscientia. Versu 21. repetit secundum effectum: eique mox v. 22. tertium annectit, quod ipsum proximé ex fiducia illa manat: videlicet impetratio bonorum quæ á Deo petimus. Versu 23. exhortationem ipsam repetit, itemque primum argumentum supra allatum. Inserit hîc exhortationem alteram, qua hortatur ad constantiam & profectum in fide. Versu ultimo, annectit aliud argumentum ab effectu, videlicet notitiâ communionis nostræ cum Deo: quippe qui nobis dedit ex suo spiritu: id quod ex studio sanctitatis quod ille nobis ingenerat, percipimus.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 *Qualem*, ποταπὴν. Qualem & quantam. Sic Matth 8. vers. 27. ποταπός ἐστιν οὗτος; Qualis & quantus est iste? *Charitatem*. ἀγάπην. Id est, ἐξουσίαν, potestatem, ut loquitur Johan. 1. vers. 12. Metonymia efficientis. *Mundus*. ὁ κόσμος. Id est, impii. *Non novit nos*. οὐ γινώσκει ἡμᾶς. Id est, non agnoscit nos pro filiis Dei, ac proinde nec amat nos: sed potiús odit.

2 *Quod erimus*. τί ἐσόμεθα. Id est, gloria qua ornabimur. *Quum patefactum fuerit*. ἐὰν φανερωθῇ. Scilicet, id quod erimus: ex membro antecedente. Quanquam potest quoque exponi: Quum ipse patefactus fuerit, videlicet Christus, ex collatione versus 28. capitis præcedentis. *Similes ei erimus*. ὅμοιοι αὐτῷ ἐσόμεθα. Confer Philip. 3. v. ult. *Videbimus eum*. ὀψόμεθα αὐτόν. Confer Joh. 17. v. 24.

4 *Quisquis dat operam peccato*. πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν. Ad verb. Omnis quid facit peccatum. Significatur autem hac phrasi non simplex actio, sed cum studio & voluptate conjuncta. *Etiam operam dat discrepantiæ á Lege*. καὶ τὴν ἀνομίαν ποιεῖ: Ανομία sonat privationem legis, hoc est, conformitatis cum Lege: quæ conformitas si naturæ & vitæ nostræ insit, justi sumus: sin absit, injusti & peccatores. *Ipsa discrepantia à Lege*. ἡ ἀνομία. Per pronomen *Ipsa* puto recte exprimi vim articuli ἡ. ut quum Græci dicunt, ἡ ἡδονὴ ἐστὶ τὸ ἀγαθὸν, Voluptas est ipsum bonum: hoc est, Voluptas nihil aliud est quám bonum. Sic dicitur hoc loco, Peccatum nihil aliud est quám discrepantia á Lege.

5 *Patefactum esse*. ἐφανερώθη. Scil. in carne: ut suprá cap. 1. v. 2. *Tolleret*. ἄρῃ. Nempe sacrificio suæ mortis.

6 *Non peccat*. οὐχ ἁμαρτάνει. Id est, non dat operam peccato: ex collatione versus quarti. *Non vidit eum*. οὐχ ἑώρακεν αὐτὸν. Id est, non cognivit eum:

eum: sicut ipse mox exponit. Sic Joh. 1. v. 18.

8 *A principio.* ἀπ' ἀρχῆς. Scil. mundi. *Peccat.* ἁμαρτάνει. quasi dicat, indesinenter & continuo actu. *Ut dissolvat opera diaboli.* ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου. Id est, ut tollat peccata nostra: sicut dixit supra v. 5.

9 *Semen ipsius.* σπέρμα αὐτοῦ. Id est, Spiritus sanctus cujus vi regenitus est. Metaphora. *Nec potest peccare.* καὶ οὐ δύναται ἁμαρτάνειν. Id est, peccato operam dare: ut suprà v. 6.

12 *Non sicut Cain.* οὐ καθὼς Κάϊν. Id est, non autem agamus, sicut Cain egit. *Ex illo malo.* ἐκ τοῦ πονηροῦ. Id est, ex diabolo. *Jugulavit.* ἔσφαξε. Si propria verbi significatio retineatur, statuendum erit, quod Cajin fratrem occiderit ferro in jugulum adacto. Et credibile est, ferrea instrumenta jam tum inventa fuisse; ut sine quibus terra, ex quo maledicta fuit, non potuit coli. Nam quód postea demum de Thubal Cajino narratur, quód acuerit (id est, erudiverit) omnem fabrum æratium & ferrarium, de artis jam inventæ excultione intelligendum videtur. Potest tamen istud verbum per synecdochen speciei accipi generaliter: sicut ipse Moses generali verbo occidendi seu interficiendi usus est.

13 *Ne miremini.* μὴ θαυμάζετε. Id est, ne offendimini tanquam re absurda. Synecdoche metonymica. *Mundus.* ὁ κόσμος. Id est, impii seu non renati per Spiritum sanctum.

14 *Transivimus, &c.* μεταβεβήκαμεν, &c. Scilicet, per fidem in Christum, teste ipso Christo Johan. 5. vers. 24. *Quia diligimus, &c.* ὅτι ἀγαπῶμεν, &c. Non indicatur meritum dilectionis: sed effectum fidei, per quam solam ex morte in vitam transimus: ut modó demonstratum est. *Manet in morte.* μένει ἐν τῷ θανάτῳ. Id est, obnoxius morti æternæ seu iræ Dei, quia scilicet caret vera fide in Christum: qua si præditus esset, præditus quoque esset charitate.

15 *Nullum homicidam habere, &c.* ὅτι πᾶς ἀνθρωποκτόνος οὐκ ἔχει. &c. Ad verb. quód omnis homicida non habet. Hebraïs. qualis ad Rom. 3. v. 20.

16 *Charitatem.* τὴν ἀγάπην. Id est, vim charitatis, seu quænam sit vera charitas. *Ille.* ἐκεῖνος. Christus. *Animam suam pro nobis posuit.* ὑπὲρ ἡμῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἔθηκε. Id est, pro nobis mortuus est. Periphrasis. Sic Johan. 10. vers. 15. Similis est phrasis, Quærere animam alicujus: id est, quærere aliquem ad necem. sicut Elias conquerebatur accidere sibi 1. Reg. 19. v. 10. & 14. & angelus monuit Josephum, mortuos esse qui quærebant animam pueruli. Matth. 2. v. 20.

17 *Mundanas facultates.* τὸν βίον τοῦ κόσμου. Ad verb. Victum mundi: id est, cui acquirendo mundus est deditus. Confer Jacob 2. v. 15. *Fratrem suum.* τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. Id est, proximum, maximé domesticum fidei. *Et clauserit viscera sua* avertens se *ab eo.* καὶ κλείσῃ τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ ἀπ' αὐτοῦ. Ante ἀπ' αὐτοῦ subaudio ἀποστρεφόμενος. Quod genus ellipsis Hebræis usitatum est. Porró claudere viscera, phrasi Hebræa, est cohibere affectum misericordiæ: quippe in quo affectu viscera dilatantur seseque explicant & quasi aperiunt. Sic de Josepho dicitur, quód æstuaverint viscera ipsius erga fratrem suum, Gen. 43. v. 30. Similiter de alterâ mulierum litigantium coram Solomone dicitur, quód æstuaverint viscera ejus erga filium suum, 1. Reg. 3. v. 26. Et de Christo commiserante turbam dicitur, ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτοῖς, Matt. 9. 36. Et alibi passim istud verbum de Christo prædicatur. Et Zacharias pater Johannis Baptistæ prædicat σπλάγχνα ἐλέους θεοῦ, id est, viscera misericordiæ Dei, Luc. 1. v. 78. *Quomodo, &c.* πῶς, &c. Quasi dicat,

Nullo modo id fieri potest, ut talis diligat Deum: quicquid etiam verbis profiteatur & jactet.

18 *Ne diligamus verbo neque linguâ. μὴ ἀγαπῶμεν λόγῳ μηδὲ γλώσσῃ.* Scil. solum. Vult dicere, non esse satis ad veram charitatem, ut humaniter tantùm proximum alloquamur, & verbis charitatem præ nobis feramus: sed charitatem ipsis factis, hoc est beneficiis, esse demonstrandam.

19 *Ex veritate. ἐκ τῆς ἀληθείας.* Id est, ex Deo: ut locutus est suprà v.10. & loquetur infrà cap.4.v.4. & 6. Ἀνταπόκλασις est in vocabulo veritatis, diversa significatione repetito. Hæc autem expositio confirmatur ex eo quod continenter subjicitur, *Et coram ipso* (scil. Deo) *secura reddemus corda nostra. Secura reddemus. πείσομεν.* Ad verb. Persuadebimus. Metonymia efficientis.

20 *Si nos condemnet cor nostrum, potentior est Deus, &c. ἐὰν καταγινώσκῃ ἡμῶν ἡ καρδία ὅτι μείζων ἐστὶν ὁ θεὸς, &c.* Conjunctio ὅτι aut posita est pro δηλοὐτι: aut scripta pro ἔτι, id est, adhuc. hanc enim particulam Græci comparativis solent præponere. Est autem in istius connexi consequente synecdoche metonymica. nam ex causa simul significatur effectum, nempe ex argumẽto conclusio. Integra enim ratiocinatio est hæc: Si nos condemnet cor nostrum, multo magis condemnabit nos Deus: quia Deus est potentior corde nostro. Simile exemplum occurret infrà cap.5.v.9. *Potentior. μείζων.* Ad verb. major. Sic Johan.10.v.29. *Pater meus major omnibus est*: id est, potentior.

21 *Fiduciam. παῤῥησίαν.* Confer Heb.4.v.6.

22 *Ea quæ ipsi placent. τὰ ἀρεστὰ ἐνώπιον αὐτοῦ.* Ad verb. Ea quæ placẽt coram ipso. Hebraismus. qualis Matth.11.v.26. ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου: quia ita fuit beneplacitũ corã te: id est, quia ita placuit tibi.

23 *Ut credamus, ἵνα πιστεύσωμεν.* Supple, *quo mandatur.* ut integra oratio sit: Hoc est igitur eius mandatum, nempe quo mandatur ut credamus, &c. *Nomini. τῷ ὀνόματι.* Vide suprà cap.2.v.12.

24 *Quem. ὃ.* Pro, ἐκείνου ὅς. Græcismus.

OBSERVATIONES EX CAP. III.

Ex V.1.2.& 3. Contra perversum judicium mundi, habentis nos pro hominibus vilissimis & nequissimis, ac proinde hostiliter nos persequẽtis: consolari nos debemus tum cõsideratione summæ dignitatis quam Deus ipse nobis contulit, adoptando nos sibi in filios ac regenerando per Spiritum suum: tum spe gloriæ ac beatitudinis cælestis, quã certò nobis communicaturus est post hanc vitam. Confer Matth.19.v.28. & 29. Johan.14. v.3.& cap.16.v.20.21.22.& cap.17.v.24. Roman.8.v.16.& deinceps. 2.Thess. 2.v.4. & deinceps.

Ex V.3. & deinceps notanda sunt aliquot argumenta, quibus moveri debemus ad studiũ sanctitatis & fugam peccati. nempe 1. exemplum Dei. Deus enim, pater noster, purus & sanctus est, v.3. 2. turpitudo peccati: quippe quod est trãsgressio Legis Dei, v.4. 3. quia Christus vênit ut peccata nostra tolleret. Sustulit autẽ, dum ea expiavit morte sua: unde percipitur quám detestanda res sit peccatũ, quód nõ potuerit aliter expiari nisi morte filii Dei. Deinde tollit adhuc quotidie per renovationem Spiritus sancti: unde intelligitur quãm perversé agant qui sese Christianos ac proinde Spiritu sancto præditos profitentur, nec tamen peccatũ oderunt aut fugiunt, vitæve novitati studẽt: v.5.& 8. 4. quia fideles manent in Christo:

in

in quo peccatū non est. quare qui peccato indulgent, falsō jactant sibi ve persuadent, se in Christo manere: v.6. 5. quia qui indulget operámve dat peccato, ex diabolo est: á cujus communione omnes pii meritó abhorrent: v.8. 6. quia qui peccato indulgent, falsō se jactant filios Dei: quum in filiis Dei maneat Spiritus sanctus, veluti semen, cujus virtute á peccato abhorrent, & justitiæ studio delectantur: v.9.& 10.

Ex v.4. Notanda est peccati definitio, quōd nimirū sit ἡ ἀνομία, id est, nihil aliud quám discrepantia á Lege. Ubi primó notanda vis articuli, notantis ὅπερ αὐτὸ: id est, monentis, eandē prorsus rem significari per enuntiati consequens seu prædicatum, quæ significatur per ipsius antecedens sive subjectum. ut quum Græci dicunt, ἡ ἡδονὴ ἐστὶ τὸ ἀγαθὸν, Voluptas est ipsum bonum: significāt voluptatē nihil aliud esse quám bonum, atque adeó esse perfectissimum ac summū bonum. Deinde notanda est figura (ut Grammatici appellāt) nominis ἀνομία: quod compositum est ex particula privativa α & ex nomine νόμος: ita ut eo significetur privatio Legis, hoc est, conformitatis cum Lege. Privatio autem illa conformitatis, uno nomine est discrepantia. Quare unico isto vocabulo notatur & genus & differentia, ut ex dictis patet. Porró discrepantia illa inhæret aut actioni hominis, aut ipsi naturæ: unde jam existit peccati distributio in originale & actuale. nam & natura hominis inde ab origine seu conceptione in utero matris ita est vitiata, ut á Lege Dei discrepet atque abhorreat: & actiones ex tali natura promanantes. qualis enim est causa procreans, talia sunt & effecta procreata: qualis arbor, tales & fructus.

Ex v.5. Finis seu scopus incarnationis filii Dei fuit, ut peccata nostra tolleret. Tollit autem bifariam: merito scilicet, & efficacia. Merito quidem suæ passionis, qua illa expiavit. Efficaciā verō Spiritus sancti, per quem nos renovat.

Ex v.6.& 9. Cavendū ne verbis Johannis abutamur ad stabiliendū opinionem eorum qui somniant, Christianos tantam sanctitatis perfectionē habere in hac vita, ut prorsus nō peccent. neq; enim hæc mens est verborum Johannis: sed hoc tantúm vult, sanctos in hac vita nō permittere peccato regnum, non indulgere illi operámve dare, deniq; nō peccare securé ac petulanter. nam quōd interdū peccēt, ex infirmitate scilicet, ac proinde peccatū adhuc habeāt: ipsemet tradidit suprá cap.1.v.8.9.10.& cap.2.v.1.

Ex v.7. Non est satis, profiteri sese justum & Christianum: sed hæc professio factis demonstranda est.

Ex v.8. De peccato diaboli diximus in 2. Pet.2.v.4.

Ex v.9. Quum Spiritus sanctus in renatis veluti semen maneat: consequens est, illos fidem & amorem sanctitatis nunquam penitus amittere. Hoc facit ad piorum consolationem. Interim autem cavendum ne hac doctrina abutamur ad securitatem carnis.

Ex v.11. & deinceps. Notanda sunt aliquot argumenta quibus moveri debemus ad diligendum proximum. nempe 1. mandatum Dei, v.11.& 23. 2. quia qui proximum diligunt, sciunt (videlicet tanquam ex necessario effecto fidei) se translatos esse ex morte in vitam, v.14. 3. quia ex dilectione proximi cognoscimus, nos esse ex veritate, id est, ex Deo: hoc est, nos esse Dei filios: quippe cujus naturam imitamur: v.19. 4. quia ex dilectione proximi colligimus, nos præditos esse vera fide, ac proinde confirmamur in filiali fiducia erga Deum, v.eod.& 21. 5. quia qui proximum diligunt, accipiunt á Deo quæ petunt, v.22.

Ex v. 12. Non est satis, opera hominis externé respondere mandatis Dei: sed ut veré bona sint Deoque placeant, necesse est ut proficiscantur ex vera dilectione Dei, & proximi propter Deum. Etenim sacrificia Cajini nominantur hic á Johanne opera mala, etsi habebant mandatum Dei, non minús quám Abelis: sed non proficiscebantur ex dilectione Dei. quia si Cajin dilexisset Deum, dilexisset etiam fratrem propter Deum. at illum odio habuit: quippe quem ex odio occidit. Confer Esa. 1. v. 11. & deinceps. & cap. 58. v. 3. & deinceps.

Ex v. 12. & 13. Quum mundus nos odit ac persequitur propter religionem, consolemur nos exemplis sanctorum inde ab origine mundi, quibus idem accidit. Confer Gal. 4. v. 29. Matth. 5. v. 12. Johan. 15. v. 18. & 20.

Ex v. 14. Dilectio proximi, est signum infallibile veræ fidei: quia est signum proprii effectus fidei, videlicet transitus ex morte in vitam, quippe nullus effectus potest esse sine sua causa. Esse autem hunc effectum fidei, aperté affirmat Christus Johan. 5. v. 24. ubi ait, Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit & credit ei qui misit me, habet vitam æternam & in condemnationem non veniet: sed transivit ex morte in vitam.

Ex eodem versu. Cavendum ne hoc loco abutamur ad stabiliendum opinionem de merito nostræ dilectionis: quasi scilicet dilectione nostrâ mereamur vitam æternam; eó quód Johannes dicat, *Scimus nos translatos esse ex morte in vitam, quia diligimus fratres.* Etenim conjunctio ὅτι, id est, quia, etsi causalis á Grammaticis nominatur: tamen non semper est nota causæ, sed sæpe alterius cujusvis argumenti. Atque hoc quidem loco servit notando effectui: quum certum sit ex verbis Christi (Johan. 5. v. 24.) paulo anté allatis, transitum illum ex morte in vitam, esse effectum fidei: porró fides non est effectum dilectionis, sed causa efficiens: teste Paulo Galat. 5. v. 6. ubi ait, Fidem per charitatem operari seu agere, ἐνεργεῖσθαι. Eâdem significatione accipitur conjunctio ὅτι in loco simili Luc. 7. v. 47. ubi Christus apud Simonem Pharisæum de muliere peccatrice sic pronuntiat: *Dico tibi, remissa sunt peccata ejus multa: quia dilexit multum.*

Ex v. 14. & 15. Felicitas fidelium consistit in eo, quód transiverunt ex morte in vitam, quódque vitam æternam habent in se manentem. id quod fit per fidem: quippe qua nôrunt, se per Christum á peccatis ac proinde ab æterna morte esse liberatos, & vicissim remissionem peccatorum & vitam æternam ipsis esse partam: unde fit ut & in præsenti sæculo aliquatenus gustent paternum favorem Dei, & spem certam foveant plené fruendi favore illo in seculo futuro. Porró gustus ille est initium vitæ æternæ: quo nimirum vivificantur corda per lætitiam in Deo, creatâ voce Euangelii. id quod significat Christus Johan. 5. v. 25. ubi ait, *Amen amen dico vobis: veniet hora, & nunc est, quum mortui audient vocem filii Dei; & qui audierint, vivent.* De plena autem fruitione ibidem subjungit paulo-póst v. 28. & 29. ubi ait, *Veniet hora qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus* (nempe filii Dei) *& prodibunt qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, &c.*

Ex v. 15. Homicida coram Deo est non solúm qui manu vitam proximo adimit, sed etiam qui illum odit. Quare quum Deus homicidium vetat, simul vetat odium proximi, tanquam homicidii causam impulsivam, videlicet προηγουμένην. Atque eadem est ratio aliorum præceptorum. Errant igitur qui putant satis esse, si præstetur Legi Dei obedientia externa. Confer Matth. 5. v. 21. & deinceps. Hinc Paulus Legem dicit esse spiritualem, Roman. 7. v. 14.

Ex

Ex v.16. Perfecta charitas impellit etiam ad vitam pro proximo relinquendam. Et talis fuit in Christo erga suos. Petrus verò talem charitatem erga Christum professus quidem est, sed non præstitit. In Paulo verò admirabilis fuit charitas erga gentem suam, pro qua optavit etiam vitam æternam amittere, Rom.9.v.3. Qualis & ante eum fuit in Mose, Exod.32.v.32. Cæterùm exemplùm Pyladæ & Orestis, quorum uterque pro altero mori paratus fuisse * narratur, & si qua sunt similia: non sunt hujus loci. Etenim hominum non renatorum amor erga proximum (quantuscunque etiam appareat) sincerus esse non potest, quum non oriatur ex dilectione Dei & fide: sed ex vana cupiditate laudis humanæ. * Cic. lib.2. de Finib.

Ex v.17. Quicunque Deum diligit, is diligit etiam proximum: videlicet propter Deum, qui dilectionem proximi præcepit. Quare qui proximum non diligit, is nec Deum diligit: ac proinde si se Deum diligere & Christianum esse profitetur, mentitur.

Ex v.17.& 18. Dilectio proximi non consistit in blanditie verborum, sed in affectu misericordiæ & beneficentia, maximé erga egentes. Confer Jacob.2.v.15.16. Heb.13.v.3.& 16. Rom.12.v.9.10.15. Gal.4.v.15.

Ex v.19.& 22. Cavendum ne hoc loco abutamur ad stabiliendum opinionem de meritis nostræ dilectionis nostrorúmve bonorum operum: quasi nimirum dilectione nostra nostrísve bonis operibus mereamur nobisve conciliemus gratiam Dei, atque impetremus bona quæ á Deo petimus. neque enim hæc mens est verborum Johannis: sed sentit, nos ex dilectione & observatione mandatorum Dei, tanquam proprio effecto, certó posse colligere, nos prædítos esse vera fide, ac proinde esse filios Dei: ex qua notitiá necessarió existit fiducia illa filialis, qua de paterno Dei erga nos favore certó persuasi, speramus ab illo omnis generis bona, atque etiam petentes impetramus.

Ex v.20.& 21. Judicium conscientiæ est imago quædam judicii divini. Etenim quem conscientia sua condemnat, illũ in die judicii damnabit Deus: quem verò conscientia sua absolvit, illum Deus quoque absolvet. Absolvit autem conscientia eos tantúm, qui credunt pro suis peccatis judicio Dei esse satisfactum per Christum, ac proinde Deo student placere sanctè vivendo: reliquos verò omnes conscientia sua necessarió condemnat. Studeamus ergo retinere bonam conscientiam. Confer Roman.2.v.15.& 16. Heb.10.v.2.& 22.& cap.13.v.18. 1.Tim.1.v.19.

Ex v.22. Quicquid credentes á Deo petunt, impetrant: si scilicet petant rectè, nempe secundúm Dei voluntatem: sicut declarat Johannes infrá cap.5.v.14. Vult autem Deus simpliciter credentibus dare quæcunque illis necessaria fuerint ad vitam æternam: quæ verò ad vitæ hujus mortalis commoditates pertinent, eatenus dare vult quatenus vitam æternam non impediunt, sed potiús ad eam consequendam conducunt. Confer Marc.10.v.29.& 30.

Ex v.23. Euangelium duo insignia mandata Dei continet: unum, fidei; alterum, dilectionis. Oremus igitur Deum, ut per Spiritum suum in utriusque obedientia nos confirmet.

Ex v.24. Argumentum sive signum nostræ cum Deo communionis, sunt effecta Spiritus sancti in nobis: videlicet fides & dilectio. quibus quasi vinculis cum Deo colligamur. Confer Joh.15. 1.Cor.12.v.13.

ANA-

ANALYSIS CAP. IIII.

ARGUMENTUM.

Hic primó monet ut sibi caveant á seductoribus: deinde iterum hortatur ad charitatem seu dilectionem fratrum.

DE PRIMA PARTE.

1 *Dilecti, ne cuivis spiritui credite, sed probate spiritus an ex Deo sint: nam multi pseudoprophetæ venerunt in mundum.*

2 *Ex hoc cognoscite Dei Spiritum: Quicunque spiritus confitetur Jesum Christum in carnem venisse, ex Deo est.*

3 *At quicunque spiritus non confitetur Jesum Christum in carnem venisse, ex Deo non est: sed hic est ille* spiritus *Antichristi, quem audistis venturum fuisse; & jam nunc in mundo est.*

4 *Vos ex Deo estis, filioli, & vicistis eos; quoniam potentior est qui est in vobis quàm qui in mundo est.*

5 *Ipsi è mundo sunt, ideo mundana loquuntur, & mundus eos audit.*

6 *Nos ex Deo sumus: qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos: ex hoc cognoscimus spiritum veritatis & spiritum erroris.*

Admonitionem de cavendis seductoribus annectit occasione vocabuli *Spiritus*: quo usus fuit in fine capitis præcedentis. Monet igitur, ne cuivis spiritui (id est doctori revelationem Spiritus jactanti) credant: sed ut spiritus (id est doctores vel dogmata illorum) probent an ex Deo sint. Rationem admonitionis subjungit: quia multi pseudoprophetæ (id est, falsi doctores atque hæretici) jam venerint in mundum. Versu 2. & 3. per prolepsin docet, qua nota Spiritus probandi sint, videlicet ex summa Evangeli, quæ est *quòd Jesus Christus venerit in carnem*, qua brevi sententia continetur salvifica doctrina tum de persona, tum de officio Christi. De persona, quòd sit Deus & homo. Deus: quippe qui venit in carnem. Fuit igitur antequam veniret in carnem, quid autem fuit, nisi Deus, nempe æternus Dei filius? Deinde homo: quia venit in carnem: id est, veniendo in mundum assumsit carnem, & homo factus est. De officio verò, quòd nimirum venerit in carnem propter nos & nostram salutem, ut noster frater factus, in carne pro nobis pateretur, & sua passione ac morte expiaret nostra peccata, ac aboleret eum qui mortis habebat imperium, id est, diabolum; nosque ab illius potestate liberaret; quæ omnia ipsis nominibus JESU & CHRISTI notantur. Versu 4. contra periculum ac metum seductionis consolatur eos spe certa victoriæ: quam confirmat á causa procreante, videlicet potentia Spiritus sancti in ipsis inhabitantis, per collationem cum potentia Spiritus mali qui est in mundo, hoc est, impiis ac reprobis. Versu 5. & 6. aliam consolationem annectit, qua solatur eos contra scandalum quod oritur ex applausu mundi, seductorum istorum dogmata approbantis, & contrá doctrinam Apostolorum improbantis. Monet igitur, id non debere mirum videri: quia seductores illi ingenio mundi sese accommodent: Apostoli verò studeant placere Deo, tanquam filii ejus: unde

unde etiam infert, doctrinam eorum á filiis Dei approbari. Ad extremum admonitionem hanc velut epiphonemate concludit, ubi ait, Ex hoc cognoscimus, &c. Intelligit autem notam illam quam paulo-anté proposuit, videlicet doctrinam de Christo.

7 *Dilecti, diligamus alii alios: nam charitas ex Deo est: quisquis diligit, ex Deo natus est, & novit Deum.*

8 *Qui non diligit, non novit Deum: nam Deus est charitas.*

9 *Per hoc patefacta est charitas Dei erga nos, quód Filium illum suum unigenitum miserit Deus in mundum ut vivamus per eum.*

10 *In hoc est charitas, non quód nos dilexerimus Deum, sed quód ipse dilexerit nos, & miserit Filium suum ut esset propitiatio pro peccatis nostris.*

11 *Dilecti, si Deus nos ita dilexit, debemus & nos alii alios diligere.*

12 *Deum nemo spectavit unquam. Si diligamus alii alios: Deus in nobis habitat, & charitas ejus perfecta est in nobis.*

13 *Per hoc cognoscimus nos in eo habitare & ipsum in nobis, quód de Spiritu suo dedit nobis.*

14 *Nos verò spectavimus: & testamur, Patrem misisse Filium qui esset servator mundi.*

15 *Quisquis confessus fuerit, Jesum esse Filium illum Dei, Deus in eo habitat, & ipse in Deo.*

16 *Et nos cognovimus & credidimus charitatem quam habet Deus erga nos. Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

17 *Per hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii; quia* scilicet *qualis ille est, tales & nos sumus in hoc mundo.*

18 *Metus non est in charitate: perfecta charitas foras ejicit metum: quoniam metus cruciatum habet. qui ergo metuit, non est perfectus in charitate.*

19 *Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos.*

20 *Si quis dixerit, Diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. qui enim non diligit fratrem suum quem vidit, Deum quē non vidit, quomodo potest diligere?*

21 *Et hoc mandatū habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrē suum.*

Redit ad præceptum charitatis seu dilectionis proximi: illudq; variis argumntis confirmat. quorum primum est, quód charitas autorem habet Deum. Secundum, quód indicio est, nos esse ex Deo natos: id est, nos esse filios Dei, per fidem scilicet adoptatos & per Spiritum adoptionis regenitos. Tertium, quód dilectio proximi testimonium est, quód Deum noverimus. Hæc tria argumenta continentur v.7. Porró tertium illorum illustrat v.8. á contrario, & confirmat ex eo, quód Deus sit charitas: id est, fons charitatis & summâ charitate nos prosequens. Quod ipsum v.9 & 10. probat ex facto Dei, videlicet missione Filii; quam ipsam amplificat ex mittentis fine seu scopo: item ex remotione causæ impulsivæ, quatenus negat, nos priores dilexisse Deum, atque ita nimirum promeritos ut ipse vicissim nos diligeret, Filiumq; nobis mitteret. Versu 11. ex illo Dei facto tanquam exemplo argumentatur: quod jam quartum institutæ præceptionis sive hortationis argumentum est. Versu 12. & 13. affert quintum argumentum, quod sumtum est ab effectu utili, videlicet contemplatione Dei: quam significat proximé oriri ex inhabitatione Dei in nobis & vicissim nostri in illo per Spiritum sanctum. Ex illa autem ipsa contemplatione Dei significat oriri perfectam (id est, veram atque sinceram) charitatem Dei. Fieri enim non potest quin Deum veré diligat, qui per inhabitantem ejus Spiritum contemplatur pulchritudinem ipsius. Pulchritudo autem

Dei

Dei consistit in virtutibus illius: ut sanctitate, bonitate, justitia, misericordia &c. Versu 14. & deinceps usque ad medium versus 16. ex occasione vocabuli θεάσθαι, id est, *contemplari* seu *spectare*, quo in præcedente argumento usus fuit, interserit doctrinam fidei seu summam Euangelii, confirmatam testimonio Apostolorum, ut qui Christum á Patre missum spectaverint atque ex illius missione charitatem Dei erga nos cognoverint. In medio versus 16. redit ad præceptum charitatis, & addit argumentum sextum, quod sumtum est ab effectu utili: nempe quód ex charitate proximi certiores reddimur, nos manere in Deo, & Deum in nobis: quod ipsum confirmat á natura Dei, ut qui sit ipsa charitas. unde percipitur nimirum, eos qui charitate præditi sunt, communionem cum Deo habere. Versu 17. addit argumentum septimum, quod etiam ab effectu utili sumtum est, videlicet fiducia in die judicii. Hanc autem ex dilectione proximi ita nasci significat: quatenus inde colligimus, nos esse Deo similes seu ingenium nostrum (intellige quod habemus ex regeneratione) conforme esse naturæ Dei, qui est charitas. hoc significat ubi ait, *Quoniam qualis ille est, tales & nos sumus in hoc mundo.* Hoc argumentum v. 18. amplificat & illustrat á contrario metu atque cruciatu animi, quem vera charitas eo quo dictum est modo expellit, & quo afficiuntur qui charitatis sunt expertes. Versu 19. inserit præceptum de dilectione Dei: cui addit suam rationem á causa procreante. Versu 20. redit ad præceptum de dilectione proximi: & mendacii arguit eos qui jactant dilectionem Dei, quum interim destituti sint dilectione proximi. Ratiocinatur autem á majori, ad hunc modum. Si quis non diligit fratrem, multó minús diliget Deum. Ratio á majori: quia fratrem videt, Deum non videt, sed tantúm de illo audit testimonium verbi. Magis autem ad amandum movemur aspectu rei amandæ, quam auditu. Versu ultimo hypocritas *illos* alio argumento mendacii convincit, quod sumtum est á pari: quód scilicet dilectio proximi non minús á Deo mandata sit quám dilectio Dei. unde sequitur, si quis obtemperet mandato dilectionis Dei, illum pari ratione obtemperaturum mandato dilectionis proximi: Ac proinde si quis huic mandato non obtemperet, eum nec obtemperare illi priori, & per consequens falsó jactare obedientiam erga illud, id est dilectionem Dei.

SCHOLIA IN CAP. IIII.

1 *Spiritui.* πνεύματι. Id est, doctori revelationem spiritus jactanti. Metonymia adjuncti. *Probate.* δοκιμάζετε. Seu, explorate. Sic 1. Thess. 5 vers. 21. πάντα δοκιμάζετε. *Spiritus.* τὰ πνεύματα. Id est, doctores vel dogmata. *An ex Deo sint.* εἰ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστιν. An Deum authorem habeant illa dogmata, an sint θεόπνευστα, divinitus inspirata. *Pseudoprophetæ.* ψευδοπροφῆται. Id est, ψευδοδιδάσκαλοι, falsi doctores.

2 *Dei spiritum.* τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ. Id est, doctrinam profectam á Dei spiritu: vel, doctorem qui agitur Dei spiritu. Metonymia efficientis vel adjuncti. *Spiritus.* πνεῦμα. Id est, doctor Ecclesiæ. Metonymia adjuncti. *In carnem.* ἐν σαρκὶ. Pro, εἰς σάρκα. sicut infrá v. 9. dicitur missus esse εἰς τὸν κόσμον, in mundum. Neq; enim vênit é cælo filius Dei cum carne, quasi carnẽ inde secum attulerit: sed vénit in carnem, i. veniens in mundum indut carnem, eâq; indutus manifestavit sese. Carnis autẽ vocabulo synecdochice intelligitur humana natura, ut Joh. 1. v. 14. ubi dicitur, Sermo caro factus est.

3 *Ille*

3 *Ille* ſpiritus *antichriſti.* τὸ τῦ ἀντιχρίςου. Subaudi πνῦμα, ex membro præcedenti. *De quo.* ὅ. Articulus Græcus refertur ad πνῦμα, id eſt, ſpiritum Antichriſti. Sed verbum ἔρχεται videtur poſtulare ut legatur ὅτι, & referatur ad Antichriſtum. de hoc enim uſitaté tum dicebatur, ὅτι ἔρχεται. ut ſuprá c.2.v.18.

4 *Potentior.* μείζων. Ut ſuprá cap.3.v.20. *Qui eſt in vobis.* ὁ ἐν ὑμῖν. Scil. θεός. Periphraſis Dei. *Qui in mundo eſt.* ὁ ἐν τῷ κόσμῳ. Subaudi ὤν. Periphraſis diaboli.

5 *Mundana loquuntur.* ἐκ τῦ κόσμου λαλοῦσι. Sic Johan.3.v.31. ὁ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ, terrena loquitur. *Eos audit.* αὐτῶν ἀκούει. Id eſt, eis credit & obêdit. Synecdoche.

9 *Erga nos.* εἰς ἡμᾶς. Id eſt, εἰς ἡμᾶς. Sic infrá v.6. *Quód filium* &c. ὅτι τὸν υἱὸν &c. Confer Johan.3.v.16. *Miſit.* ἀπέςαλκεν. Confer Johan.3. v.17. Gal.4.v.4. Rom.8.v.3.

10 *In hoc eſt.* ἐν τούτῳ ἐςίν. In hac re, ſita ſeu poſita eſt. *Dilexerimus.* ἠγαπήκαμεν. Scil. priores. *Dilexerit.* ἠγάπηκεν. Scil. prior, ut expreſſé dicit infrá v.19. *Et miſerit filium ſuum ut eſſet propitiatio.* καὶ ἀπέςειλε τὸν υἱὸν αὐτῦ ἱλασμόν. Pro, εἰς ἱλασμόν: id eſt, τῦ εἶναι ἱλασμόν. Similis ἐλλείψεως exempla ſunt iſta: Rom.3.v.25. ὃν προέθετο ὁ θεὸς ἱλαςήριον. Id eſt, εἰς ἱλαςήριον, ſeu τῦ εἶναι ἱλαςήριον. Rom.4.v.11. καὶ σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς, σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίςεως. Id eſt, εἰς σφραγῖδα ſeu τῦ εἶναι σφραγῖδα. Occurrit item exemplum infrá hoc capite v.14. *Pro.* περὶ. Id eſt, ὑπὲρ. Sic ſuprá cap 2.v.2. Item Rom.8.v.3. καὶ περὶ ἁμαρτίας. ſcil. θυσία. Heb.5.v.3. & cap.10.v.8.18.26.

11 *Ita.* οὕτως. Id eſt, tantopere, nempe ut unigenitum filium dederit pro nobis. Sic Johan.3.v.16. Confer Rom.5.v.8.

12 *Spectavit.* τεθέαται. Nempe pulchritudinem illius: quæ nimirum conſiſtit in ipſius virtutibus, ac inprimis in ſublimi illa & arcana ſapientia, juſtitia & miſericordia, quas declaravit in nobis per Chriſtum ſervandis. Intelligenda eſt autem hæc ſententia non ſimpliciter, ſed ſecundúm quid, videlicet de naturalibus viribus ingenii humani: ſicut percipitur ex antitheſi quæ habetur Johan 1.v.18. ubi dicitur, *Deum nemo vidit unquam: unigenitus ille filius qui eſt in ſinu Patris, ille* nobis *expoſuit.* Ubi pro verbo τεθέαται poſitum eſt verbum ἐξηγήσατο. Verbum autem τεθέαται, quamvis formæ paſſivæ, ſignificationem tamen hîc habet activam: ut liquet ex ipſa ſyntaxi & ſententia. *Perfecta.* τετελειωμένη. Id eſt, τελεία: ſicut loquitur infrá v.18. Perfectam autem intellige, non omnibus numeris abſolutam, in qua nihil prorſus poſſit deſiderari (talis enim in hac vita ne in ſanctiſſimos quidem cadit) ſed veram atque ſinceram, & quæ ad perfectionem omni ſtudio atque conatu tendit.

13 *De Spiritu ſuo.* ἐκ τῦ πνεύματος αὐτῦ. Id eſt, de donis Spiritus ſui. nam ipſe Spiritus ſanctus in ſua eſſentia impartibilis eſt: quum ſit infinitus ille Jehova, unâ cũ Patre & Filio. Eſt igitur metonymia efficientis uſitata.

14 *Spectavimus.* τεθεάμεθα. Scil. Deum, ex collatione verſus 12. Id eſt, ſpectavimus illas Dei virtutes, ac inprimis charitatem erga nos. quomodo autem ipſe & cæteri Apoſtoli, illam charitatem ſpectarint, mox oſtendit: videlicet in miſſione filii. *Miſiſſe filium qui eſſet ſervator.* ἀπέςαλκε τὸν υἱὸν σωτῆρα. Pro, εἰς σωτῆρα, hoc eſt, τῦ εἶναι σωτῆρα. Vide ſuprá ad v.10. *Mundi.* τῦ κόσμου. Id eſt, hominum electorum paſſim in toto mundo degentium. Confer ſuprá cap.2.v.2.

15 *Jeſum*

15 *Jesum esse filium illum Dei.* ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ. Subaudi, Et sibi á Patre esse missum in servatorem: ex versu præcedente. Synecdoche membri. Nam alioquin & cacodæmones confitentur Jesum esse filium illum Dei: sed non propterea Deus in eis habitat, nec ipsi in Deo: id est, nullam cum Deo communionem habent: quia scilicet non credunt, illum sibi esse missum in servatorem.

16 *Erga nos.* εἰς ἡμᾶς. Pro, εἰς ἡμᾶς: ut suprá v. 9. *Et qui manet.* καὶ ὁ μένων. Et, id est, Idcirco.

17 *Perfecta est.* τετελείωται. Vide suprá ad v. 12. *Nobiscum.* μεθ' ἡμῶν. Perinde est, ac si diceret: Per hoc perfecti sumus in charitate: quemadmodum loquitur Paulo póst in fine v. 18. Dicere vult: Per hoc cognoscimus, charitatem in nobis perfectam (id est, sinceram) esse, si ita sumus comparati ut habeamus fiduciam &c. Ergo, Perfecta est: id est, cognoscitur perfecta esse. Est metonymia subjecti: qualis illa Johan. 15. v. 8. *Et eritis mei discipuli*: id est, cognoscemini esse mei discipuli, nempe ex fructu illo quem fertis. *Ut fiduciam habeamus.* ἵνα παῤῥησίαν ἔχωμεν. Hæc præcedentib. annectuntur tanquam per appositionem, quasi dicatur, ὅταν παῤῥησίαν ἔχωμεν: ad declarandum illa verba, ἐν τούτῳ. Et sané ἵνα pro ὅταν usurpatum videtur á classico linguæ Græcæ authore Aristophane: ex quo affertur hoc exemplum: ταῦτ' ἐθελήσεις ὀμόσαι μοι τοὺς θεούς, ἵν' ἂν κελεύσω γώ σε. quorum verborum hæc videtur esse tententia: Ista tu mihi voles negare, jurando per deos, quum ego te jussero. Aut certé ante ἵνα per ellipsin supplendum tale quid, *Si ita comparati seu affecti sumus.* Vel, *si illa* (nempe charitas) *talis est.* Similis appositio & ellipsis fuit suprá cap. 3. v. 23. Simile quoque exemplum occurret infrá cap. 5. v. 3. *Quia* scilicet. ὅτι. Per hanc ὁμοίωσιν confirmatur illa ellipsis, de qua modó admonui. *Qualis ille est.* καθὼς ἐκεῖνός ἐστι. Ille, videlicet Christus. Id est, Sicut ille nos dilexit & etiamnum diligit, videlicet sincerè.

18 *Metus non est in charitate.* φόβος οὐκ ἔστιν ἐν τῇ ἀγάπῃ. Id est, Qui Deum & proximum veré diligit, is non metuit sibi á judicio Dei: quia nimirum novit, se esse præditum spiritu Dei, ac proinde esse filium Dei per fidem in Christum. *Perfecta.* τελεία. Id est, sincera. vide suprá ad v. 12. *Qui ergo metuit.* ὁ δὲ φοβούμενος. Δὲ. pro γάρ: ut liquet ex ipsa consequentia sententiarum. Sic enim ratiocinatur: Ubi metus, ibi cruciatus: At in charitate perfecta non est cruciatus: Ergo in charitate perfecta non est metus: pro quo jam dicit, Qui metuit, non est perfectus in charitate.

20 *Quomodo.* πῶς. quasi dicat, Nullo modo id fieri potest.

OBSERVATIONES EX CAP. IIII.

Ex ℣. 1. Non cuivis doctori credendum: sed doctrina probanda est, an sit ex Deo. Hujus autem probationis Lydius (ut vocant) lapis, est verbum Dei: cujus summa in articulis fidei Christianæ seu symbolo Apostolico, & in decé præceptis Dei seu decalogo comprehensa est: Legis quidé in hoc, Euangelii veró in illo. Confer Eph. 4. v. 14. Ne circumferamur quovis vento doctrinæ &c. Item 1. Thess. 5. v. 21, Omnia explorate: quod bonum fuerit, retinete. Item Matth. 7. v. 15. Cavete vobis á pseudoprophetis.

Ex eod. versu. Probatio doctrinæ religionis pertinet etiam ad Laicos quos vocant, id est, eos Christianos qui non funguntur munere docendi in Ecclesia. quia Spiritus sanctus tam illis, quám ipsis doctoribus, probationem

onem hanc mandat. Quare falsum est dogma Papistarum, quód Laicis sufficiat fides implicita: ut scilicet credant quod credit Ecclesia: quo nomine illi intelligunt cœtum Cardinalium & Episcoporum Pontificiorum, hoc est, Antichristianorum.

Ex eod. versu. Quum videmus hodie multos falsos doctores in Ecclesia regnare: non est quod ea re tanquam nova atque insolente nimiúm perturbemur: quia jam olim ipso tempore Apostolorum consimilis Ecclesiæ status fuit. Confer 2.Petr.2. Actor.20.v.29. & 30.

Ex V.2. & 3. Fundamentum fidei Christianæ est hoc axioma, quód Jesus Christus venerit in carnem: id est, quód Jesus ille Nazarenus, virginis Mariæ filius, sit æternus & unigenitus filius Dei, qui constituto tempore assumserit carnem seu naturam humanam é substantia Mariæ virginis: & secundúm illam carnem unctus sit in Christum, hoc est, regem Ecclesiæ: nec non quód per illam carnem, tanquam summus sacerdos, Ecclesiam Deo reconciliárit, oblatione scilicet illius in cruce: ad hæc quód carnem illam in sanctuarium cæleste peracto in terris sacrificio intulerit, & in illa perpetuó illic appareat coram facie patris, atque ita salutem sacrificio suo semel Ecclesiæ partam perpetuó conservet: deniq; quód in illa carne sit é cælo rediturus ad judicandum vivos & mortuos, suosque ad sese assumturus, ut in cælo cum ipso perpetua beatitudine fruantur. Hoc fundamentum qui retinent, & doctrinam illi consentaneam superstruunt, pro veris doctoribus habendi sunt: pro falsis autem & Antichristis, qui fundamentum hoc evertunt. Evertere autem statuendi sunt, non solúm qui axioma illud expressé negant aut oppugnant: verúm etiam qui illud profitentes, interim dogmata propugnant quæ cum illo fundamento non possunt consistere, sed illi repugnant. id quod hodie faciunt Papistæ & Ubiquitarii: quorum hi personam, illi officium Christi sacerdotale inprimis evertunt. Confer 1.Cor.3.v.11. & deinceps.

Ex V.4. Contra periculum ac metum seductionis consolari se debent pii spe certa victoriæ. nam etsi Deus permittit ut falsi doctores in Ecclesia exoriantur: & multos seducant: tamen per potétiam Spiritus sancti in piis inhabitantis custodit eos ac tuetur, ne in errorem exitialem ducantur.

Ex v.5. & 6. Quum videmus, mundum applaudere seductoribus & falsa eorum dogmata approbare, contrá veró doctrinam Apostolorum improbare: non debet id nobis mirum videri: quia seductores ingenio mundi sese accommodant. Verbi gratiâ, remissionem peccatorum homini cóingere per Missam Pontificiam, vel etiam per sacram Domini cœnam: dogma est accommodatum ingenio mundi. Etenim opinione ista freti homines dediti voluptatibus mundanis, per totum annum secuté peccant: tum semel vel Missam audiunt, vel sacram Domini cœnam percipiunt, ut tali velut potione medica ab omnibus peccatis purgentur. tum ad ingenium redeunt, & cupiditatibus suis iterum indulgent.

Ex v.7. & deinceps notanda sunt argumenta quibus moveri debemus ad diligendum proximum. quæ sunt in Analysi indicata atque exposita.

Ex v.9. & 10. Notandi sunt duo fines incarnationis filii Dei: unus principalis, ut electis vitam æternam quam per peccatum amiserant, restitueret seu recuperaret: alter principali isti subordinatus, ut peccata electorum expiaret sua morte, atque ita Deum illis propitium ac faventem redderet. Esse auté hunc finé illi subordinatum, colligere est ex verbis Pauli Galat.3.v.13. & 14. ubi affirmat, Christum redemisse nos ab execratione

Legis,

Legis, dum pro nobis factus est execratio in cruce (quibus nimirum verbis significat, Christum peccata nostra expiasse sua morte in cruce. Sed cur? addit) *Vt in Gentibus benedictio Abrahæ extet in Christo Jesu.* quibus verbis docet, Christum ideo peccata nostra expiasse, ut vitam æternam nobis acquireret. Etenim benedictio illa Abrahæ promissa vitam æternam, & quidem potiori ex parte, continet. Idem colligi potest ex ejusdem epistolæ cap. 4. v. 4. & 5. ubi dicitur, Deum emisisse filium suum, factum ex muliere & factum Legi obnoxium, ut eos qui Legi erant obnoxii, redimeret (nempe factus pro illis execratio in cruce, sicut expressé affirmavit suprá cap. 3. v. 13. Atque ecce hic est finis incarnationis prior. Cui tanquam subordinato mox annectit alterum, inquiens, *ut adoptionem acciperemus.* id est, ut Deo per mortem Filii ipsius reconciliati, adoptaremur in filios, ac proinde hæredes vitæ æternæ. Atque hunc sensum quoque habet, quód Paulus Rom. 5. v. 18. justificationem nominat justificationem *vitæ.* Enim justificationem Paulus definit justitiæ imputatione: hanc autem prorsus eandem facit cum remissione peccatorum: Rom. 4. v. 5. 6. & 7. Unde sequitur, si Christus nobis sua morte acquisivit remissionem peccatorum, quód eâdem acquisiverit quoque nobis vitam. Errant igitur qui tradunt, vitam æternam nobis partam esse per sanctam Christi vitam, seu obedientiam illam qua perfectissimé servavit Legem. Hoc enim si ita est: quid igitur opus fuit Christum mori ut vitam nobis acquireret? quippe quam (ex illorum opinione) jam ante suam mortem nobis acquisiverat sanctè vivendo. At Christum mori oportuit, ut vitam nobis acquireret: sicut ex supradictis planum est. Non igitur per sanctam Christi vitam vita nobis parta est. Quis igitur, inquiat aliquis, sanctæ vitæ Christi usus est? Hic nimirum, ut posset fieri sanctus sacerdos & sancta victima ad expiándum nostra peccata, atque ita vitam nobis recuperandam. Id testatur Paulus Heb. 7. v. 26. & Petrus 1. Pet. 1. v. 19. Cæterúm error iste videtur natus partim ex fallaci quadam analogia causarum & effectorum, partim ex eo quód non attendunt quid sit vita illa æterna quam Christus nobis acquisivit. Etenim analogiam instituunt talem. Sicut per mortem Christi liberati sumus ab æterna morte: sic per vitam Christi adepti sumus æternam vitam. At, inquam, collatio ista falsa est: quia Scriptura utrumque illum effectum morti Christi attribuit, ut patet ex ante dictis. Putant nimirum, effectum oportere similem esse causæ procreanti, ac proinde vitam nostram ex vita Christi deducunt. Sed hallucinantur ex homonymia. nam per vitam Christi intelliguntur sanctæ ejus actiones: at per vitam nostram non intelliguntur in hac quæstione sanctæ nostræ actiones, sed lætitia illa cordis quę nascitur ex sensu paterni favoris Dei, per mortem Christi nobis conciliati. Atque hæc ipsa altera illa quam dicebamus, erroris causa est: quód non attendunt illi ad propositam modó vitæ æternæ definitionem. Hoc enim si facerent: vitam æternam non aliunde nisi ex morte Christi deducendam viderent: quippe qua sola favor ille Dei paternus nobis partus est, expiatis scilicet nostris peccatis. Porró illa vitæ æternæ definitio colligitur ex his scripturæ dictis: Psalmo 16. v. 11. Satietas lætitiarú apud faciem tuam: jucunditates in dextrâ tuâ semper. Psalmo 17. v. 15. Satiabor specie tua. Roman. 14. v. 17. Regnum Dei non est esca & potus: sed justitia & pax & gaudium in Spiritu sancto. Johan. 5. v. 27. Amen amen dico vobis, Veniet tempus & nunc est, quum mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint, vivent. Johan. 6. v. 53. & 54. Nisi ederitis carnem filii hominis & biberitis

biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis. Qui edit carnem meam & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.

Ex v. 10. Quum Apostolus testetur, quód nos non priores dilexerimus Deum: falsum igitur est dogma Pontificiorum de merito congrui, quasi scilicet nos bonis operibus ante fidem & justificationem ex viribus liberi arbitrii factis mereamur de cógruo favorem Dei. Nam si ex nobis ipsis non possumus Deum diligere, non etiam poterimus ullum bonum opus facere quod Deo placeat, quóve favorem ejus nobis concil.emus.

Ex v. 14. Cavendum ne verbis Apostoli abutamur ad stabiliendum dogma eorum qui tradunt, Christum venisse ut servaret singulos homines. nam servator mundi á Johanne dicitur non hoc sensu: sed respectu electorum in omnibus populis seu nationibus totius mundi. Etenim mundi vocabulum in talibus dictis opponitur falsæ opinioni Judæorum, putantium Christum fore servatorem solius populi Judaici. Similis est locus Johan. 3. v. 16. Item suprá cap. 2. v. 2.

Cæterum dogmatis illius falsitatem ostendo his duobus argumentis. 1. Quia scriptura salutem á Christo afferendam atque etiam ex parte jam allatam generi humano, restringit in plurimis locis ad Electos. vt Psalm. 22. vers. 23. Enarrabo nomen tuum *fratribus* meis &c. Et vers. 27. Comedent *mansueti*, & saturabuntur: laudabunt Jehovam, *qui quærunt eum*: vivet animus *vester* in sempiternum. Esa. 53. v. 11. Cognitione sui justificabit justus servus meus *multos*: & iniquitates *ipsorum* bajulabit. Matt. 1. vers. 21. Vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim servabit *populum suum* á peccatis eorum. Matth. 26. vers. 28. Hoc enim est sanguis meus, ille novi testamenti, qui *pro multis* effunditur in remissionem peccatorum. Eadem verba repetuntur Marc. 14. vers. 24. Johan. 10. vers. 11. Ego sum pastor ille bonus. Bonus pastor animam suam dat *pro ovibus*. Et cap. 11. vers. 51. & 52. Prophetavit (Cajaphas) fore ut Jesus pro illa gente moreretur: nec tantúm pro illa gente, sed ut etiam *filios Dei* dispersos cogeret in unum. Et cap. 17. vers. 2. Sicut dedisti ei authoritatem in omnem carnem, ut *quotquot dedisti ei*, det eis vitam æternam. Et vers. 9. Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo; sed pro iis quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et vers. 24. Pater, quos dedisti mihi, velim ut ubi sum ego, & illi sint mecum, &c. Act. 20. vers. 28. Quam (scilicet Ecclesiam Dei) proprio sanguine acquisivit. Rom. 5. vers. 19. Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita per unius obedientiam, justi constituentur multi. Ephes. 5. v. 25. Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit *ecclesiam*, & semetipsum exposuit pro ea &c. Heb. 2. vers. 14. Quoniam igitur *pueri illi* participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eum qui mortis imperium habet, hoc est, diabolum &c. Et cap. 9. v. 28. Ita & Christus semel oblatus, ut *multorum* peccata tolleret &c. Et cap. 10. v. 14. Unicâ enim oblatione consecravit in perpetuum *eos qui sanctificantur*.

2 Quia scriptura salutem á Christo afferendam, restringit ad credentes, ut Johan. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum dederit, ut *omnis qui credunt in eum*, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et c. 5 v. 24 & 25. Amen amen dico vobis, *qui sermonem meum audit, & credit* ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transivit á morte in vitam. Amen amen dico vobis, veniet tempus, & nunc est, quum mortui audient vocem filii Dei: & *qui audierint*, vivent. Et

cap 6.v.35. *Qui venit* ad me, nequaquam esuriet: & *qui credit* in me, non sitiet unquam. Item v.54. *Qui edit carnem meam, & bibit meam sanguinem, habet vitam æternam.* Et c.12.v.46. Ego lux in mundum veni, ut *omnis qui credit in me*, in tenebris non maneat. Et c.17.v.20. Non pro eis autem rogo tantùm, sed & *pro iis qui per sermonem eorum credituri sunt in me.* Actor.10.v. 43. Huic omnes prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturũ per nomen ejus, *omnẽ qui crediderit in eum.* Et c.13.v.39. Per hunc omnis *qui credit*, justificatur. Rom.1.vers.16. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni *credenti* Et c.3.v.25. Quem (Christum) proposuit Deus ut esset placamentum per fidem in sanguine ipsius. Et cap.4.v.23.& 24. Non scriptum est autem propter eum solum, quód imputatum fuerit ei: sed etiam propter nos, quibus futurum est ut imputetur, *iis qui credunt* in eum, &c. Et ca.8.v.1. Nulla igitur nunc est condemnatio *iis qui sunt in Christo Jesu.* 1.Cor.1.v.23. & 24 Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam: ipsis autem vocatis (nempe efficaciter: quippe quos elegit, ex collatione versus 27.& 28.) Christum Dei potentiam ac Dei sapientiam. Heb.5.v.9. Et consecratus, factus est author salutis omnibus qui *ipsi auscultant.*

Verùntamen in contrarium afferri solent quædam scripturæ loca, quæ paucis declaranda sunt: ut appareat illa modó commemoratis non repugnare Matth.11.v.28. Venite ad me *omnes* qui laboratis & onerati estis: & ego refocillabo vos. Respondeo Christus hic promittit, se refocillaturum eos qui ad ipsum venerint: hoc est, qui sub onere peccati gementes, gratiam ipsius expetiverint & fide amplexi fuerint. non ergo omnes simpliciter. Joh.1.v.29. Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi. Resp. Vocabulo *mundi* hic non intelliguntur singuli homines, sed omnes electi totius mundi. Joh.3.v.16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum non pereat &c. Resp. Hic salus per Christũ afferenda, diserté restringitur ad credentes. non ergo statuitur communis omnium hominum. Joh.12.v.32. Et ego, si sublatus fuero é terra, omnes trahã ad me. Resp. Intelligit omnes eos qui ipsi dati erant á Patre: sicut percipitur ex ipsius verbis cap.17.v.9. Rom.5.v.18. Sicut per unius lapsum reatus venit in omnes homines ad condemnationem: ita per unius justitiam justificatio venit in *omnes* homines, ad justificationem vitæ. Resp. Nempe in omnes qui Christo tanquam alteri Adamo per fidem inseruntur. nam quód non intelligatur de singulis hominibus, ipse mox versu sequente declarat: ubi eandem sententiam repetens, pro vocabulo *Omnis* substituit vocabulum *Multi.* 2.Timoth.2.v.4. Qui (Deus) omnes homines vult servari & ad agnitionem veritatis venire. Et mox. v.6. Qui (Christus) seipsum dedit redemtionis pretium pro omnibus. Resp. Vocabulum OMNES hic significat non singulos, sed omnis ordinis homines: ut liquet ex collatione vers.1.& 2. Tit 2.v.11. Illuxit gratia Dei salutifera omnibus hominibus. Resp. Hic quoque vocabulum OMNES notat omnis ordinis homines: ex collatione loci modó citati ex 1.Tim.2. 2.Pet.3.v.9. Patiens est Dominus erga nos, non volens aliquos perire, sed omnes ad resipiscentium tendere. Resp. Petrus loquitur non de singulis hominibus, sed de solis electis. ait. n. Erga *nos.* nempe qui per Euangelium sumus vocati, & adhuc vocamur, ac proinde habendi in numero Electorum. 1.Joh.2.v.2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solúm, sed etiam pro totius mundi peccatis. Resp. Vocabulo Mundi non intelligit Johannes singulos homines in mundo, sed tantúm

omnes

omnes credentes. ait enim, Pro peccatis nostris. Scilicet qui credimus in Christum. Usus hujus doctrinę est, ut eó majores gratias Deo agamus, quód præteritis multis aliis, nobis Christum in servatorem donavit: quum tamen æternam damnationem non minús ac alii, meriti simus.

Ex v. 17. & 18. Cavendum ne verbis Apostoli abutamur ad stabiliendum dogma Pontificiorum de merito charitatis, quasi scilicet charitate promereamur favorem Dei, ac proinde ex conscientia illius meriti fiduciam habeamus in die judicii. Non enim hæc est mens verborum Johannis: sed sentit, fiduciam illam manare ex fide, quippe per quam efficimur filii Dei: at nos vera fide esse præditos, colligimus ex charitate, tanquam proprio effecto.

Ex iisdem versibus. Cavendum ne verbis Apostoli abutamur ad stabiliendum dogma de perfectione sanctitatis: quasi scilicet ita perfectè in hac vita possimus Deum & proximum diligere, ut nihil prorsus in illa dilectione possit desiderari. Non enim ista est mens verborum Johannis: sed *perfectionis* vocabulo intelligit sinceritatem & serium studium atque conatum diligendi Deum & proximum. nam quód perfectio illa qua omne peccatum excluditur, non cadat in renatos in hac vita, expressé docuit suprà c. 1. vers. 8. & 10.

Ex vers. 19. Recurrit hîc eadem observatio, quam annotavimus suprà ad vers. 10.

Ex versu 20. & 21. Dilectio Dei & proximi individuo nexu inter se cohærent. Quare qui proximum non diligit, is dilectionem Dei falsó sibi tribuit.

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

Initio monet, dilectionem proximi fidelis individuo nexu cohærere cum dilectione Dei: 2 docet unde habeamus vires ad servandum mandata Dei: 3 tum testimoniis divinis confirmat Jesum esse Christum, authorem vitæ æternæ omnibus in eum credentibus: 4 præterea hortatur ad fidem testimoniis illis habendam: adhæc commendat fidelibus preces, concipiendas tum pro seipsis, tum pro fratre peccante non ad mortem: 6. præterea fideles contra metum peccati ad mortem consolatur, eaque occasione amplissimum Domino Jesu testimonium reddit. 7 postremó monet ut sibi caveant ab idolis. Ita sunt septem hujus capitis particulæ.

DE PRIMA PARTICULA.

QUisquis credit Jesum esse Christum ex Deo genitus est: & quisquis diligit eum qui genuit, diligit etiam eum qui ex eo genitus est.

2 *Per hoc cognoscimus nos diligere filios Dei, quum Deum diligimus, & mandata ejus servamus.*

DIlectionem proximi fidelis non posse á dilectione Dei divelli, hoc syllogismo demonstrat.

Quisquis diligit genitorem, diligit etiam eum qui ex eo genitus est.

Atqui Deus est genitor fidelium, & vicissim fideles ex Deo geniti sunt.

Ergo qui diligit Deum, diligit etiam fideles.

Assumtio præcedit, ibi: *Quisquis credit* &c. Propositio annectitur, ibi: *Et quisquis diligit*, &c. Deinde monet quænam sit vera dilectio proximi, nempe quæ á dilectione Dei tanquam causa dependet. hoc significat quum ait v. 2. *Per hoc cognoscimus nos diligere* (scilicet veré) *filios Dei, quum Deum diligimus.* Tum ostendit, quanam in re dilectio Dei consistat, videl. in observatione mandatorum ejus. Hoc significat, quum per epexegesin præcedenti sententiæ annectit hæc verba, *Et mandata ejus servamus.* Quod ipsum mox v. 3. diserté exprimit, inquiens: *Hæc est enim charitas Dei* (id est, hac in re consistit charitas qua diligimus Deum) *ut mandata ejus servemus.* id est, quum ita animis affecti sumus ut studeamus servare mandata ejus.

DE SECUNDA PARTICULA.

3 *Hæc est enim charitas Dei*, qua fit *ut mandata ejus servemus*: *& mandata ejus gravia non sunt.*

4 *Quoniam quicquid genitum est ex Deo, vincit mundum*: *& hæc est victoria quæ vicit mundum*, nempe *fides nostra.*

5 *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit Jesum esse Filium illum Dei?*

Proximam sententiam de observatione mandatorum Dei, amplificat prolepsi qua occurrit opinioni difficultatis, quasi scilicet ita difficile sit servare mandata Dei, ut fideles id præstare nullo modo possint. Hoc igitur Apostolus negat, inquiens: *Et mandata ejus gravia non sunt.* id est, non sunt ita difficilia fidelibus ut eos nimium gravent, ut cogantur sub onere succumbere. Et hanc sententiam mox probat, exponens unde fidelibus suppetant vires ad præcepta Dei servandum, videl. á Spiritu adoptionis, atq; adeó ab ipsa fide per quam á Deo in filios sunt adoptati. Id exponit v. 4. inquiens: *Quoniam quicquid natũ est ex Deo, vincit mundum.* & ex consequenti servare potest mandata Dei: quum non impediatur in illis servandis á mundo id est, á cupiditatibus mundanis. tum addit, *Et hæc est victoria quæ vicit mundum, fides nostra.* nam qui certó credit, se indignũ paternè á Deo diligi propter Christum: is per hanc fidem accenditur dilectione Dei, & per cõsequens studio servandi mandata ejus. Præterea v. 5. sententiam illam de fide repetit, & clariús exponit, inquiens: *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, Jesum esse filium Dei.* Subaudi: & esse credentibus in ipsum, authorem adoptionis ac vitæ æternæ.

DE TERTIA PARTICULA.

6 *Hic ille est qui venit per aquam & sanguinem*, nempe *Jesus Christus*: *non per aquam solùm, sed per aquam & sanguinem. Et spiritus is est qui testificatur spiritum veritatem esse.*

7 *Nam tres sunt qui testificantur in cælo, Pater, Sermo, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt.*

8 *Et tres sunt qui testificantur in terra, Spiritus, & aqua, & sanguis*: *& hi tres in unum consentiunt.*

Sequentiam

Sententiam proxime pronuntiatam de Jesu, quód sit filius Dei, authorem scilicet vitæ æternæ credentibus in ipsum: deinceps confirmat testimoniis divinis. Ac primúm affert cæremonias Legales ablutionum & sacrificiorum expiatoriorum, ubi ait: *Hic ille est qui vênit per aquam & sanguinem.* quasi dicat:

Ille qui vênit per aquam & sanguinem, est filius Dei Christus.
At Jesus vênit per aquam & sanguinem.
Ergo Jesus est filius Dei Christus.

Propositio omissa est. Nititur autem ejus veritas testimonio divino Legalium ablutionum & sacrificiorum expiatoriorum: quippe per quas cæremonias Deus testatus est, Christum venturum cum sacrificio expiatorio, sen fore ut sanguis Christi fundatur ad abluendum credentes á peccatis: id quod Johannes hic vocat, *Venire per aquam & sanguinẽ.* Assumtio exprimitur, ibi: *Hic ille est &c.* & mox per commorationem repetitur, ibi: *Non per aquam solúm.* Qua repetitione Johannes videtur innuere miraculosum illud παθος, quod in Christo jam in cruce mortuo accidit, quum latere ejus lanceâ aperto, inde effluxit sanguis & aqua: quam historiam Johannes solus in suo Euangelio cõmemorat, idque cum singulari asseveratione, Joh. 19. v. 34. & 35. unde percipitur, miraculum illud mysterium esse magnæ rei: videlicet testimonium divinum de Christo & morte illius: quód nimirum sanguine ejus cum sensu iræ Dei adversus nostra peccata in cruce effuso, abluti sint credentes ab omnib. peccatis. Ex his jam intelligitur, assumtionem syllogismi propositi miraculo illo tanquam testimonio divino comprobari. Cæterúm conclusio præcessit vers. 5. Porró huic testimonio quod sumtum est ex veteri testamento, adjungit alterum quod est testamenti novi, videlicet Euangelium: quod Johannes hic vocat spiritum. sicut & Paulus 2. Cor. 3. v. 6. idq; propterea quia est ministerium Spiritus, sicut ibidem v. 9. á Paulo declaratur. Ministerium autem Spiritus dicitur, quia Spiritus sanctus per ipsum vivificat, sicut ibid. tradit Paulus v. 6. Quó etiam facit, quód Paulus Euangelium nominat testimonium Christi, hoc est de Christo. Hujus testimonii veritatem confirmat Johannes testimonio interiore Spiritus sancti, ut qui veritatem Euangelii cordibus Electorum persuadet & obsignat. Istud totum significatur his verbis: *Et spiritus* (scilicet sanctus) *is est qui testificatur* (scilicet cordibus Electorum) *spiritum* (id est Euangelium) *esse veritatem:* hoc est, verum testimonium de Christo. Hanc testimoniorum recitationem Johannes deinceps vers. 7. & 8. expolit expressione numeri, & additione testimoniorum aliorum per collationem parium, & distributionem é subjecto loco. Ait igitur: Nam tres sunt qui testificantur (scilicet de Jesu, quód ipse sit filius Dei Christus) Pater, Sermo & Spiritus sanctus. Ac Patris quidem testimonium cælitus pronuntiatum fuit in baptismo Christi, ejusdemq; transfiguratione in monte, Matth. 3. v. ult. & 6. 17. v. 5. Sermo autem, id est, Filius de se ipso testatus est tum docendo, tum doctrinam suam miraculis confirmando: Vide Joh. 4. v. 26. & cap. 5. v. 17. & deinceps: & c. 6. v. 29. & deinceps: & cap. 7. v. 46. & cap. 8. v. 12. & deinceps: & cap. 10. v. 24. & deinceps. Porró Spiritus sanctus testificatus est de Christo, primó quum Christus baptizaretur; tunc enim in specie columbæ é sublimi descendit ac super Christo requievit, Matth. 3. v. 16. Joh. 1. v. 33. & 34. deinde quum in die Pentecostes missus est super Apostolos secundum promissionem Christi: unde illi virtute ex alto induti, intrepido animo ac plenis buccis prædicarunt, Jesum esse Christum, authorem remissionis peccatorum & vitæ

æternæ omnibus in ipsum credentib. Vide Act.1.v 5.& 8.& c.2.v.1.ac deinceps. Atq; hi sunt tres testes qui testificantur in cælo:quorum testimonium confirmat á mutuo illorum consensu,inquiens, *Et hi tres unum sunt*, videlicet una essentia,ac proinde in unum consentiunt. Deinde v.8.eodem modo confirmat testimonium trium testium qui testificantur in terra: ubi per Spiritum intelligo ut antea, Euangelium: per aquam veró & sanguinem, aquam illam & sanguinem illum quæ fluxerunt ex latere Christi: quatenus iis adumbrata fuit vis atque efficacia mortis Christi, per ablutiones & expiationes Legales olim præfigurata. Nec tamen fuerit absurdum, si quis hoc loco per ἀνταράκλασιν nomine *aquæ* intelligat Baptismum; nomine veró *sanguinis* Cœnam Dominicam: dummodo vocabulum *sanguinis* accipiatur non proprié,quasi sanguis Christi jam sit in terra:sed metonymicé & synecdochicé pro sacra Cœna quæ corporis & sanguinis Christi Sacramentum est.Etenim & Baptismus & Cœna de Jesu testificantur,quód ipse sit Christus: cujus sanguis nos purget ab omni peccato, item cujus corpus & sanguis in cruce per passionem Christi effecta sint credentibus cibus ac potus vitæ æternæ. Si quis tamen aquam & sanguinem hîc eâdem significatione accipienda censeat qua paulo anté:tum Baptismi & Cœnæ Dominicæ testimonium per synecdochen contineri dicendum erit vocabulo *Spiritus*, eó quód Euangelii appendices sint, tanquam imagines scilicet & sigilla,ad illud ampliús declarandum atque obsignandum adhibita.

DE QUARTA PARTICULA.

9 *Si testimonium hominum accipimus;testimonium Dei majus est. nam hoc est testimonium Dei,quod testificatus est de Filio suo.*

10 *Qui credit in Filium Dei,habet testimonium illud in seipso: qui non credit Deo,mendacem eum fecit; quia non credidit testimonio quod testificatus est Deus de Filio suo.*

11 *Est autem hoc testimonium*,nempe *quód vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in Filio ejus est.*

12 *Qui habet Filiũ,habet vitam:qui non habet Filium Dei, vitam non habet.*

13 *Hæc scripsi vobis qui creditis in nomen Filii Dei: ut sciatis vos vitam æternam habere,& credatis in nomen Filii Dei.*

Hic hortatur ad fidem testimoniis illis habendam. Ac primúm v.9.testimonium Dei patris commendat per comparationem minoris,videlicet testimonii hominum. Deinde versu 10. & deinceps commendat fidem quæ testimonio illi habetur,& contrá incredulitatem damnat.Ac fidem quidem commendat ab effectu utili, videl.vita æterna: incredulitatem veró damnat partim ab adjuncta impietate,quia Deum facit mendacem: partim ab effectu inutili,quia hominem excludit á vita.Postremó versu 13. doctrinam hanc de utili effectu fidei,specialiter applicat iis ad quos scribit: atq; hunc ipsum fuisse scriptionis suæ scopum affirmat.

DE QUINTA PARTICULA.

14 *Et hæc est fiducia quam apud eum habemus; ipsum, siquid petierimus secundúm voluntatem ejus, nos audire.*

15 *Quód si scimus eum audire nos; quicquid petierimus,scimus nos habere petitiones quas ab eo petiimus.*

16 Si

16 *Si quis viderit fratrem suum peccare peccato* quod *non* tendit *ad mortem, petet, & dabit ei vitam: peccantibus* dico *non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget.*

17 *Omnis injustitia peccatum est sed est peccatum* quod *non* tendit *ad mortē.*

Hic commendat fidelibus preces, idque (ut videtur) per prolepsin. nam contra illud de effectu fidei pronuntiatum, poterant excipere, se vitam æternam nondum habere: ut qui adhuc peccatum circumferant & variis miseriis subjecti sint. Respondet Apostolus, interim habere ipsos fiduciam petendi, atque impetrandi á Deo quicquid adhuc ad perfectionem vitæ æternæ deest: dummodo petant secundùm ejus voluntatem. Significat igitur, credentes habere initium vitæ æternæ: quod autem adhuc deest, precibus impetrari ut addatur, donec suo tempore sequatur perfectio, videlicet post hanc vitam. Versu 16. alium usum precum ostendit ac præcipit, videlicet ut adhibeantur pro fratribus quos viderimus peccare non ad mortem, id est ejusmodi peccato, quod non certam mortem sive exitium secum trahit. Itaque peccatum ad mortem diserté excipit. Est autem illud quod aliâs nominatur peccatum & blasphemia in Spiritum sanctum: quippe quod Christus remitti posse negat, nempe quum quis veritatem Euangelii per illuminationem ac testificationem Spiritus sancti á se intellectam & creditam, ex diabolica malitia negat & blasphemat, illiusq; confessores odit ac persequitur. Versu 17. declarat, quid intelligat per peccatum non ad mortem, videlicet omnem ἀδικίαν, id est, injustitiam: quo vocabulo videtur significare omnis generis peccata quæ admittuntur contra utramque Legis tabulam, ita ut nec Deo nec proximo suum tribuatur. *Matth. 12.*

DE SEXTA PARTICULA.

18 *Scimus quòd quisquis genitus est ex Deo, non peccat: sed qui genitus est ex Deo, conservat seipsum, & Malus ille non tangit eum.*

19 *Scimus nos ex Deo esse; at mundus totus in Malo illo jacet.*

20 *Sed scimus Filium* DEI *venisse, & dedisse nobis mentem ut cognoscamus Verum illum: & sumus in Vero illo, & in Filio ejus Jesu Christo. hic est verus ille Deus, & vita illa æterna.*

Quoniam mentionem fecit peccati ad mortem, nunc fideles consolatur: ne metuant fore ut in illud incidant, atque ita æternùm pereant. Hoc igitur Apostolus fieri posse negat, propterea quód ex Deo geniti sint. Contrá, reprobos isti peccato obnoxios esse, ut qui toti jaceant in maligno illo, id est, diabolo: Vere credentes autem esse in vero illo, id est, in Deo, tum Patre tum Filio: ac proinde habere ac retinere vitam æternam.

DE SEPTIMA PARTICULA.

21 *Filioli, cavete vobis ab idolis. Amen.*

Ad extremum monet ut sibi caveant ab idolis: quippe quæ fidei Christianæ ex diametro adversentur.

SCHOLIA IN CAP. V.

1 *Ex Deo genitus est.* ἐκ θεοῦ γεγέννηται. Confer Johan. 1. v. 12. 13. *Eum qui genuit.* τὸν γεννήσαντα. Seu genitorem, id est, patrem cujuspiam. Est enim sententia hæc generalis, ex medio petita.

3 *Charitas Dei.* ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ. Qua scilicet diligimus Deum. ut patet ex ipsa sententia. Qua fit *ut mandata*, &c. ἵνα τὰς ἐντολὰς, &c. Similis appositio ἐπεξηγητικὴ fuit supra cap. 4. v. 17. & cap. 3. v. 23. *Gravia non sunt.* Βαρεῖαι οὐκ εἰσίν. Intellige, credentibus in Christum. Etenim jugum Christi illis suave est, & onus ejus leve, Matth. 11. v. ult. Facilitatis autem hujus causa efficiens exponitur versu sequente.

4 *Quicquid genitum est ex Deo.* πᾶν τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ θεοῦ. Id est, Quicunque geniti sunt ex Deo. nam de solis hominibus loquitur. Synecdoche generis. *Vincit mundum.* νικᾷ τὸν κόσμον. Id est, cupiditates mundi, quibus scilicet mundus indulget. *Fides.* ἡ πίστις. Nam ubi fides, ibi etiam nova obedientia. Fieri enim nequit, quin qui certò persuasus est, sibi indigno missum esse á Deo filium unigenitum in servatorem: is studeat Deo placere & gratiam pro tanto beneficio referre per obedientiam erga mandata ipsius.

5 *Jesum esse filium Dei.* ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ. Intellige ut supra vers. 15.

6 *Per aquam & sanguinem.* δι' ὕδατος καὶ αἵματος. Confer Joh. 19. v. 34. & 35. *Non per aquam solum.* οὐκ ἐν τῷ ὕδατι μόνον. Ἐν pro διὰ, ut patet ex membro præcedente. *Et Spiritus.* καὶ τὸ πνεῦμα. Nempe Spiritus sanctus. *Is qui testificatur.* τὸ μαρτυροῦν. Scil. cordibus nostris. *Spiritum esse*, &c. ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστι. Id est, Euangelium: ut 2. Cor. 3. v. 6. Metonymia adjuncti: quia Spiritus Euangelio adjunctus est sua efficacia in electis.

7 *Tres sunt*, &c. τρεῖς εἰσιν, &c. Syntaxis est; *Tres sunt in cælo qui testificantur*, Scilicet de Christo: eum esse Filium illum Dei. Neque enim hoc dicitur: tres illos testari in cælo seu apud cælites: sed significatur, esse testes cælestes, qui quidem de Christo testificati sunt in terra apud homines. *Unum sunt.* ἓν εἰσι. Videlicet essentiâ, ac proinde etiam voluntate. Sic Johan. 10. v. 30. ait Christus, Ego & Pater unum sumus. Scil. essentiâ, ac proinde etiam potentiâ.

8 *Et tres sunt.* καὶ τρεῖς εἰσιν. Similis syntaxis ut v. 7. *Spiritus.* τὸ πνεῦμα Id est Euangelium: ut in fine versus sexti. *Et aqua & sanguis.* καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ αἷμα. Sive aqua illa & sanguis ille qui effluxit é latere Christi mortui in cruce: sive aqua Baptismi & poculi Domini quod sanguinis ipsius symbolum est. *In unum consentiunt.* εἰς τὸ ἓν εἰσιν. Ad verb. In unum sunt. scil. directa: hoc est, in unum tendunt: eundem scopum atque finem propositum sibi habent, videlicet testari de Christo.

9 *Testimonium Dei majus est.* ἡ μαρτυρία τοῦ θεοῦ μείζων ἐστί. Id est, multo magis accipere debemus testimonium Dei: quippe quod est majus seu fide dignius. Synecdoche metonymica: qualis supra cap. 3. v. 20.

10 *Testimonium illud.* τῶν μαρτυρίαν. Videlicet testimonium illud Dei, cujus modó facta mentio. Non igitur negligenda hoc loco vis articuli διαφορικὴ. *Mendacem eum fecit.* ψεύστην πεποίηκεν αὐτόν. Ut supra cap. 1. vers. ult.

11 *In filio ejus est.* ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἐστιν. Scil. tanquam in fonte unde in credentes manat. Etenim ex plenitudine ejus accepimus omnes: Joh. 1. v. 16.

12 *Qui habet Filium.* ὁ ἔχων τὸν υἱόν. Habetur is autem per fidem: quippe per quam habitat in cordibus nostris, Eph. 3. v. 17.

13 *Qui credit in nomen filii Dei.* τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ. Id est, qui fiduciam salutis repositam habetis in filio Dei. *Ut sciatis*, &c. ἵνα εἰδῆτε, &c. Confer Joh. 20. v. 31, ubi hæ ipsæ duæ sententiæ continentur,

sed

sed ordine inverso,& quidem naturali.nam fides vitam antecedit,ut causa efficiens effectum.

14 *Apud eum.* πρὸς αὐτὸν. Videlicet Deum. *Nos audire.* ἀκούει ἡμῶν. Id est, exaudire & dare quæ petimus. Metonymia effecti destinati synecdochica.

15 *Nos habere petitiones.* ὅτι ἔχομεν τὰ αἰτήματα. Id est, ea quæ petierimus. Habere, id est, impetrare ab ipso.

16 *Peccare.* ἁμαρτάνοντα. Pro, ἁμαρτάνειν Græcismus. *Peccare peccatum.* ἁμαρτάνοντα ἁμαρτίαν. Ad verb. Peccare peccatum. Græcismus. Quod *non tendit ad mortem.* μὴ πρὸς θάνατον. Scil. τέλος ἔστιν, vel φέρουσαν. *Petet.* αἰτήσει. Id est, rogabit Deum pro illo fratre ut ei ignoscat data resipiscentiâ. *Ea dabit.* τὴν δώσει. Nempe Deus rogatus. *Ei.* αὐτῷ. Fratri illi. Fratris autem nomine intelligit proximum qui eandem nobiscum fidem, ac proinde eundem in cælis patrem profitetur. *Vitam.* ζωὴν. Videlicet vitam æternam: remissis scilicet illi peccatis propter Christum. *Pro illo.* τοῖς ἁμαρτάνουσι. Pro, ὑπὲρ ἐκείνης. *Ut roget.* ἵνα ἐρωτήσῃ. Scil. τις, aliquis.

18 *Non peccat.* οὐχ ἁμαρτάνει. Scil. ad mortem: ex collatione præcedentium. *Conservat se ipsum.* τηρεῖ ἑαυτὸν. Sollicité sibi cavet ab illa blasphemia in Spiritum sanctum quæ est peccatum ad mortem rectâ tendens ac certò ferens. *Malus ille.* ὁ πονηρὸς. Id est, diabolus. *Non tangit eum.* οὐχ ἅπτεται αὐτοῦ. Non potest illum inducere in istam blasphemiam, atque ita lethaliter tangere.

19 *Mundus totus.* ὁ κόσμος ὅλος. Id est, omnes non-renati. Observa, vocabulum mundi hic aliter accipi quàm suprà cap. 2. v. 2. Illic enim Apostolus sese & Christianos ad quos scribit, fecit partem mundi: at hic se & illos mundo opponit tanquam ab illo separatos. *In malo illo.* ἐν τῷ πονηρῷ. Id est, diabolo: ut versu præcedente. *Jacet.* κεῖται. Id est, illi addictus est.

20 *Venisse.* ὅτι ἥκει. Aut legendum ἦκε, in aoristo primo: aut fuerit enallage temporis. *Verum illum.* τὸν ἀληθινὸν. Videlicet verum illum Deum: ut mox ipse declarat in fine versus: & cui versu ultimo opponit idola, tanquam deos falsos atque fictitios. Confer Johan. 17. v. 3. *Et sumus in Vero illo.* καὶ ἐσμεν ἐν τῷ ἀληθινῷ. Videlicet Deo Patre. Et *in filio ejus.* ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ. Deesse hic conjunctionem copulativam, ex reipsa planum est. Etenim absque illa fuerit appositio, qua unus & idem dicetur sui ipsius filius: id quod simpliciter impossibile est. *Vita illa æterna.* ἡ ζωὴ αἰώνιος. Id est, vitæ æternæ author omnibus in eum credentibus.

OBSERVATIONES EX CAP. V.

Ex v. 1. & 2. Recurrit observatio annotata ad finẽ capitis præcedentis.

Ex v. 1. Fidei justificantis principale objectum est Christus, videlicet qualis proponitur in Euangelio.

Ex eodem versu. Fides justificans originem suam habet á Deo, quatenus is hominem regenerat suo Spiritu, per prædicationem scilicet Euangelii. Confer Johan. 1. v. 12. & 13.

Ex v. 2. Ea demùm vera est proximi dilectio, quæ á dilectione Dei manat.

Ex v. 2. & 3. Is demum mandata Dei verè servat, qui Deum diligit, ac proinde qui eum pro patre in Christo agnoscit.

Ex iisdem versibus. Is demum Deum diligere putandus est, qui mandata ejus servare studet.

Ex

Ex v.3. Quum Johannes hoc loco dicat, mandata Dei non esse gravia, id est difficilia observatu: considerandum venit, quomodo hoc dictum cósentiat cum iis Scripturę locis ubi traditur, Legem esse jugum importabile, Act.15.v.10. item impossibile fuisse Legi hominem justificare, eó quód infirmabatur per carnem, Rom.8.v.3. item Legem esse spiritualem, hominem verò carnalem, Rom.7.v.14. Tenendũ igitur, Legem esse observatu impossibilem, tum non-renatis, tum etiam renatis; quo ad observationem perfectam & omnibus numeris absolutam; qualis requiritur in iis qui per Legem volunt justificari & vitam æternã consequi: Veruntamen non esse impossibilem observatu renatis, quo ad inchoationem. De hoc posteriore modo observandi Legé loquitur hoc loco Johannes: de priore verò illo loquuntur loca allegata. Unde jam perspicitur loca illa cum hoc non pugnare.

Ex v.4.& 5. Fides Christiana non est res otiosa, sed exercet perpetuum certamen cum mundo, id est, concupiscentiis pravis quibus indulget mundus, illasq; per gratiam Spiritus sancti vincit: ita nimirum ut illis non permittat regnum aut dominatum, sed eas subigat & cohibeat.

Ex v.6.& deinceps. Notanda sunt testimonia divina, quibus confirmatur; Jesum Mariæ virginis filium, esse filium Dei, & Christum seu servatorem mundi.

Ex v.6. ex verbis. *Qui venit per aquam & sanguinem.* Ceremoniæ Legales (ut ablutionum & sacrificiorum expiatoriorum) institutæ fuerunt, ut populum erudirent de Christo venturo, ac in fide illius confirmarent. Confer Galat.3.v.23.& 24. Hebr.8.v.5. & cap.9.vers.9.23.24. & cap.10.vers.1.& deinceps.

Ex iisdem verbis. Sanguis Christi (quatenus nimirum effusus est in cruce cum sensu iræ Dei) vim habet purgandi á peccatis omnes eos qui in ipsum credunt.

Ex eodem versu, ex verbis: Spiritus est is qui testificatur Spiritum veritatem esse. Ministerium Euangelii adjunctam habet efficaciam Spiritus sancti, obsignantis illud cordibus electorum. Quare ministerio illo reverenter est utendum.

Ex v.7. Tres personæ S. Trinitatis sunt una essentia seu unus Jehova. Confer Deut.6.v.4. Johan.10.v.30.

Ex v.8. Unus & idem scopus atque usus est Baptismi & Cœnæ Dominicæ qui est ipsius Euangelii: videlicet testificari de Christo, & per consequens fidem nostram confirmare. Quare illis abuntur qui utuntur in alium finem: ut qui in illis quærunt remissionem peccatorum. Hæc observatio nititur illa expositione qua per aquam & sanguinem hîc intelligitur Baptismus & Cœna Dominica: per Spiritum verò Euangelium.

Ex eodem versu. Cavendum hic est sophisma eorum qui hoc loco abuntur ad stabiliendum falsum dogma de præsentia corporali corporis & sanguinis Christi in terra, videlicet in pane & vino Cœnæ Dominicæ. Nam etsi illis concedatur (quod tamen concedi non est necesse) per sanguinem hîc debere intelligi Cœnam Dominicam: non tamen hinc sequitur, sanguinem Christi jam esse in terra. quia Cœna Dominica appellabitur sanguis (videlicet sanguis Christi) non propriè loquendo: sed per tropum metonymiam, eó quód sanguinis illius sacramentum est, testificans nimirum quôd sanguis ille fit effusus pro nobis in remissionem peccatorum. Quare sophisma istud nititur falsa hypothesi, quasi scilicet vocabulum *sanguinis* de Cœna Dominica hoc loco intellectum, necessariò intelligendum

dum sit propriè: non autem possit ac debeat intelligi per tropum, Scripturis sacris & articulis fidei consentaneum.

Ex v.9. & 10. Fidei Christianæ proprium objectum est testimonium Dei seu Euangelium.

Ex v.9.10. & 11. Euangelium est testimonium Dei de Jesu Christo, quód is sit filius Dei & author vitæ æternæ, omnibus in ipsum credentibus.

Ex v.11.12.13. Vita æterna in solo Christo quærenda est. quare qui eam alibi quærunt (ut in suis operibus) non invement.

Ex v.13 ex verbis, Ut *sciatis*. Fides Christiana non est opinio seu persuasio incerta, sed est certa notitia qua quis scit se vitam æternam per Christum habere. Confer suprá 3.v.3. Rom.8.v.38.& 39.

Ex v.14. Recta precandi ratio est, ut precemur secundúm voluntatem Dei.

Ex v.14 & 15. Preces fidelium á Deo exaudiuntur, si fiant secundúm voluntatem Dei.

Ex v.16. Precandum est pro fratribus peccantibus ex ignorantia aut infirmitate, ut ad resipiscentiam adducti serventur.

Ex eodem versu. Si quos animadvertamus veritatem cælestem agnitam petulanter blasphemare, illos justo Dei judicio relinquere debemus.

Ex v.17. Peccatorum sunt certi gradus: quorum summus est peccatum quod hic vocatur ad mortem: id est, quod certam mortem secum trahit: videlicet blasphemia in Spiritum sanctum, ut nominatur á Christo: quod peccatum nequaquam remissum iri, idem Christus diserté pronuntiat Matth.12.v.31. & 32. Etsi enim Deus sit summé misericors, ac proinde gravissima quoque scelera remittat: tamen remittit iis tantúm, qui ad misericordiam ipsius & satisfactionem Christi confugiunt: id quod non faciunt qui peccant in Spiritum sanctum. Nec verò id facere possunt, obstante justo judicio Dei: qui se non patitur irrideri & Spiritum suum mendacii petulanter argui. Vide Hebr.6.v.4.& deinceps. & cap.10.v.26.& deinceps.

Ex v.18. Qui vera fide præditus est, is tutus est á peccato in Spiritum sanctum. Interim verò opera danda ut in fide confirmemur per serium & continuum studium pietatis.

Ex eodem versu. Etsi diabolus filiis Dei insidiatur, non tamen eos potest tangere lethaliter,& per consequens non potest eis eripere fidem.

Ex v.19. Cúm mundus in malo (id est, diabolo) jaceat: ergo voluptates mundi cavendæ sunt, ne in potestatem diaboli veniamus.

Ex v 20. Cognitio salvifica Dei, est singulare donum Dei. Cófer Matth. 16.v.17.& cap.13.v.11. Johan 6.v.44.& 45 Ephes.2.v.8.

Ex eodem versu. Christus est noster servator non solúm suo merito, quatenus nimirum sua morte nobis meritus est remissionem peccatorum & vitam æternam, sed etiam suâ efficaciâ: quatenus nimirum per verbum & Spiritum sanctum dat mentem ut rectè cognoscamus Deum.

Ex eodem versu. Notandum est expressum testimonium deitatis Christi.

Ex versu ult. Sincerus Dei cultus cum cultu simulachrorum consistere non potest. Quare Papistæ quum simulachra colant, Deum rectè colere non possunt.

PARA-

PARAPHRASIS PRIMÆ EPISTOLÆ S. JOHANNIS.

CHARISSIMI Christiani, doctrina Euangelii quam ego aliique Apostoli vobis annuntiarunt, & de qua nunc ad vos scribere instituo, meritó à vobis maximi fieri debet. Est enim præstantissima, utilissima, certissimaque. quippe disserit de Jesu Christo, homine scilicet non vulgari, sed qui idem est filius Dei unigenitus & sermo Patris æternus ac proinde verus Deus: ut qui á principio creationis mundi jam fuerit apud Deum patrem, fruens perfectissimé vita æterna. Porró ad hujus vitæ communionem pro sua bonitate unâ cum Patre & Spiritu sancto initio hominem creavit: ex qua cúm ille per inobedientiam suam excidisset, ex ingenti misericordia à Patre in hunc mundum missus & populo suo patefactus fuit in assumta carne, ut vitam amissam recuperaret omnibus qui in ipsum crediturí essent. Cæterúm de hujus doctrinæ certitudine non est quód quicquam dubitetis: quum nos Apostoli eam ex ipsius Jesu ore audiverimus: ac præterea tum ipsum, tum ea quæ salutis nostræ causâ egit & perpessus est, oculis nostris conspexerimus, atque ita gloriam illam & majestatem cælestem, tanquam filii unigeniti á Deo patre egressi, cótemplati simus: necnon sanctissimũ ipsius corpus tum ante tum post resurrectionem ejus manibus nostris contrectaverimus. Quæ quum ita sint: propositum mihi est, sublimem hanc & salutarem eandemque certissimam doctrinam scripto comprehendere & ad vos mittere: ut in fide illius confirmati, communionem habeatis nobiscum qui Jesu Christi sumus Apostoli ac testes ab ipsomet delecti: atque adeó ut unâ nobiscum communionem habeatis in vita æterna cum ipso Deo patre & cum filio ejus Jesu Christo, atque ex hac communione gaudio solido & perfecto fruamini.

Ut igitur gaudio isto frui possitis, ac certi sitis vos communionem cum Deo habere: necesse est vos ambulare in luce sanctè vivendo. quod ni feceritis: mendax fuerit vestra professio, qua vos communionem cum Deo habere profitemini, dum vos profitemini Christianos. Necesse est, inquam, vos ambulare in luce sanctè vivendo: có quód Deus lux sit & perfectè sanctus, ita ut nullæ tenebræ nulláve impuritas locum in eo habeant. Quod si igitur vos quoque sanctitati studeatis atque ita in luce ambuletis: duplicẽ hunc fructum inde cõsequemini: laudem veritatis in profitenda fide Christiana & confirmationem fidei de communione vestra cum Deo, ac proinde etiam de remissione peccatorum per Christi sanguinem omnibus in illum credentibus parta. Etenim communionem cum Deo habere non potest, qui non priús á peccatis suis fuerit purgatus. Hanc autem purgationem omnibus credentibus impetravit Christus suo sanguine: quum illum propter peccata ipsorum effundi passus est in cruce cum sensu iræ Dei: quippe qui se sponsorem ac mediatorem inter Deum & nos interposuerat, ut justo illius judicio pro nobis satisfaceret, peccatis nostris in sese susceptis. Nec veró dubitandum, quin ad hanc satisfactionem præstandam fuerit idoneus:

idoneus: quippe qui fuit (ſicut etiamnum eſt & in æternum permanebit) verus & ſanctus homo, atque inſuper filius Dei unigenitus, ac proinde verus Deus. Neceſſe eſt igitur ſanguinem ejus pro nobis redimendis effuſum, fuiſſe longe-pretioſiſſimum: ut qui fuerit ſanguis filii Dei, atque adeó ſanguis Dei. Quumque ira Dei immenſa ſit & velut ignis conſumens, ſub cujus onere etiam ſanctiſſimis creaturis ſuccumbendum eſſet: Chriſtus potentiâ ſuæ deitatis naturam ſuam humanam in iræ illius ſenſu ſuſtentavit, ut eam ſuperaret & ex morte æterna evaderet. Ne dubitemus igitur quin Chriſtus ſanctiſſima paſſione ſua pro nobis perfectiſſimè judicio Dei ſatisfecerit, nobiſq; ſanguine ſuo remiſſionem peccatorum omnium impetrârit. Caveamus autem nobis, ne nobis per nos ipſos ſancti & ab omni peccato puri videamur. Etenim qui hac opinione tenetur, is ſe ipſum fallit & (quod peſſimum eſt) ſacrilego auſu Deum mendacii arguit: quippe qui in verbo ſuo, tum Legis tum Euangelii, homines univerſos peccati arguit atq; convincit. Si verò peccata noſtra, quantumvis magna, ſinceré Deo confiteamur, eorumque remiſſionem propter Chriſti ſatisfactionem ab eo petamus: non eſt quod dubitemus quin ille nobis peccata noſtra remittat, noſque ab omni iniquitate purget. id enim ſe facturum promiſit: & in promiſſis ſuis ſervandis ſemper fidelis ac juſtus compertus eſt.

Exhortor igitur vos, chariſſimi filioli, ut tanti beneficii perpetuó memores, á peccando vobis ſollicité caveatis. Si quis tamen (ut fit) ex infirmitate peccârit: is ne propterea de gratia Dei deſperet, ſed ſeſe erigat hac certiſſima fide, quód Deus noſter pater eſt, ut qui nos ſibi per fidem genuerit ac in filios adoptârit: quódq; apud hunc totius mundi judicem habemus advocatum fideliſſimum eundemq; illi gratiſſimum, videlicet Jeſum Chriſtum juſtum. Qui quidē non ſolúm continenter pro nobis interpellat, ſed etiam ipſemet judicio Dei pro noſtris peccatis ſatisfecit, eumq; nobis propitium reddidit ſacrificio mortis ſuæ: nec verò nobis ſolúm, ſed omninó credentibus & electis omnibus qui unquam in toto mundo vixerunt, vivunt aut victuri ſunt. Quare non eſt quod dubitemus quin Deus paterno amore nos proſequatur, & quin viciſſim á nobis ſit diligendus. Cap. 2.

Si autem Deum veré diligimus, fieri non poterit quin mandata ejus ſervare ſtudeamus. Etenim qui ſe vera notitia & dilectione Dei præditum eſſe gloriatur, nec tamen ad mandata ejus ſervanda omni ſtudio atque conatu incumbit: is mendax eſt & veritas in eo non eſt. Qui autem ſermoni ejus ſervando ſtudet: is demum certum atque evidens teſtimonium apud ſe habet, quód Deum veré diligat & in eo habitet, & denique communionem cum eo habeat.

Nec verò eſt quód quiſquam putet, me dum de dilectione Dei & proximi præcipio, afferre præceptum novum & ante hunc diem inauditum. Etenim hoc ipſum præceptum vos audiviſtis ab Apoſtolis aliisve Euangelii miniſtris jam inde á principio veſtræ vocationis: & hoc præceptum Chriſtus ipſe Apoſtolis ſingulariter commendavit. Et quanquam ipſum appellavit novum: tamen nō ita novum eſt quaſi nō idem jam olim in Lege quoq; fuerit traditū: ſed quód eo præcipiatur verus Dei cultus ex vera volūtatis divinæ cognitione promanans, qui nimirū priſtinis ignorātiæ ac impietatis tenebris adverſatur. Qui quidem verus Dei cultus ut fuit in Chriſto, ita in vobis quoq; eſſe debet: quippe qui in luce cognitionis Dei vos eſſe dicitis. Nam ſi dum hoc dicitis, interim proximos odio haberetis: certé aliud de vobis ſentiri atq; pronuntiari nō poſſet, quám vos adhuc in

tenebris

tenebris ignorantiæ Dei versari. Qui autem in tenebris ambulat, exitio proximus est: sicut contrá qui ambulat in luce, inoffenso gradu pergit quó vult. Quapropter ut & exitium evitetis, & inoffenso gradu in cælum tendentes, tandem có perveniatis: necesse est, ut odio fratrum ex animis expulso, fraterno eos amore prosequamini.

Nec verò est, charissimi filioli, quód quisquam vestrûm putet, scriptioni atque exhortationi huic supervacaneam operam apud vos á me impendi, quasi ad vos non pertineat. Pertinet enim certé ad vos universos & singulos ad quos scribo, cujuscunque etiam sitis ætatis.

Primó enim ad universos quod attinet: remissa sunt vobis á Deo peccata propter nomen Christi. An non igitur æquum est, ut Deum Patrem & Christum pro tanto beneficio vicissim diligatis, & proximum propter illos? Deinde verò si diversæ vestræ ætatis rationem considerare velitis, etiam sic maxima Dei erga vos beneficia reperietis, quæ vos ad dilectionem Dei & proximi obstringunt. Nam sive patres & ætate jam provecta sitis; ac proinde recordatione rerum antiquarum gaudetis: cogitandum est vobis, vos per gratiam Dei cognovisse illum qui apud Deum patrem erat á principio mundi. Si verò sitis adolescentes ac ætatis mediæ, quæ viribus inprimis ac robore gaudere solet: cogitabitis, vos per Spiritum Dei tantis viribus tantóq; robore animi instructos esse, ut malum illum, malignum inquam illum spiritum diabolum, per verbum Dei in vobis habitans viceritis. Denique si sitis pueruli, ætatis scilicet infimæ, inter eas quæ discendi capaces sunt: considerabitis, vos jam per Spiritum Dei adeptos ut noscatis Patrem illum cælestem, paternumque illius erga vos amorem certis signis percipiatis. Quæ quum ita sint: inprimis vos senes & adolescentes moneo, ut memores quanta beneficia á Deo acceperitis, eum verè diligatis, ac proinde ab amore mundi vobis caveatis. Etenim vobis præcipuè á mundo periculum imminere video. At amor mundi ac rerum mundanarum cum amore Dei, qui á vobis (ut intellexistis) requiritur, consistere non potest: quippe illi contrarius. Nam quæcunque sunt studia & voluptates mundi, ut libidines atq; comessationes, quibus plerumque adolescentia abripi solet: item voluptas oculorum in contemplandis divitiis atque opibus, qua voluptate plerumque irretitur senectus: deniq; superbia & fastus, qui tum adolescentes corripere solet propter corporis præcipuè bona, ut pulchritudinem, robur, agilitatem: tum verò etiam senes, propter bona externa, divitias ac opes: omnia hæc inquam non sunt ex Patre, sed ex mundo. Non potest igitur istarum rerum amor cum amore Dei consistere. Et quid quæso utilitatis ex amore mundi reportaretis: quum mundus interiturus sit & quicquid ipse concupiscit? Contrá verò si præstetis voluntatem Dei, sanctè vivendo secundúm mandata ipsius, ac proinde tum ipsum tum proximum diligendo: certum est vos mansuros in æternum & beata immortalitate unâ cum ipso fruituros.

Cæterúm ut ad vos pueruloſ revertar, moneo vos inprimis ut caveatis vobis á seductoribus. Audivistis enim, venturum Antichristum tempore ultimo. At nunc est tempus ultimum: quippe quod inde á patefacto Euangelio cœpit: quo fit ut jam multi Antichristi & seductores in Ecclesia exorti sint, qui sunt insignis illius Antichristi suo tempore patefaciendi & in Ecclesia dominaturi, veluti præcursores quidam. quid enim? an non Antichristus est Cerinthus & sectatores illius, qui negant Christi deitatem? Atq; illi é nobis quidem egressi sunt, quippe fidem Christianam ad tempus

unâ

unâ nobiscum professi: veruntamen ex nobis non erant. nam si ex nobis fuissent, fide scilicet Christiana veré præditi; permansissent utiq; nobiscũ, nec á veræ fidei professione defecissent. Sed providentiâ Dei accidit ut deficerent: ut ita nobis patefieret, nó omnes esse ex nobis qui se ex nobis esse profitentur. quippe quamdiu Ecclesia in his terris deget: semper paleæ tritico, zizania bono semini, hirci ovibus; hoc est, hypocritæ vere-credentibus admixti erunt. Quare non est, charissimi pueruli, quód seductorũ illorum apostasiâ nimiũm perturbemini. Vos enim unctionem habetis, sanctum scilicet Spiritum, á sancto illo, Domino nostro Jesu Christo: ac proinde nostis omnia quæ ad salutem æternam necessaria sunt. Nec verò scripsi hæc vobis, tanquam veritatem ignoretis: sed potiús ut in veritatis notitia vos confirmem, & ut mendacium eó diligentiús caveatis. Est autem mendacium manifestarium seductorum istorum, qui negant Jesum esse Christum & filium Dei; quod dum negant, Patrem simul negant: quippe quum Pater sit in Filio & Filius in Patre. Quare non est quód illis aures præbeatis, quum dicunt, se credere in verum Deum. Verus enim Deus, est Pater ille æternus unâ cum Filio & Spiritu sancto. Itaque quisquis Filium negat, is nec Patrem habet, ac proinde falsó de vero Deo gloriatur. Vos autem, charissimi pueruli, retinete firmiter doctrinam Apostolorum quam audivistis á principio. Sic fiet ut in Filio & Patre maneatis, & vitam æternam ex illius promissione adipiscamini. Porró de his vos admonere volui, etsi non ignorabam, vos Spiritum sanctum á Christo accepisse, ac proinde non necesse habere ut quisquam vos tanquam istarum rerum rudes doceat. Veruntamen utile est, vos de his rebus admoneri, confideréque Spiritum sanctum qui magister est veritatis, sicut hactenus de omnibus ad salutem necessariis vos docuit, & etiam nunc docet: ita deinceps quoque docturum, vosq; in omnem veritatem introducturum.

Nunc igitur, filioli: omnes inquam vos, sive pueruli, sive adolescentes, sive senes: manete in Christo constanti fide: ut quum is patefactus fuerit in secundo suo adventu, quum scilicet venturus est ad judicandum vivos & mortuos: non pudefiamus coram eo instar perfidorum apostatarum, sed cum fiducia & læta conscientia eum excipiamus, & ab eo in cælum recipiamur. Et quoniam nostis, Deum qui ad cæleste filii sui regnum vos vocavit, & in filios vos adoptavit, esse justum: id quoque cogitandum vobis est, in studium justitiæ incumbendum vobis esse, ut ita vos ex Deo natos esse comprobetis.

Et certé diligenter vobis perpendendum judico, quanta hæc sit dignitas & quantum amoris Dei erga nos argumentum, quód ex ipso nati, nominamur ac sumus filii Dei. Etsi autem mundus pro talibus nos non agnoscit, quin potiús pro deterrimis habet: id tamen offendere nos non debet. quippe quum in causa sit ignorantia Dei qua mundus laborat. Etenim si Deum nossent, agnoscerent quoque filios ejus: ut qui patris ingenium referant. Neque etiam est quód vos moveant miseriæ quibus in hac vita subjecti sumus. Satis enim nobis esse debet, quód scimus nos esse filios Dei, ac proinde hæreditatem felicitatis atque gloriæ ineffabilis repositam nobis esse in cælis: quæ certó patefiet post hanc vitam: quando fiet ut Deum perfectè cognoscentes, similes ei evadamus. Hãc igitur spem quum habeamus in eo sitam: fieri non potest quin in hac quoque vita per sanctitatem similes ei evadere studeamus: ac proinde peccatum fugiamus. Et certé peccati odium ac fugam ingenerare nobis meritó debet turpitudo illius; Cap. 3.

illius: quippe quum peccatum sit Legis divinæ transgressio. Et quis pius peccatum non meritó detestetur; quum sciat, Christum ad hoc ipsum patefactum esse ut peccata *nostra* tolleret; idque tum expiando illa sacrificio suæ mortis, tum ingenerando nobis illorum odium ac fugam per Spiritum sanctum? Ex quorum illo percipimus, quám detestanda res sit peccatum, ut quod non potuerit aliter expiari nisi morte filii Dei: ex isto autẽ intelligimus, prorsus perversé agere eos qui sese Christianos ac proinde spiritu Christi præditos profitentur, nec tamen peccatum oderunt aut fugiunt. Ad hæc quum peccatum in Christo non sit: consequens est ut & fideles, qui in Christo manent, á peccato abhorreant. Quare qui peccato indulgent & frena laxant, illi cognitionem Christi & communionem cum ipso falsó jactant. Cavete igitur filioli mei, ne quis vos seducat: quasi quis possit esse justus, qui justitiæ operam non dat. Imó is demum justi nomen meretur, qui justitiam exercet: idque exemplo Domini nostri Jesu Christi. Præterea considerate quæso, unde peccatum suam habeat originem, quisve primus illius sit author. Is autem citra controversiam est diabolus: quippe qui inde á principio mundi, posteaquam per superbam rebellionem semel cum sociis suis defecit, peccare non desinit: sed tum ipse continenter peccat, tum eos qui ei auscultant, ad peccandum instigat atque impellit. Intelligitis igitur, peccata esse opera diaboli: ad quæ destruenda quum Filius Dei patefactus sit, ut paulo anté dicebamus: perversissimé certé ageremus, si operibus istis adhuc operam dare, atque ita quæ Servator noster destruit, nos iterum exstruere vellemus. Porró Christus peccata nostra destruit (ut dixi) non solúm impetrando nobis eorum remissionem propter ipsius pro nobis satisfactionem, sed etiam regenerando nos per Spiritum sanctum: qui quum sit semen Dei in nobis manens, fieri non potest ut peccato regnum in nobis permittamus. Quare qui peccato indulgent & operam dant, filii diaboli sunt: filii Dei autẽ ii demum qui sanctitati & justitiæ student, & qui fratres diligunt. Ad quam quidem dilectionem exstimulare vos vel inprimis debet, quód meministis hanc vobis nomine Christi præceptam esse jam inde á principio vocationis vestræ. Diligamus igitur fratres, non autem imitemur exemplum impii illius Cajini: qui fratrem suum instinctu maligni illius Spiritus occîdit. Quánam autem re impulsus illum occidit, nisi iniquo odio & invidiâ, eó quód fratris opera justa Deo probari videret, sua verò mala atque hypocritica opera improbari? Ne miremini igitur, fratres mei, si vos quoque mundus odit: quum videatis hoc nihil esse novi aut insoliti: sed inde ab origine mundi ita accidisse, ut impii piis infesti essent. Quin potiús contra metum mortis quam mundus nobis machinatur, id nos soletur; quód scimus nos ex morte illa æterna translatos esse in vitam: cujus rei argumento nobis est, quód fratres diligimus. Qui verò fratrem non diligit sed odit, is in morte æterna manet; quippe quum quisquis fratrem suum odit, homicida sit: nullus autem homicida vitam æternam in se manentem habeat. Porró tantum abest ut fratres odisse & occidere debeamus, ut potiús tanto eos amore debeamus complecti, ut etiam mori pro illis parati simus. hæc enim demum perfecta est charitas: cujus exemplum Christus nobis præbuit: quippe qui animam suam pro nobis posuit. Quid ergo de illis sentiendum putamus, qui quum charitate Dei præditi videri velint, interim fratri cujus egestatem oculis cernunt, de copiis suis nihil suppeditant, sed viscera sua coram eo claudunt, nullaque illius miseratione tanguntur? an statuere possumus,

possumus, in talibus esse charitatem Dei? Et quomodo illi parati essent ad animas pro fratribus ponendum: qui ne de bonis quidem illius fluxis atque caducis fratri egenti erogare quicquam volunt? Solent quidem illi fratres egentes blandis verbis permulcere, atq; ita benevolum erga illos affectum mentiri. At nos, filioli mei, sinceré agamus: nec verbo solùm aut lingua, sed ipso opere ac facto testemur, quód veré fratres diligamus. Et certé tum demum vere nos filios Dei esse intelligemus, quum fratres veré dilexerimus: tùm inquam cordibus nostris certó persuadere poterimus, Deum nos paterno amore complecti: quæ res nobis veram animi tranquillitatem præstat. Quod si verò nos condemnet cor nostrum: quid bóni sperare poterimus á Deo, qui corde nostro longé potentior est, & omnia novit, etiam intimos cordis motus? Contrá si cor nostrum nos non condemnet, sed bene nobis conscii simus, ut qui voluntati Dei in fratribus diligendis studiosé simus obsequuti: tum fiduciam habemus apud Deum impetrandi ab eo quicquid petiverimus. Etenim Deus promisit, se exauditurum preces eorum qui præcepta ejus custodiunt & ea quæ ipsi placent faciunt. Hoc est autem præceptum ejus, ut credamus in Filium ejus Jesum Christum, & alii alios diligamus. Cui præcepto si obediverimus, tum constabit nobis, nos in eo & ipsum in nobis habitare: ut qui sentiamus in nobis effecta Spiritus sancti, quem ille nobis dedit.

Et quoniam Spiritus sancti mentionẽ feci; admonitos vos velim, dilecti, ne cuivis spiritui credatis, sed potiùs probetis spiritus, an ex Deo sint. nam multi pseudoprophetæ in mundũ venerunt: qui jactant quidẽ se afferre ea quæ ipsis revelata sint á S. sancto: sed interim ea afferunt quæ spiritus Antichristi eis inspiravit. Cæterúm ut istos cognoscere & á veri doctoribus discernere possitis, hoc axioma firmiter tenete: Quicunq; spiritus confitetur, Jesum Christum in carnem venisse, is ex Deo est: at quicunq; spiritus hoc negat, is ex Deo non est, sed ex diabolo: qui nimirum est spiritus Antichristi. Quod quum ita sit: intelligitis cavendum vobis esse á Cerintho & sectatoribus illius: qui dum negant Jesum esse deum, filium scilicet Dei unigenitum & æternum, negant hoc ipso eum venisse in carnem. nam quomodo in carnem venire carnemve assumere potuit, si non jam anteá erat? quid autem antea erat, si non erat filius Dei unigenitus? Sed non est, filioli mei, quód periculo seductionis nimium percellamini. Vos enim ex Deo estis, & Spiritum Dei in vobis habitantem habetis: qui longé est potentior quám spiritus ille malus qui in mundo est. Non igitur est quód dubitetis, vos S. sancti virtute tentationes seductorum istorum superaturos. Nec verò est quód vos moveat, quum videtis seductores istos frui applausu mundi. quid enim mirum, si mundus audit eos qui é mundo sunt, ac proinde loquuntur quę mũdo placent? Nos verò Apostoli ex Deo sumus, ac proinde loquimur ea quæ Deo placẽt. quo fit ut qui ex Deo sunt, Deumq; diligunt, seductorib. illis spretis, nos audiãt. Audite igitur nos, dilecti: & sicut præcepimus vobis, alii alios diligite. Etenim dilectio authorem habet Deum: & hoc indicio nosse potestis, vos esse ex Deo natos, & Deum veré nosse atque diligere. nam qui proximum non diligit, is Deum non novit: quippe quum Deus fons sit charitatis & summo amore nos prosequatur. Quem suum erga nos amorẽ abundé declaravit in eo, quód Filium illum suum unigenitũ in mundum misit, ut expiatis nostris peccatis morte sua, vitam æternam nobis recuperaret. Et hoc fecit Deus, nullo nostro merito provocatus: quippe quũ nos illum non priores dilexerimus. Porró quum Deus tantopere nos di-

lexerit: debemus & nos alii alios diligere, idque eó magis quod per fraternam dilectionem deducimur in contemplationem Dei. Etenim si diligamus alii alios, cóperimur Deum in nobis habitare per Spiritum suum & nos vicissim in ipso: quo fit ut cognoscamus bonitatẽ ipsius, ac proinde toto eum pectore diligamus. Ac nos quidem Apostoli bonitatem Dei abundé contemplati sumus in Christo, ac proinde hoc ipsum testamur: Patrem scilicet misisse filium qui esset servator mundi. Et sané quisquis hunc cognoverit: in eo Deus habitat, & ipse in Deo. Nos inquam Apostoli charitaté quam Deus erga nos habet, ex missione Filii abundé cognovimus & credidimus. Et quoniam hinc liquet, Deum esse ipsam charitatem: consequens est, ut qui manet in charitate, is hinc certior reddatur se manere in Deo, verámque cum eo communionem habere. Atque hinc etiam fit ut habeamus fiduciam in die judicii. nam quum proximum sinceré diligimus, colligimus inde, ingenium nostrum (quod nimirum habemus ex regeneratione) conforme esse naturæ Dei. Scimus autem, Deum non damnaturum nos, si qualis ille est, tales & nos simus in hoc mundo. Quare si proximum sinceré diligamus: hoc inde boni consequemur, ut ne animi nostri metu damnationis crucientur. Cæterúm quoniam Deus nos prior dilexit, & filium suum unigenitum ad nos servandos misit: æquum certé est ut illum vicissim diligamus. Si verò Deum diligimus: fieri non potest quin & proximum diligamus. Nam si quis dixerit, se diligere Deum, & interim proximum oderit, is mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem vidit: Deum quem non vidit, quomodo potest diligere? Et certé Deus tam mandavit dilectionem proximi quám ipsius. Quare qui mandatum de diligendo proximo contemnit: is pari ratione & alterum de Deo diligendo contemnere, ac proinde dilectionem Dei falsó jactare putandus est.

Cap. 5. Inprimis autem individuo nexu inter se cohærent dilectio Dei & filiorum Dei. Sunt autem filii Dei, quicunque per Spiritum Dei regenerati & vera in Christum fide donati sunt. Qui igitur veré diligit genitorem, is diliget etiam eum qui ex eo genitus est: & vicissim qui veré diligit filios Dei, is Deum quoque diliget, ac proinde mandata ejus servare studebit. Hæc est enim dilectio Dei, quum ita erga eum affecti sumus ut mandata ipsius servemus. Nec verò ab iis servandis deterreri quisquam debet opninione difficultatis. Etsi enim mandata Dei homini mundano & non regenerato nimis gravia atque adeó factu impossibilia sunt: nobis tamen gravia non sunt. quoniam quicunque nati sunt ex Deo & vera in Christũ fide donati, ii mundum vincunt, nec sese ab illo in servandis Dei mandatis impediri patiuntur. Fides igitur nostra, victoria nostra est quæ mundum vicit. Est autem vera fides, qua creditur Jesum esse filium Dei, servatorem mundi, seu authorem vitæ æternæ omnibus in ipsum credentibus. Quod quidem ut firmiter de domino Jesu credamus, movere nos debent divina testimonia quibus toti mundo comprobatus est, & adhuc comprobatur. Ac primúm testimonii vim singularem habet miraculum illud quod in ipso accidit, quum penderet in cruce mortuus. tunc enim (id quod ipse oculis meis vidi) quidam ex militibus qui eum crucifixerant, lanceâ latus ejus fodit, & statim exivit sanguis & aqua. quo nimirum significatum fuit, sanguinem crucifixi hujus cum sensu iræ Dei paulo antè effusum, vim habere purgãdi: videl. purgandi á sordibus peccatorũ omnes eos quorum peccata sacrificio illo suæ mortis expiaverat. Atqui talem venturũ Christũ, jam olim suo populo testatus est Deus. quid enim aliud sibi voluerunt ablutiones illæ & sacrificia

Joh. 19. v. 34.

sacrificia expiatoria, quæ in Lege ex mandato Dei peragebantur? Porró cum hoc testimonio Legis consentit testimonium Euangelii? Etenim Spiritus sanctus tum externé per Euangelium testatur, Jesum illum crucifixum esse filium Dei, servatorem mundi: tum interné idipsum testimonium cordibus Electorum obsignat, ejusque veritatem illis persuadet. Atque ita si numerum subducamus, tres testes in terra externé testantes reperiemus: videlicet Euangelium, Aquam & Sanguinem. Nec veró solúm illa aqua & ille sanguis quæ de latere Christi fluxerunt, in terra de Christo semel testata sunt: sed adhuc testantur & ad finem usque mundi testabuntur aqua Baptismi & Cœna Dominica; quæ sanguinis Christi in cruce effusi sacramenta sunt. Porró sicut tres sunt testes qui testificantur in terra, Euangelium, Baptismus & Cœna Dominica: ita tres quoque sunt qui testificantur in cœlo: Pater, Sermo & Spiritus sanctus. Ac pater quidem sua voce cælitus delata bis de Jesu testificatus est, diserté pronuntians, illum esse filium suum dilectum in quo ipse acquiescat: primúm quidem quum Jesus á Johanne baptizaretur in Jordane, deinde quum *Matth.3.* sese transfiguraret in monte coram tribus discipulis, Petro, Jacobo & *Matth.17.* me. Ipse veró Sermo seu Filius de sese testificatus est, quoties occasio tulit: & hoc suum testimonium miraculis propriâ virtute editis abundé confirmavit. Cujus rei exempla non pauca in historia Euangelica á me descripta reperietis. Et ut nonnulla inde depromam; apud mulierem illam Samaritanam á qua potum petierat, post multa verba ultró citróque commutata, diserté professus est se esse Christum: suamque hanc doctrinâ divino miraculo confirmavit, quatenus mulieri illi indicavit sua arcana. *Joh.4.* Deinde quum in sabbato sanasset ægrotum quendam: factum illud *Joh.5.* suum contra Judæos ita defendit, ut se filiũ Dei diserté profiteretur, & ex illo ipso miraculo hanc suam doctrinã confirmaret. Idipsum multis verbis *Joh.6.* professus est apud Capernaitas illos qui eum regem mundanum sibi facere studebant, eó quód quinq; millia iplorum quinq; panibus in deserto per divinam ipsius benedictionẽ pasti atq; saturati fuerant. Præterea docens aliquando in Gazophylacio templi, lucem se mundi professus est, & testi- *Joh.8.* monium hoc suum de se ipso contra Pharisæorum contradictioné gravissimé asseruit. Tum rursus quum ambularet in templo in porticu Salomonis, & Judæi eum cingentes, ab ipso peterent ut si Christus esset, apertè eis con- *Joh.10.* fitereturr: rursum id asseruit, & illorsi incredulitatem reprehendit. Ita videtis, Filium ipsum de sese crebertimé testatum esse. Jam ad S. Spiritum quod attinet, is præterquam quód arcano modo per Euangeliũ (uti diximus) de Jesu testatur, testatus est quoq; de illo per signa externa, primúm quidem quum in specie columbæ super ipsum in Jordane á Johanne baptizatum descendit; deinde veró quum ab ipso missus in linguis igneis descendit su- *Matt.3.* per Apostolos in die Pentecostes, suoq; afflatu illos subitó mysteriorum cæ- *Act.2.* lestium intelligentes & ad testimonium Christo reddendum animosos atque intrepidos reddidit. Inprimis autem sonare in auribus nostris perpetuó debet vox illa Dei patris, bis (ut diximus) de Jesu pronunciata. nam si testimonium hominum accipimus, multó magis accipere debemus testimonium Dei: quippe quod omni testimonio humano longé majus est. Qui igitur credit in Filium Dei, is testimonium illud Dei in seipso habet: qui veró non credit, is crimen longe maximum cõmittit: quippe qui mendacem facit Deum, idque in testimonio omnium gravissimo, nempe quod cælitus clara voce testificatus est de Filio suo. Adhæc incredulitas ista

præterquam quód contumeliam facit Deo, homini perniciem affert: quippe quem excludit á vita æterna, quam Deus in Filio illo suo repositit. De vobis autem, dilecti, persuasum mihi est vos credere in nomen filii Dei: ac proinde hæc ipsa ad vos scripsi ut sciatis vos vitam æternam habere, & ut in fide hac perseveritis atq; crescatis. Etsi autem nondum habetis vitę æternæ plenitudinẽ: quippe qui adhuc peccatum circumfertis & variis miseriis subjecti estis: interim tamen sufficere vobis debet, quód habetis vitę æternæ initiũ: simulq; fiduciam á Deo impetrandi quod adhuc deest. hæc enim est voluntas Dei, certo ipsius verbo testata, quapropter quod secundum hanc petieritis, non poteritis non impetrare. Nec veró pro vobis solúm ipsis orare debetis, ut vitę æternæ plenitudinem consequamini: sed orare quoq; debetis pro fratribus quos videritis peccare: dummodó illi non cõmittant gravissimum illud peccatum quod certam mortem secum affert, quippe quod Dominus ipse neq; in hoc neq; in futuro sæculo remissum iri pronuntiávit. Illud autẽ est blasphemia illa in S. sanctum, quum quis veritatem Euangelii per illuminationem ac testificationem Spiritus sancti á se intellectam & creditam, ex diabolica malitia negat & blasphemat, illiusq; confessores odit ac persequitur. Cętera veró peccata quæ contra utram vis Legis tabulam admittuntur, injustitiæ quidẽ nomine tenentur, ac mortem naturâ suâ merentur: veruntamen veniam á Deo cõsequi possunt, quatenus viam resipiscentiæ non præcludunt. nam quód blasphemia illa veniam nunquam cõsequitur: causa est quód qui illam admittunt, justo Dei judicio (qui se rideri & veritatẽ suam mendacii argui non patitur) per resipiscentiam renovari non possunt. Nos autem, dilecti mei, á gravissimo isto peccato nos tutos esse confidimus: ut qui scimus nos ex Deo esse genitos, ac proinde sollicité nos ipsos sub timore Dei continemus, ita ut malus ille Spiritus nos tangere ac lethaliter vulnerare non possit. Mundus veró peccato isti obnoxius est, ut qui totus in Malo illo jaceat, eique penitus sit addictus. Nos autem addicti sumus vero illi Deo & Filio ejus Jesu Christo: qui & ipse verus Deus est. Cui unà cum Patre & Spiritu sancto sit laus & honor in omnia secula. Quod restat, charissimi filioli: cavete vobis ab idolis: quippe quæ fidei Christianæ ex diametro adversantur. Dominus sit vobiscum: Amen.

ANALYSIS LOGICA
EPISTOLÆ JOHANNIS
SECUNDAE.

ARGUMENTUM.

In hac epistola Johannes hortatur matronam quandam, unà cum ipsius liberis, ad constantiam in charitate & fide Christiana: ac proinde monet, ut sibi caveant á seductoribus Antichristis.

SEnior electæ dominæ, & liberis ejus; quos ego sincerè diligo; nec ego solus, sed & omnes qui norunt veritatem:

2 *Propter veritatem quæ manet in nobis, & nobiscum erit in æternum.*

4 *Sit vobiscum gratia, misericordia, pax á Deo Patre, & á Domino Jesu Christo Filio Patris, cum veritate & charitate.*

Tribus

TRibus primis versibus continetur salutatio: quæ continet tres principales partes: nomen scriptoris, nomen eorum ad quos epistola hęc scribebatur, & ipsum votum seu exoptationem bonorum. Nomen scriptoris est ὁ πρεσβύτερος. quo nomine etsi sæpe significatur officium Ecclesiasticum gubernationis spiritualis per admonitiones ex verbo Dei: hic tamen videtur notari ætas, eó quód traditur, Johannē præ cæteris Apostolis ad grandem ætatem perveniſſe. Nomen eorum ad quos scribitur, est electa domina & liberi eius: quibus verbis notatur matrona quędam Christiana, eaq; dives & honorata. Etenim dominam appellat respectu divitiarum & honoris: electā verō, respectu fidei Christianæ quam illa profitebatur & factis demonstrabat. Cęterū antequam votum ipsum adjungat, interserit testificationem sui erga illos amoris; quem ipsum amplificat ab adjuncta sinceritate, inquiēs, *Quos ego diligo in veritate*, id est, verē seu sincerē. Deinde amorem illum suum amplificat á cōparatis; cōparans sibi ut similes & in amore illo socios, cæteros fideles quibus scilicet isti erant noti. id exprimit his verbis; *Nec ego solus, sed & omnes qui nōrunt veritatem*, videl. veritatem illam cælestem de salute per Christum atque hæc habentur v. 1. Præterea amorē illum utrorumq; amplificat v. 2. expositione causę procreantis, quam significat esse cōmunem ipsorum cum illis fidem ac religionem, inquiens: *Propter veritatem quæ manet in nobis*. Quam ipsam fidē amplificat ab adjuncta perseverantia, dum addit. *Et nobiscum erit in æternum*. Istis amplificationibus ita insertis, tandem v. 3. adjungit ipsum votū, quo exoptat illis bona *à Deo patre & à Domino Jesu Christo filio illius patris*. Bona autem illa bifariā possunt distingui, primó enim alia eorum sunt adjuncta Dei: ut *gratia, misericordia & pax*, si scilicet pacis nomine intelligatur reconciliatio facta per Christum. alia verō sunt adjuncta illorum quibus exoptantur, nempe *veritas* (id est, vera fides) *& charitas*: nec non *pax*, si hoc vocabulo intelligatur tranquillitas conscientiæ. Atq; hęc prior distinctio est. Deinde eadem bona ita sunt inter se distincta, ut posteriora priorum sint effecta. nam fides & charitas & tranquillitas conscientiæ in electis; ex Dei gratia, misericordiā & reconciliatione promanant.

4 *Gavisus sum valde quód invenerim ex filiis tuis qui sincerē incedant, sicut mandatum accepimus á Patre.*

Hortaturus illos ad constantiam in fide & charitate, primúm laudat talem constantiam in quibusdam illius dominæ filiis: quam laudationem cōfirmat testimonio suæ experientiæ, ipsamq; illā constantiam amplificat ab effectu, videl. gaudio quod inde perceperit: & hoc ipsum gaudium amplificat ab adjuncta magnitudine. Atq; ita obliquē á duob. effectis illos ad similem constantiam hortatur: videl. quód per illam sint gaudiū allaturi sancto Apostolo, & laudē ab eo adepturi. Ista omnia significat his verbis, *Gavisus sum valde quód invenerim ex filiis tuis qui ambulent in veritate* (id est in vera fide, & per consequens in charitate) *sicut mandatum accepimus á Patre*. quib. postremis verbis declarat, quænā sit illa veritas in qua isti ambulent, videl. fides in Christum & charitas seu dilectio proximi, nam utramq; mandavit filiis suis cęlestis ille pater: illam, quum cælitus proclamavit. Hunc audite: istam, quum per filium præcepit Apostolis & in illorum persona omnibus fidelibus deinceps victuris, ut sese mutuó diligant. Adhæc causa quoq; impulsiva illius constantiæ istis verbis notatur, quæ nimirum est ipsum Dei mandatum.

5 *Et nunc rogote, domina, non ut mandatum novum scribens tibi, sed quod*

habuimus á principio, ut diligamus alii alios.

6 *Hæc autem est dilectio* qua fit *ut incedamus secundum mandata ejus. Hoc est mandatum illud, sicut audivistis á principio, ut in eo ambuletis.*

7 *Nam multi impostores ingressi sunt in mundum qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem. Hic est impostor ille & antichristus.*

Hic jam aperté eos hortatur, primúm quidem ad constantiam in charitate, v. 5. deinde veró ad constantiam in fide, vers. 6. & 7. Ad constantiam in charitate hortatur eos á mandato Dei: quod amplificat ab adjuncta vetustate: quam ipsam vetustatem amplificat negatione contrarii. Huic hortationi alteram annectit initio sexti: quam quidē enuntiat verbo generali, monens ambulandum esse secundum mandata Dei, quo nomine (ut ex præcedentibus & sequentibus apparet) intelligit mandatum de credendo in Christum, & de proximo diligendo. Hoc mandatum rursus amplificat ab adjuncta vetustate. Deinde v. 7. hortationem hanc confirmat ab adjuncto periculo quod immineat á seductoribus, qui doctrinam fidei negabant.

8 *Cavete vobis, ne perdamus quæ operati sumus, sed ut mercedem plenam recipiamus.*

9 *Quisquis transgreditur, nec manet in doctrina Christi, Deum non habet: qui manet in doctrina Christi, hic & Patrem & Filium habet.*

Ex argumento proximè allato infert admonitionem, ut sibi á seductoribus istis caveant: quam admonitionem confirmat ex eventu duplici: uno tristi, nisi sibi caverint, videlicet amissione vitæ æternæ: altero læto, si sibi caverint, nimirum vitæ æternæ adeptione. Porró vitam æternam hîc nominat mercedem improprié, videlicet per metaphoram ab operariis quibus merces dari solet post laborem peractum: Sic vita æterna (videlicet plena illius fruitio) dabitur fidelibus demum post hujus vitæ labores & certamina quæ cum mundo & diabolo & propria carne sustinent. Deinde v. 9. admonitionem istam confirmat partim á seductorum istorum turpibus factis & tristi effectu, partim á constantiæ effectu salutari; per antithesin. Turpia facta istorum seductorum indicat duo: unum, quód transgrediantur, videlicet mandatum Dei de audiendo Christo, ac proinde Deum contumelia afficiant: alterum, ex priore promanans, quód non maneant in doctrina Christi, videlicet unici illius magistri Ecclesiæ & magni prophetæ atque Apostoli: ac proinde Christum quoque contumelia afficiant. Tristis effectus qui turpia ista facta consequitur, est, quód illi non habent Deum: id est, quód ignorant verum Deum, ac proinde expertes sunt vitæ æternæ: quippe quæ in veri Dei cognitione consistit, teste Christo, Joh. 17. vers. 3. Contrá constantiæ effectus salutaris est, quód qui manet in doctrina Christi, is & Patrem & Filium habet: id est, verum Deum novit, ac proinde vitæ æternæ particeps est.

10 *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum domum, nec Ave ei dicite:*

11 *Qui enim dicit ei Ave, communicat operibus ejus malis.*

Nunc ulteriús progreditur, & omni commercio atq; consuetudine istorum seductorum interdicit, adhibito argumento ab effectu noxio, videlicet societate peccatorum, & ex consequenti etiam pœnarum.

12 *Quia multa haberem vobis scribenda, nolui per chartam & atramentum: sed spero me venturum ad vos, & præsentem præsentibus loquuturum, ut gaudium nostrum sit completum.*

13 *Salutant te filii sororis tuæ electæ. Amen.*

Abrumpit

Abrumpit epistolam ἀποδιώξει, id est, rejectione cæterarum rerum quas habebat scribendas, & pollicitatione sui ad ipsos adventus: quem amplificat primùm á causa procreante, videlicet providentia Dei, quum ait, *Spero*: deinde á forma seu modo collocutionis, ubi ait, στόμα πρὸς στόμα, os ad os, id est, cum mutuo aspectu: tum ab effectu, ubi ait: *Ut gaudium nostrum sit completum.* Postremó nuntiat illi dominæ salutem á filiis sororis ipsius.

SCHOLIA IN EPIST. II. JOHAN.

1 *Senior.* ὁ πρεσβύτερος. Sic puto Johannem tunc appellatum ab ætate, eó quód esset grandævus. *Electæ.* ἐκλεκτῇ. Videlicet á Deo electæ ad vitam æternam. Hoc autem æstimabat Johannes pro judicio charitatis ex piis illius factis. *Dominæ.* κυρίᾳ. Id est, matronæ honoratæ propter opes ac beneficentiam erga pauperes. *Quos ego.* Scil. tum matrem, tum liberos. Ad ἐγώ, subaudiendum εἰδέναι. *Sincerè.* ἐν ἀληθείᾳ. Ad verb. In veritate. Hebraismus. *Omnes, &c.* πάντες, &c. Intelligitur utique non omnes simpliciter qui tum nôrant veritatem: sed omnes qui in istis locis degebant, & quibus matrona illa erat nota. Est igitur synecdoche generis. *Veritatem.* τὴν ἀλήθειαν. nempe cælestem illam, quæ aliâs dicitur Euangelium.

2 *Manet.* μένει. Seu, habitat.

3 *Sit.* ἔσται. Ad verb. Erit. Hebraismus. *Vobiscum.* μεθ' ὑμῶν. Quidam libri habent, μεθ' ἡμῶν, id est, nobiscum. Sed alteram lectionem postulat ipsa sententia, quippe salutatio. *Cum veritate.* ἐν ἀληθείᾳ. id est, μετ' ἀληθείας. Hebraismus.

4 *Sincerè.* ἐν ἀληθείᾳ. Ut versu 1.

5 *A principio.* ἀπ' ἀρχῆς. Scil. vocationis nostræ, seu prædicati nobis Euangelii.

5 *Hæc autem est dilectio.* καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ ἀγάπη. Id est, hac in re consistit dilectio tum Dei tum proximi: seu tum demum verè diligimus Deum & proximum, si ambulemus secundùm mandata ejus. Qua fit *ut incedamus*, &c. ἵνα περιπατῶμεν. Similem ellipsin vide 1. Johan 5. v. 3. *Sicut audivistis.* καθὼς ἠκούσατε. Id est, quod audivistis.

7 *In carnem.* ἐν σαρκί. Pro, εἰς σάρκα: ut 1. Johan. 4. v. 2. *Hic.* οὗτος. Videlicet quicunque istud negat. *Impostor ille.* ὁ πλάνος. Id est, unus ex illis impostoribus quos modó dixi ingressos esse in mundum. *Et Antichristus.* καὶ ὁ ἀντίχριστος. Id est, unus ex antichristis. nam jam tum antichristi multi exorti erant, 1. Johan. 2. v. 18.

8 *Cavete vobis.* βλέπετε ἑαυτούς. Ad verb. Videte vos ipsos. *Ne perdamus.* ἵνα μὴ ἀπολέσωμεν. Pro, ἵνα μὴ ἀπολέσητε. ne perdatis. Enallage personæ per ἐναλλαγὴν, quam nonnulli vocant. *Quæ operati sumus.* ἃ εἰργασάμεθα. Id est, mercedem quam operando meriti sumus. sicut percipitur ex antithesi. Metonymia efficientis. Est autem oratio impropria, nempe metaphorica. nam propriè loquendo vitam æternam non meremur nostris operibus: sed adipiscimur illam ex gratia Dei propter Christi meritum. Comparatur autem plena illa vitæ æternæ fruitio mercedi: quia dabitur credentibus demum in vespera mundi, posteaquam in vinea Domini fideliter laboraverint: ut percipitur ex parabola Matth. 20.

9 *Quisquis transgreditur.* πᾶς ὁ παραβαίνων. Scil. mandatum Dei de audiendo Christo.

10 *Hanc doctrinam.* ταύτην τὴν διδαχὴν. Videlicet puram doctrinam Euangelii de persona & officio Christi. *Ave.* χαίρειν. Ad verb. Gaudere.

Utuntur autem Græci hoc verbo in salutationibus. quod genus salutandi & Horatius in epistola quadam retinuit, quæ incipit: Cello gaudere & bene rem gerere Albinovano. nam Græci in salutando utrumque verbum usurpant, χαίρειν & εὖ πράττειν.

12 *Et atramentum.* καὶ μέλανος. Græci atramentum vocant μέλαν, subaudiendo χρῶμα: quasi dicant, atrum colorem. Me *venturum.* ἐλθεῖν. Pro ἐλεύσεσθαι. Scil. ἐμὲ Enallage temporis & ellipsis pronominis. *Præsentem præsentibus.* στόμα πρὸς στόμα. Puto subaudiendum στρέφοντα: quod est Latinè, ore ad os converso. Sic 1. Cor. 13. v. penult. dicitur, βλέπειν πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. (scil. στρέφοντα: videre facie ad faciem *conversa.* Sunt phrases Hebraicæ. *Locuturum.* λαλῆσαι. Pro, λαλήσασθαι ut modò ἐλθεῖν. *Gaudiũ nostrum.* ἡ χαρὰ ἡμῶν. Quidam libri habent ὑμῶν: quod convenientius puto.

OBSERVATIONES.

Ex v. 1. ex vocabulo, *Electæ.* In quibus conspicimus signa electionis, videlicet professionem fidei Christianæ & alia bona opera: eo merito pro electis habemus ac electos nominamus. Confer 1. Pet. 1. v. 1 Philip. 4 v. 3.

Ex eod. versu, ex vocabulo *dominæ.* Societas fidei Christianæ non tollit discrimen personarum civile: nec impedit quó minús ditiores præ cæteris honorentur; dummodó illi factis ostendant se esse pios.

Ex eod. versu, ex verbis, *Quos ego sincerè diligo.* Dilectio debet esse sincera. Confer 1. Tim. 1. v. 5. 1. Joh. 3. v. 18.

Ex eod versu, ex verbis, *Qui nórunt veritatem.* Doctrina Euangelii de salute per Christum, fide amplectenda est: quum sit cælestis veritas.

Ex v. 2. Qui semel vera fide donati sunt, nunquam eam amittunt: eáve excidunt. Interim fides alenda est mediis ad id destinatis, videlicet pia meditatione verbi Dei, & frequente usu sacramentorum.

Ex v. 3. Is demũ verè beatus est qui per fidem gustat Dei erga se gratiã & misericordiã in Christo: ac proinde Deum ut benevolum patrẽ diligit, ac proximum (præsertim domesticum fidei) ut fratrem, propter Deum.

Ex v. 4. Quum videmus proximum pié vivere, debemus eo nomine gaudere, illique gratulari.

Ex eod. versu. Si contingat non omnes nostros liberos esse pios, sed tantúm aliquos: agamus Deo gratias de pietate horum, reliquorum verò impietatem patienter feramus: consolantes nos exemplis sanctorum quibus idem accidit. Sic Adam habuit suum Cajin: Noah suum Cham, Abraham suum Ismaëlem, Isaac suum Esavum, &c.

Ex v. 4 5. & 6. Pietatis regula est mandatum Dei.

Ex v. 7. Quum videmus subinde novos impostores oriri in Ecclesia, ne miremur tanquam rem novam: quoniam idem temporibus Apostolorum accidit.

Ex eod. v. Qui doctrinâ suâ evertunt vel æternitatem personæ Christi, ac proinde veram ejus Deitatem, vel veritatem carnis humanæve naturę personaliter ab illo assumtæ, vel deniq; ejus officium sacerdotale: cujus gratiâ carnem assumsit: illi sunt impostores & antichristi, ac proinde cavendi.

Ex v 8. Etsi qui verè in Christum credunt, fidem illam amittere non possunt, obstante videlicet decreto Dei: tamen officium eorum est, ut de fide retinenda sint solliciti, ac proinde sibi cavęant ab impostoribus, ne in errorem seducantur.

Ex

Ex eod. versu. Cavendum ne verbis Apostoli abutamur ad subscribendum dogmati Papistarum de meritis nostrorum operum, quasi scilicet vitam æternam bonis nostris operibus mereamur. Nam vitæ æternæ plena fruitio ab Apostolo merces nominatur non proprié loquendo, quasi nos illam mereamur: quippe quum ex doctrina Apostolica constet, solum Christum sua morte vitam æternam nobis esse promeritum: sed sic nominatur per metaphoram, propterea quód credentibus demum dabitur in vespera mundi post exantlatos multos ac varios hujus vitæ labores in vinea Domini. quod ipsum Christus per parabolam docuit, Matth. 20.

Ex v. 9. Qui non credit in Christum, is á vero Deo aberrat. Confer Johan. 5. v. 23.

Ex v. 10. Cum impostoribus, qui doctrinam Euangelii de Christo oppugnant, commercium nobis esse non debet. Hinc Apostolus Johannes (ut natratur in historia Eccles. quum balneũ ingressurus, conspicatus illic esset Cerinthum qui oppugnabat deitatem Christi, mox ad comites suos conversus, Exeamus, inquit, ne balneo collapso unâ cum impio isto opprimamur. Sic Polycarpus Johannis discipulus, quum aliquando obviam ei factus Marcion: diceret, Num agnoscis nos? respondisse traditur, Agnosco te primogenitum Satanæ: atque ita illum á suo colloquio rejecit. *Euseb. Eccles. hist. libr. 3. cap. 15.* *Ibid. lib. 4. cap. 14.*

Ex v. 11. Qui ad mala proximi opera connivent, eáve dissimulant, nec illos eo nomine (ut par est) reprehendunt: reos se constituunt ejusdem impietatis, ac proinde easdem in se pœnas attrahunt. Huc pertinet præceptum de non dissimulanda blasphemia.

Ex v. 12. Piorum officiũ est mutuis colloquiis sese ædificare in Domino.

ANALYSIS LOGICA EPISTOLÆ JOHANNIS TERTIAE.

ARGUMENTUM.

Gajo cuidam, collaudatâ ejus hospitalitate, commendat quosdam Euangelii ministros, per quos hanc ad illum epistolam misit: simulq; conqueritur de Diotrephe, pastore illius Ecclesiæ, cujus membrum Gajus erat.

1 SENIOR *Gajo dilecto, quem ego sincerè diligo.*

2 *Dilecte, inprimis opto ut prosperè agas & valeas, sicut prosperè agit anima tua.*

3 *Gavisus sum enim valde quum venirent fratres, & testimonio suo commendarent sinceritatem tuam, prout tu in sinceritate ambulas.*

4 *Majus istis gaudium non habeo, quum* videlicet *audio filios meos in sinceritate ambulare.*

5 *Dilecte, fideliter agis quicquid facis erga fratres & erga peregrinos.*

6 *Qui testimonio suo commendarunt charitatem tuam in Conspectu Ecclesiæ: quos rectè facies si prosecutus fueris ut dignum est Deo.*

7 *Nam pro nomine ejus exiverunt, nihil accipientes á Gentibus.*

8 *Nos ergo debemus recipere hujusmodi, ut administri simus veritati.*

Versu

VErsu 1. continetur salutatio: ubi nomine ὁ πρεσβύτερος, id est, Senioris, intelligitur Johannes Apostolus á ratione ætatis: sicut in epistola proxime præcedente. Gajus verò cui hæc epistola inscribitur, fuit natione Judæus, ut percipitur ex 7. & 8. versu hujus epistolæ: fide autem seu religione Christianus, ut liquet ex v. 2. & deinceps. Cæterùm salutationi admiscet Apostolus testificationem sui erga illum ad quem scribit, amoris. Versu 2. salutationem, quam elliptica loquendi formâ innuerat, expressis verbis enuntiat: optans Gajo prosperam valetudinem seu sanitatem corporis. Et huic voto commodé annectit laudationem Gaji, per collationem similium, ubi ait: *Sicut prosperé agit anima tua*, quibus verbis laudat Gaji pietatem, vocans illam prosperitatem animæ. Vers. 3. pietatem Gaji quam periphrasi metaphorica significaverat, propriis verbis declarat, vocans eam ἀλήθειαν, veritatem seu integritatem: item ambulare in veritate, id est, integré & sinceré se gerere erga Deum & proximum. Præterea laudationem institutam confirmat testimonio fratrum (id est, ministrorum Euangelii) qui á Gajo venerant. Adhæc testimonium illud atque adeo ipsam Gaji pietatem amplificat ab effectu, videlicet suo gaudio quod inde perceperit. Versu 4. gaudium illud suum amplificat collatione minorum, & revocatione τῶν διαφόρων ad διότι, id est, exempli specialis ad genus universum: ubi Gajum & alios per ipsius prædicationem ad fidem Christianam adductos nominat suos filios: quos nimirum prædicatione Euangelii genuerit Deo. Versu 5. & 6. laudationem Gaji repetit, & specialiùs pietatem ejus declarat commemoratione hospitalitatis illius: necnon testimonium fratrum quo illam confirmat, amplificat á dignitate eorum apud quos illi testimonium illud suum enuntiarint, videlicet apud Ecclesiam, id est, cœtum piorum. Tum laudationi commodé annectit ipsam commendationem illorum fratrum; per quos (ut apparet) hanc epistolam ad Gajum misit. Rogat igitur ut eos prosequatur, id est, per illum locum ubi Gajus degebat, transituros hospitio benigné excipiat & perrecturos amanter deducat & adjuvet. Petitionis argumentum inserit ab adjuncta istius facti pulchritudine seu honestate, ubi ait: καλῶς ποιήσεις, pulchré seu honesté facies. Pulchritudinem autem illius beneficentiæ describit á sua forma, quæ consistit in harmonia seu consensione factorum cum verbis, ubi ait: ἀξίως τοῦ Θεοῦ, ut dignum est Deo. quasi dicat: Tu Gai profiteris, te Deum rectè nosse & colere: ergo exerce beneficentiam erga pios. sic enim facta verbis respondebunt: quæ harmonia valde pulchra est. Versu 7. alia duo argumenta institutæ petitionis sive commendationis affert: quæ sumta sunt á factis illorum quos commendat: ut quód profecti sint pro nomine Dei, id est ad prædicandum Euangelium atque ita illustrandum nomen seu gloriam Dei. deinde, quód pro illo suo labore nihil accipiant á Gentibus, sed Euangelium eis prædicent gratis. unde innuit, illos & dignos esse beneficentiâ Gaji aliorumque fratrum, & verò etiam illâ opus habere. Versu 8. petitionem institutam concludit: & adhuc unum argumentum annectit, quod sumtum est ab effectu utili: quia hac ratione promoturus sit veritatem.

9 *Scripsi Ecclesiæ: sed qui primatum inter eos ambit Diotrephes, non recipit nos.*

10 *Propterea, si venero, suggeram ipsius facinora quæ facit, verbis improbis garriens in nos: quique etiam his non contentus, neque ipse recipit fratres, & qui velunt* recipere *prohibet, & ex Ecclesia ejicit.*

Versu

Versu 9. per prolepsin digreditur in querimoniam de Diotrephe. Objectio est: Cur non potiús scripsisti Ecclesiæ ad fratres istos commendandum. Respondet: Scripsi Ecclesiæ: sed quód tibi quoque separatim scripsi, causa est quód vereor ne illa apud Ecclesiam commendatione parum aut nihil profecturus sim: idque propter Diotrephem qui me & mihi conjunctos aspernatur ac rejicit. Hanc querimoniam amplificat primúm expositione causæ quam affirmat esse φιλοπρωτείαν, id est ambitionem primatus: quem scilicet pii fratres ei nolebant tribuere. Deinde v. 20. facta illius mala specialiter exponit tria per incrementum seu gradationem â minoribus ad majora. Primum est: Verbis improbis garrit in nos. Secundum: Non recipit fratres. Tertium: Eos qui volunt recipere, prohibet & ex Ecclesia ejicit. Hanc factorum expositionem amplificat comminatione: qua minatur se aliquando corám cum illo de istis factis expostulaturum.

11 *Dilecte, ne imitare quod malum est, sed quod bonum est. qui bene facit, ex Deo est: qui autem malè facit, non vidit Deum.*

12 *Demetrio testimonium redditum est ab omnibus, & ab ipsa veritate: sed & nos testimonium perhibemus; & nostis, testimonium nostrum verum esse.*

13 *Multa haberem scribenda, sed nolo per atramentum & calamum tibi scribere:*

14 *Spero autem fore ut statim te videam; tunc corám loquemur.*

15 *Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.*

Redit ad propositum: & dehortatur eum ab imitanda inhumanitate atque crudelitate Diotrephis, & contrá hortatur ad beneficentiam: argumento allato ab utili eventu, ut scilicet appareat ipsum esse ex Deo, hoc est filium Dei, vera Dei notitia ac dilectione præditum. Deinde v. 12. specialiter commendat Demetrium quendam, qui haud dubié unus ex illis fratribus fuit per quos epistolam misit. Versu 13. epistolam abrumpit per ἀποδιώξιν rerum scribendarum. Versu 14. causam illius ἀποδιώξεως exponit, videlicet quód speret fore ut brevi coram colloquantur. Vers. ult. epistolam concludit salutationibus: tum ipse eum salutans, tum aliorum salutationem ei nuntians, tum denique amicos suis verbis salutari petens.

SCHOLIA IN EPIST. III. JOHAN.

1 *Senior.* Πρεσβύτερος. Ut epist. sup. v. 1. *Gajo dilecto.* Γαΐῳ τῷ ἀγαπητῷ. Scil. χαίρειν. salutem, ut loquitur Jacobus cap. 1. v. 1. *Sincerè.* ἐν ἀληθείᾳ. Ut epist. sup. v. 1.

2 *In primis.* περὶ πάντων. Fortasse legendum, περὶ πάντων. *Ut prosperè agas.* εὐοδοῦσθαι. Verbum Græcum significat commoda via uti. Vita autem hominis passim in Scriptura comparatur viæ. Et sic εὐοδοῦσθαι hoc loco est prosperé seu commodé vivere. Paulus Rom. 1. v. 10. hoc verbo utitur in significatione nativa. Σὺ. Id est, corpus tuum: ut percipitur ex antithesi. Senecdoche integri. *Prosperé agit.* εὐοδοῦται. Videlicet fruens pace Dei, seu tranquillitate conscientiæ ex fide.

3 *Testimonio suo commendarent sinceritatem tuam.* μαρτυρούντων σου τῇ ἀληθείᾳ. Ad verb. Testarentur (id est, testimonium darent) tuæ veritati. *In sinceritate ambulas.* ἐν ἀληθείᾳ περιπατεῖς. Sic puto potiús reddendum, quám, Sincerè ambulas: quoniam verbum περιπατεῖν usitatè regit præpositionem ἐν alicui nomini præpositum, quo nimirum significatur quasi via in qua ambulatur.

5 *Quicquid*

5 *Quicquid facis.* ὃ ἐὰν ἐργάσῃ. ἐὰν pro ἄν. Id est, quicquid beneficii confers in fratres, excipiendo illos & prosequendo, ut percipitur ex versu sequente. Synecdoche generis.

6 *In conspectu Ecclesiæ.* ἐνώπιον ἐκκλησίας. Nempe illius apud quam ego nunc dego. *Si prosecutus fueris.* προπέμψας. Vel, si deduxeris, nempe ulteriùs profecturos. *Ut dignum est Deo.* ἀξίως τοῦ θεοῦ. Id est, professione nominis Dei. Metonymia subjecti.

7 *Pro nomine ejus.* ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ. Id est, ad nomen ejus prædicandum. *Nihil accipientes.* Id est, nullam mercedem. Synecdoche generis. *A Gentibus.* ἀπὸ τῶν ἐθνικῶν. quibus nimirum prædicaverint Euangelium.

8 *Nos ergo.* ἡμεῖς οὖν. Nempe nos Judæi. *Veritati.* τῇ ἀληθείᾳ. Id est, Euangelio.

9 *Scripsi.* ἔγραψα. nempe ad cõmendandum hos fratres. *Ecclesiæ.* τῇ ἐκκλησίᾳ. nempe apud quam tu degis, & cujus membrum es. *Sed qui primatum inter eos ambit, &c.* ἀλλ' ὁ φιλοπρωτεύων, &c. Id est, Sed vereor ne illis literis parum aut nihil sim profecturus: quia Diotrephes non recipit nos. Synecdoche metonymica, Johanni familiaris. Vide 1. Joh. 3. v. 20. & cap. 5. v. 9. *Nos.* ἡμᾶς. Id est, me Johannem. Synecdoche: qualis 1. Cor. 4. v. 9. & deinceps.

10 *Ex ecclesia ejicit.* ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἐκβάλλει. Id est, excommunicat: ut hodie loquimur.

11 *Non vidit.* οὐχ ἑώρακε. Id est, non cognovit: ut Johan. 1. v. 18.

12 *Ab omnibus.* ὑπὸ πάντων. Videlicet fratribus qui hic sunt. Synecdoche generis. *Et ab ipsa veritate.* καὶ ὑπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας. Id est, ab ipsis ejus factis. *Nos.* ἡμεῖς. Id est, ego Johannes: ut paulo-anté v. 9.

14 *Statim.* ἐγγέως. Id est, brevi. *Corám.* στόμα πρὸς στόμα. Vide epist. superiore, v. penult.

15 *Pax tibi.* εἰρήνη σοι. Scil. ἔστω, sit. Formula salutandi Hebraica: qua & Christus post resurrectionem suam apud apostolos usus legitur. *Amici.* οἱ φίλοι. Scil. qui hic sunt. *Amicos.* τοὺς φίλους. Scilicet qui isthic sunt.

OBSERVATIONES.

Ex ℣. 1. Dilectio proximi debet esse sincera.

Ex ℣. 2. Non est satis valere corpore: sed inprimis curandum ut rectè valeat animus.

Ex ℣. 2. & 3. Animus tum rectè valet, quum præditus est vera fide & dilectione.

Ex ℣. 3. & 4. Officii nostri est, pietate proximi gaudere, illique eo nomine gratulari. Confer Rom. 1. v. 8.

Ex ℣. 4. Pastorum est, fideles curæ suæ commissos ut filios complecti.

Ex ℣. 5. 6. 7. 8. Peregrini fideles, ac inprimis ministri Verbi, omni opera atque ope fideliter adjuvandi sunt.

Ex ℣. 6. Qui charitatem alicujus experti sunt, beneficiis scilicet ab eo affecti, debent eum apud alios commendare.

Ex ℣. 9. Si piis verbi ministris accidat ut ab ambitiosis collegis contemnantur, æquo animo id ferant: cogitantes, idem accidisse Apostolo Johanni á Diotrephe.

Ex ℣ 10. Piorum ministrorum verbi est, collegas ambitiosos, quum fert occasio, reprehendere.

Ex eodem ℣. De excommunicatione duo hic notanda sunt: 1. quód tempore Apostolorum fuerit in usu. 2. quód Apostolis fuerit probata, quia

Johannes

Johannes reprehendit Diotrephem propter illius abusum, quòd scilicet eâ uteretur adversus innocentes, idque privatâ authoritate, absque presbyterii consensu.

Ex V. 11. Non est satis, Deum in ore habere: sed benefactis demonstrandum est, nos Deum habere in corde.

Ex V. 12. Qui probé officio suo funguntur, iis testimonium reddendum est suæ probitatis.

Ex V. 14. Pios decet, mutuis colloquiis sese in Domino oblectare.

ANALYSIS LOGICA EPISTOLÆ JUDÆ.

ARGUMENTUM.

Hortatur Christianos ad quos scribit, ad constantiam in fide Euangelii, & monet ut sibi caveant á seductoribus: quos á suis moribus copiosé describit, & æternum exitium eis denuntiat.

IUdas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi, vocatis, per Deum Patrem sanctificatis, & Jesu Christo servatis:
2 *Misericordia vobis & pax & charitas multiplicetur.*

SAlutatio: cujus membra tria; προσφωνὴ seu nomen scriptoris, ἐπιγραφὴ seu nomen eorum ad quos scribitur, & ipse ἀσπασμὸς seu εὐχὴ, salutatio & votum quo maxima bona exoptantur. Nomen scriptoris est *Judas*. Hic describitur á duobus adjunctis: quorum prius est, *Servus Jesu Christi*: posterius, *Frater Jacobi*. Utroque significatur, eum esse unum ex duodecim Apostolis Christi. Nomen eorum ad quos scribitur, nõ exprimitur: sed describuntur illi descriptione quadam generali & omnibus Christianis communi: videlicet quòd sint *vocati* ad communionem Christi per Euangelium (quæ est vocatio externa) & *sanctificati per Deum patrem*, id est, per Spiritum Dei illuminati ac fide Euangelii donati (quæ est vocatio interna) & denique *asservati Jesu Christo*, ut scilicet illi suo tempore adducantur ad fruendum unâ cum ipso gaudiis & gloria cælesti in æternum. Cæterùm videtur hæc epistola scripta esse ad Judæos provinciales, id est, in provinciis Romanorum dispersos: quia apparet, scriptam esse ad eosdem ad quos scripta est posterior epistola Petri: quam ad provinciales illos Judæos scriptam esse, liquet ex collatione versus primi, capitis tertii, cum principio epistolæ prioris. Esse autem hanc Judæ epistolam scriptam ad eosdem ad quos scripta est posterior Petri: apparet ex identitate sententiarum & verborum, si tota hæc epistola conferatur cum illius epistolæ capite secundo toto. Voto exoptatur eis incrementũ trium bonorum: primùm *misericordiæ*, id est, effectorum misericordiæ Dei: deinde *pacis*, id est, sive pacati animi Dei & per Christũ placati ac proinde ipsis faventis, sive pacis cõscientiæ in ipsis seu trãquillitatis animi ex favoris illius gustu: tum *charitatis*, sive Dei erga ipsos, sive ipsorum erga Deum & proximum.

3 *Dilecti*

3 *Dilecti, quum omne ſtudium adhibeam ut ſcribam ad vos de communi ſalute, neceſſe habui vobis ſcribere, ad vos hortandos ut decertetis pro fide quæ ſemel tradita eſt ſanctis.*

4 *Nam ſubrepſerunt quidam homines, prius jam olim deſcripti ad hoc judicium: impii, qui Dei noſtri gratiam transferunt ad laſciviam; & ſolum illum herum, Deum ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, negant.*

Verſu 3. indicat ſuſceptæ ſcriptionis partim ſcopum ſeu finem, partim ſummam ceu medium ad illum finem deſtinatum. Finis eſt, ut eos confirmet in doctrina ſalutis. hunc ſignificat iſtis verbis, *Quum omne ſtudium adhibeam ut ſcribam ad vos de communi ſalute.* Summa eſt, hortatio ad decertandum pro fide ſeu doctrina ſibi per Apoſtolos tradita. hanc ſummam exponit his verbis: *Neceſſe habui vobis ſcribere ad vos hortandos ut decertetis pro fide quæ ſemel tradita eſt ſanctis.* Verſu 4. per prolepſin oſtendit hortationis inſtitutæ neceſſitatem. nam poterant illi ad quos ſcribit, cogitare: Quid opus eſt hac hortatione? Reſpondet, opus illa eſſe propter periculum quod eis immineat á ſeductoribus qui in ipſorum medio verſentur, & quos quaſi anguem in ſinu foveant. quos ut deteſtabiles reddat: non ſolúm impios nominat, ſed etiam impium eorum dogma exponit, ubi ait: *Qui Dei noſtri gratiam transferunt ad laſciviam.* quibus verbis ſignificat, ſeductores iſtos ex doctrina Euangelii de gratia Dei erga credẽtes in Chriſtum, intuliſſe licentiam carnalem: quaſi ſcilicet Chriſtianis liceat agere quod carni ipſorum libet, nec neceſſe ſit ut ſint ſolliciti de ſtudio ſanctitatis. Hoc impium iſtorum dogma amplificat partim ab adjuncta calumnia, partim ab effectu blaſphemo ac pernicioſo. Calumniam notat verbo μετατιθέναι, id eſt, transponendi ſeu transferendi. quaſi dicat, Iſti doctrinam de gratia Dei á ſuo fine transferunt ad finẽ alienum. Finis enim illius doctrinæ eſt, ut gratiã Dei cognitã & guſtatã, ſtudeamus ei gratiam referre obediẽdo ſanctæ ipſius voluntati in Lege expreſſæ. At iſti doctrinam de gratia Dei transferũt ad finẽ illi cõtrarium, videlicet ad laſciviam: quaſi Deus ideó nobis de gratia ſua teſtetur, ut nos laſciviamus neq; ſolliciti ſimus de cavenda ipſius offenſa. Jam effectum blaſphemum atq; noxium illius dogmatis ſignificat, quum ait: *iſtos negare ſolum illum herum, Deum ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* non quód iſti aperté & expreſſé id facerent: ſic enim Chriſtiani illos ſecum nõ tuliſſent: ſed quód hoc ex illorum dogmate efficiatur & ſequatur. Qui enim ſe profitetur Chriſtianum, & interim docet, Chriſtianis conceſſam eſſe licentiam peccandi: is hoc ipſo Chriſtum negat: quia negat vim & mortis ejus & ſpiritus ejus. Vim mortis: quia Chriſtus ſua morte electis ſuis impetravit nõ ſolúm peccatorum remiſſionem, ſed etiam donationem Spiritus ſancti ad illos regenerandum & ſanctificandum. Vim Spiritus: quia Chriſtus per Spiritum ſuum regenerat & ſanctificat quos morte ſua redemit. Cæterúm ne pii hac de ſeductoribus admonitione perturbarentur, quaſi iſti fortuito caſu ſubrepſiſſent, revocat eos conſolationis causã ad conſiderationem ſummæ cauſæ, videlicet decreti Dei, inquiens: *illos jam olim præſcriptos eſſe ad hoc judicium.* id eſt, æterno Dei decreto deſtinatos eſſe ad iſtam impietatem qua ſibi judicium ſeu damnationem æternam attrahunt. Præſupponit autem Apoſtolus, in decretis Dei tanquam juſtiſſimis (licet nos illius juſtitiæ ratio lateat) omnibus piis eſſe acquieſcendum.

5 *Volo autem vos* iſtorum *commonefacere, ut qui ſemel hoc ſciatis; Dominũ, quum populum ex Ægypto liberaſſet, rurſus eos qui non credebant perdidiſſe.*

6 Et

6 *Et Angelos eos qui non servarunt suam originem, sed reliquerunt suum domicilium, judicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine reservasse.*

7 *Sicut Sodoma & Gomorrha & his finitimæ civitates, simili modo atque illi scortatæ, & carnem alienam sectatæ, propositæ sunt exemplo, ignis æterni pœnam sustinentes.*

Deinceps argumenta affert institutæ hortationis, ut videlicet decertent pro fide, ac proinde sibi caveant ab istis seductoribus. Argumentum principale (quod é prosyllogismis tantúm innuitur) ductum est ab effectu pernicioso, si patiantur se seduci: videlicet æterno exitio. Prosyllogismus adhibetur duplex: prioris argumentum sumtum est á pari seu simili. Posterioris, é testimoniis: infrá v. 14. & 17. Ad priorem prosyllogismum quod attinet: profert tria exempla exitii á Deo inflicti suis creaturis propter libidinem peccandi. Primum exemplum est Israëlitarum quos Deus liberaverat ex Aegypto: quos in deserto propter incredulitatem prostravit, ac insuper æterno exitio perdidit, v. 5. Secundum exemplum est Angelorum, qui non contenti suo statu, sed altiorem gloriam affectantes, á Deo deturbati sunt in infernum, ubi post diem judicii universalis æternis cruciatibus torquebuntur, v. 6. Tertium exemplum est Sodomitarum & vicinarum civitatum, quas Deus propter nefandas scortationes subvertit & igne æterno punivit, v. 7.

8 *Similiter tamen & isti somniantes carnem quidem polluunt, dominatum verò rejiciunt, & dignitates convitiis incessunt.*

9 *At Michaël archangelus, quum adversus diabolum certans disceptaret de corpore Mosis, non ausus est* illi *inferre judicium maledicum, sed dixit, Increpet te Dominus.*

10 *At isti, quæ non noverunt, convitiis incessunt: quæ verò naturaliter, ut animantia rationis expertia, sciunt, per ea seipsos corrumpunt.*

11 *Væ ipsis: nam viam Cain ingressi sunt; & deceptione mercedis, qua deceptus fuit Balaam, effusi sunt; & contradictione Core perierunt.*

12 *Hi sunt in agapis vestris maculæ, dum vobiscum convivantur, absque ullius metu seipsos pascentes: nubes aquæ carentes, ventis circumactæ, arbores emarcidæ, infructuosæ, bis emortuæ, eradicatæ:*

13 *Undæ maris efferatæ, despumantes sua ipsorum dedecora, stellæ erraticæ, quibus caligo tenebrarum in æternum servata est.*

V. 8. exemplum proxime allatum ad seductores istos applicat, quo ad exitii causam, videlicet libidinosam corporis pollutionem: atq; ita seductores istos ab impiis suis moribus describere incipit. Ac proinde statim annectit aliud illorum scelus, videlicet contemtum magistratus: quod scelus amplificat ab adjuncta magistratus dignitate seu gloria, quatenus ipsos principes δόξας, id est glorias appellat. Deinde v. 9. scelus illud amplificat collatione majoris: Ne Michaël quidem archangelus ausus fuit maledicere diabolo: ergo multo minús isti debebant maledicere principibus hominib. Ratio majoris est duplex: una, quia magis probabile est, archangelum & potestatē habere maledicēdi alicui qui maledictionē sit meritus, quám homini: altera, quia magis probabile est, licere ut quis maledicat diabolo, de cujus nimirum emendatione ac salute nulla spes est, quám ut maledicat homini principi, quantumvis impio, de cujus tamen emendatione & salute quamdiu hic vivit, non est desperandum, nisi peccare animadvertatur in spiritum sanctum. Hanc amplificationem illustrat narratione disceptationis quæ Michaëli archangelo cū diabolo intercessit, videlicet de

corpore

corpore Mosis. quod quum á Domino in valle montis Nebuntis sepultum esset,& Israëlitę sepulchrum illud ignorarent: Deut.ult.v.9.videtur diabolus illis voluisse patefacere, eó quód sperabat fore ut cultum illi instituerent:Michaël autem archangelus illum prohibuit. V.10.per antitheſin geminam alia duo istorũ seductorum vitia annectit, quæ ordine sunt tertium & quartum: videl. impudentiam in vituperandis rebus quas nõ intelligũt, & intemperantiam in percipiendis voluptatibus corporis; in qua significanda eos ut similes cõparat animalibus brutis. V.11. & deinceps pergit indicare vitiosos istorum mores: ut sunt odium fratrum, quod significat cõparatione illiorum cum Caino: maledica insectatio piorum ex turpi avaritia,quod declarat exemplo Balaami: seditiosa cõtradictio qua isti sese opponebant piis Dei servis ac verbi ministris, quam illustrat exemplo Core: intemperantia in cibo & potu,quam confirmat exemplo agaparum,id est conviviorum quæ Christiani peractâ sacrâ Domini cœnâ, agitabant ad testificandum mutuam dilectionem. præterea hypocrisis, quam significat similitudine nubium aqua carentium: instabilitas animi, quam significat circumactione nubium á ventis: ineptitudo ad bona opera, quam significat similitudine arborum emarcidarum, sterilium &c. Adhæc vehemens sive iracundia sive libido: quarum alterutram significat similitudine undarum maris. Videtur autem potiús notare libidinem; id enim videntur innuere ista verba, Despumantes sua ipsorum dedecora. Iracundiam tamen videtur notare epitheton ἄγρια. Postremó iterum notat in illis animi instabilitatem, quatenus eos nominat stellas erraticas. Atque huic vitiorum enumerationi ânnectit comminationem exitii æterni,quam etiam inſemerat in principio versus undecimi: ad notandum scilicet principale argumentum institutæ hortationis.

14 *Prophetavit autem etiam de istis septimus ab Adam Enoch, dicens, Ecce, venit Dominus cum sanctis myriadibus suis.*

15 *Ut exerceat judicium de omnibus, & redarguat quicunque ex ipsis sunt impii, de omnibus eorum factis impiis quæ patrarint, déque omnibus duris quæ locuti fuerint adversus ipsum peccatores impii.*

Sequitur alter prosyllogismus quo continentur testimonia. ac primum prophetia Enochi de futuro judicio: deinde prophetia Apostolorum de venturis irrisoribus,v.17. Ad prophetiam Enochi quod attinet, quum illa non extet in libris Scripturæ canonicis, statuendum est Judam illam ex indubitata traditione majorum accepisse. Cæterúm in hac futuri judicii descriptione indicantur tum personæ, tum processus judicialis. Personæ triũ sunt generum, judex, ministri judicis,& rei judicio sistendi. Judex est *Dominus*,nempe Christus: ministri judicis, sunt sancti angeli, quos propter copiam vocat *sanctas myriades*: rei judicio sistendi,sunt *omnes homines*. Processus judicialis est *convictio reorum damnandorum*: quorũ peccata amplificantur distributione é subjectis recipientibus, *in impia facta & dicta*.

16 *Hi sunt murmuratores,queruli, secundùm cupiditates suas incedentes: & quorum os loquitur prætumida,admirantes personas utilitatis gratiâ.*

Interposito testimonio prophetiæ Enochi, redit ad descriptionem istorum seductorum: de quibus hîc quatuor vitia commemorat, ut per se planum est. nisi quód observandum, duobus primis epithetis unum idemque vitium notari. Etenim isti dum de sorte sua conquerebantur, unde dicuntur μεμψίμοιροι: hoc ipso contra Deum & fratres murmurabant, unde appellantur γογγυσαί.

17 Vos

17 *Vos autem dilecti, memores estote verborum quæ prædicta fuerunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi:*

18 *Quód* videlicet *dixerunt vobis, in extremo tempore futuros irrisores qui secundúm impias suas cupiditates incederent.*

Hic interserit alterum testimonium, videl. prophetiam Apostolorum: qui prædixerunt, tales seductores in Ecclesia exorituros: ut nimirum Christiani ab illis sibi caverent, ne per eos seducti & illorum scelera imitantes, eodem exitio sese involvant. Reperitur autem ista Apostolorum prophetia 1. Tim. 4. 2. Tim. 3. 2. Pet. 2.

19 *Hi sunt qui se ipsos segregant, animales, Spiritum non habentes.*

Redit ad descriptionem istorum seductorum: & duo insuper in eis culpat: unum quód sẽ segregent á piis, quum scilicet illi conveniunt ad audiendum verbum Dei & percipiendum sacramenta: alterum quód careant Spiritu Dei: quod nimirum cæterorum omnium vitiorum fons est, & malorum summa.

20 *Vos autem, dilecti, sanctissimæ vestræ fidei superstruentes vos ipsos, per Spiritum sanctum, orantes:*

21 *Vos ipsos in charitate Dei conservate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam.*

22 *Et alios quidem habito delectu commiseramini.*

23 *Alios verò terrore servate ex igne rapientes: odio habentes vel eam tunicam quæ á carne sit maculata.*

Hic redit ad ipsam exhortationem, & hortatur eos ad constantiam & profectum in fide, charitate & spe: simul indicans media quibus possint ista bona consequi, videl. operationem S. sancti, & preces: inserens etiam hortationis argumentum ab effectu utili, videlicet vita æterna. v. 20. & 21. Deinde annectit hortationem alteram, ut nimirum solliciti sint de fratribus quoque ex ista seductione eripiendis & ad salutem adducendis: quam hortationem illustrat distributione ex forma seu modo agendi, ut nimirum alios tractent misericorditer & blandé, alios verò terreant, minando scilicet judicium Dei, vers. 22. & 23. Ad extremum annectit hortationem ad castitatem, illamque hortationem amplificat collatione imparium: *Odio habete*, inquit, *vel eam tunicam quæ á cærnis contactu sit maculata.* Quasi dicat, Quanto magis ipsam carnis libidinẽ & libidinosos istos aversari debetis?

24 *Cæterùm ei qui potest vos custodire ab offensione immunes, & statuere in conspectu gloriæ suæ inculpatos cum exultatione:*

25 Id est *soli sapienti Deo Servatori nostro, sit gloria & majestas, robur & potestas, & nunc & in omnia secula, Amen.*

Concludit epistolam δοξολογίᾳ, id est, celebratione nominis Dei: & ea occasione simul eis promittit Dei opem ad præstandum ea ad quæ fuerat hortatus.

SCHOLIA IN EPIST. JUDÆ.

1 *Jesu Christi servus.* Ιησῦ Χριστῦ δοῦλος. Sic Roman. 1. v. 1. *Jacobi.* Ιακώβου. Scilicet minoris, qui cognominatus fuit filius Alphæi: ut liquet ex eo quód cum hoc conjungitur Matt. 10. v. 3. ubi hic Judas nominatur Lebbæus, cognomento Thaddæus. Jacobus autem major fuit filius Zebedæi, & frater Johannis. Mat. 10. v. 2. *Per Deum patrem.* ἐν θεῷ πατρὶ. Ev pro διὰ. *Jesu Christo.* Ιησοῦ χριστῷ. Accipiendum casu dativo. Vult enim dicere, fideles servari

á Deo ad hoc ut suo tempore sistantur Christo, tanquam sponsa sancta: ut loquitur Paulus Eph.5.v.27. *Vocatis.* κλητοῖς. Nempe ad nuptias illas cælestes, Matt.22.v.2.& deinceps: per prædicationem scilicet Euangelii.

3 *De communi salute.* περὶ τ κοινῆς σωτηρίας. Id est, quæ mihi vobiscum & cum omnibus fidelibus communis est. *Pro fide.* τῇ πίστει. Id est, doctrina fidei, videl. Euangelio. Metonymia adjuncti: qualis 1.Tim.4.v.1.

4 *Priùs jam olim descripti.* οἱ πάλαι προγεγραμμένοι. Id est, ab æterno prædestinati. Metaphora abiis qui memoriæ causâ in codicillis describunt & cõsignant quæ sibi proposuerunt agere. *Ad hoc judicium.* εἰς τοῦτο τὸ κρίμα. Id est, ad hanc impietatem quã deinceps multis verbis describturus est: qua impietate commerentur sibiq; accersunt judicium Dei, id est, æternam damnationem. Metonymia effecti. *Qui transferunt.* μετατιθέντες. Scil. á suo fine ad alienum. Est autem legitimus finis doctrinæ de gratia Dei, ut declaremus nos erga Deum gratos per serium studium pietatis. *Gratiam Dei nostri.* τὴν τοῦ θεοῦ ἡμῶν χάριν. Id est, doctrinam de gratia Dei nostri. Metonymia subjecti.

5 *Semel.* ἅπαξ. Id est, certó, immutabiliter. *Populum.* λαὸν. Nempe Israëliticum. *Ex AEgypto.* ἐκ γῆς Αἰγύπτου. Ad verb. Ex terra AEgypti: vel, ex terra AEgypto. *Perdidisse.* ἀπώλεσεν. Videlicet in deserto.

6 *Suam originem.* τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν. Id est, conditionem seu statum in quo fuerant initio conditi. Sic Joh.8. dicitur diabolus non stetisse in veritate. *Sed reliquerunt suum domicilium.* ἀλλὰ ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον. Id est, Sed Deo rebellantes, altiorem gloriam atq; adeó æqualitatem cum Deo affectarunt: ac proinde propter hoc crimen læsæ majestatis, domicilium suum cæleste coacti sunt relinquere, atq; inde deturbati sunt ad inferos. Synecdoche metonymica, quá unâ cum effectu intelligitur efficiens. *Magni illius diei.* μεγάλης ἡμέρας. quo scilicet cuncti homines, quotquot unquam vixerint, comparebunt coram tribunali Christi. quæ nimirum erit omnium maxima & maximé solennis πανήγυρις. *Vinculis æternis.* δεσμοῖς ἀϊδίοις. Nempe vinculis suæ voluntatis ac potentiæ. *Sub caligine.* ὑπὸ ζόφον. Id est, in loco caliginoso, nempe in inferno.

7 *Et his finitimæ civitates.* ὡς αἱ περὶ αὐτὰς πόλεις. Videlicet duæ istæ, Adamah & Zebójim, ut nominantur Deut.29.v.23. Nam quintæ quæ dicta fuit Zóar, parsum fuit ad intercessionem Loti: ut habetur Gen.19.v.21. *Consimili modo atq; illi.* ὅμοιον τούτοις τρόπον. Pronomen τούτοις refertur ad dictarum civitatum incolas. Etenim civitatibus hic tribuitur scortatio, per metonymiam subjecti: id est, incolis civitatum. *Scortatæ.* ἐκπορνεύσασαι. Quasi dicas, scortando effervefactæ, seu in scortationem effusæ. hæc enim videtur esse vis atque emphasis præpositionis ἐκ in isto verbo composito. *Et carnem alienam sectatæ.* καὶ ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας. Ad verb. Et quũ abiissent post carnem diversam. Sic verecundé notatur flagitium Sodomitarum ἀρσενοκοίτων, quod describitur á Mose Gen.19. Carnis igitur vocabulo per synecdochen integri intelligit partes corporis pudendas. Diversam autem carnem, intelligit eam quæ non in hunc finẽ, sed in finem diversum á Deo condita est. *Pœnam.* δίκην. Proprié, jus. Metonymia efficientis.

8 *Somniantes.* ἐνυπνιαζόμενοι. Id est, inter somniandum. Hic nominativus regitur á verbo Græco μιαίνουσι. Alii reddunt *sopiti*, quod respondet verbo Græco καταφθέντες: & accipiunt μεταφορικῶς de sensibus animi suavitate voluptatum quasi delinitis atq; sopitis. Sed ἐνυπνιάζεσθαι deductum á nomine ἐνύπνιον, quo somnium significatur, significat somniare: nec usquam (quod sciam)

sciam) pro sopiri reperitur. Videtur autem istud participium adjectum ad amplificandum libidinem istorum: ut quæ sese in illis etiam dormientibus exserat. *Carnem.* σάρκα. Id est, corpus suum. Sic ait Paulus 1. Corinth. 6. v. 18. Qui scortatur, in proprium corpus peccat. *Rejiciunt.* ἀθετοῦσι. Quasi dicat, *deponunt*, Scil. de suo throno. Id est, rejiciunt, repudiant, aspernantur. Sic Luc. 10. v. 16. ὁ ἀθετῶν ὑμᾶς, ἐμὲ ἀθετεῖ: qui rejicit vos, me rejicit. Item Johan. 12. v. 48. ὁ ἀθετῶν ἐμὲ, καὶ μὴ λαμβάνων τὰ ῥήματά μου: qui rejicit me, nec recipit verba mea. *Dignitates.* δόξας. Ad verb. glorias, seu majestates. Sic vocat ipsos Principes, per metonymiam adjuncti.

9 *Michaël.* Μιχαὴλ. Nomen proprium Angeli, ut patet ex hoc loco. Est autem Hebraicum, & sonat Latiné, Quis sicut Deus? id est: Quis est similis aut æqualis Deo? quasi dicatur, Nemo. Sunt qui exponant. *Is qui est par Deo.* Sed particula מי Mi, nusquam nisi interrogativé (quod sciam) in Scriptura reperitur. Reperitur hoc nomẽ & Dan. 10. v. 13. item c. 12. v. 1. necnon Apoc. 12. v. 7. in quibus quidem locis nonnulli per Michaëlem intelligunt filium Dei. Sed nihil videtur obstare, quin illic quoq; intelligatur hic ipse Archangelus. Imó textus videtur postulare, ut non filius Dei, sed angelus quispiam intelligatur. Etenim ille Michaël unus principum primariorum (id est, angelorum) esse dicitur: id quod in filium Dei non competit. Ne tum quidem, si illud *unus* per *primus* exponas: quia sic quoq; in ordinem Angelorũ Michël iste refertur. nam si est primus illorum, certé est etiam unus ex illorum numero. Ne quis autem hic quoq; filium Dei intelligendũ putet, eumque nominari sentiat ἀρχάγγελον, tanquam diceres principem angelorum: sciendum, Scripturam inter Christum & archangelum manifestè discernere 1. Thess. 4. v. 16. ubi dicitur, Dominum descensurum é cælo cum hortationis clamore & voce archangeli. Quare sicut Gabrielis, ita & Michaëlis nomine ubiq; angelus intelligendus videtur. *Archangelus.* ὁ ἀρχάγγελος. Potest hoc bifariam accipi: vel quasi significetur, hunc unicum esse archangelum, tãquam cæterorũ principem: vel quasi hic Michaël sit unus ex Archangelorum numero. Sané Scriptura (quod sciam) nusquã nominat archangelos numero plurali: sed ut hic, ita etiam 1. Thess. 4. v. 16. archangeli, numero singulari, meminit: nec (quod sciam) uspiam alibi istud nomen in Scriptura reperitur. Veruntamen si locum Daniel. 10. vers. 13. non de filio Dei, sed de angelo interpretemur: apparebit, Michaëlem non unicum esse archangelum, sed unum ex illorum numero. Etenim ibi angelus Danielem alloquens, inter alia sic ait: sed princeps regni Persici stetit coram me (vel, contra me) uno & viginti diebus: & ecce Michaël unum principum primariorum vẽnit ad adjuvandum me. Ubi qui nominantur principes primarii (Hebraicé Sarim harischonim) illi Græcé videtur rectè dici posse ἀρχάγγελοι. *De corpore Mosis.* περὶ τοῦ Μωσέως σώματος. Construe. περὶ τοῦ σώματος Μωσέως. Quod nimirum á Domino in valle clam sepultum, diabolus conabatur filiis Jsraël patefacere, ad occasionem præbendum idololatriæ. Sic sané illi progressu temporis abusi fuerunt serpente illo æneo quem fecerat Moses in deserto: quippe cui adoleverunt, 2. Regum 18. vers. 4. *Non ausus est* illi *inferre judicium maledicum.* οὐκ ἐτόλμησεν κρίσιν ἐπενεγκεῖν βλασφημίας. Ad verbum ἐπενεγκεῖν res ipsa loquitur subaudiendum pronomen αὐτῷ. Sic autem hæc verba interpretor ex collatione verborum Petri 2. Petr. 2. versu 11. ex quo capite pleraſque hujus epistolæ sententias sumtas esse apparet. Verba Petri sunt: οὐ φέρουσι (οἱ ἄγγελοι) κατ' αὐτῶν (τῶν δόξων) παρὰ κυρίῳ βλάσφημον κρίσιν

id est, Non ferunt (Angeli) adversus illas (dignitates) apud Dominum judicium maledicum. Ergo ut dixit Petrus, φέρειν κρίσιν κατ' αὐτῶν: simili sensu dicit Judas, ἐπενεγκεῖν κρίσιν τῷ διαβόλῳ. Et κρίσις βλασφημίας per Hebraismum, idem valet apud Judam, quod apud Petrum κρίσις βλάσφημος. *Increpet te Dominus.* ἐπιτιμήσαι σοι Κύριος. Hæc eadem verba leguntur apud Zachariam cap. 3. v. 2. sed pronuntiata ab angelo Jehovæ, eodemque ipso Jehova (videlicet Christo) ad Satanam stantem á dextra Jehosuæ summi sacerdotis. *Per ea.* ἐν τούτοις. Id est, διὰ τούτων. nam notatur causa instrumentalis corruptionis. *Sese corrumpunt.* φθείρονται. Sic apud Hebræos conjugatiõ passiva quæ dicitur Niphál, interdum reciprocam significationem habet. Potest etiam verti: Sese perdunt.

11 *Væ ipsis.* οὐαὶ αὐτοῖς. Exclamatio commiserantis. q.d. Heu quám doleo quum cogito quale & quantum exitium isti sibi accersant. Oratio est elliptica. q.d. Vç (id est, dolor & cruciatus) erit seu accidet ipsis. *Core.* τῇ Κόρε. Iste solus nominatur tanquam conjurationis adversus Mosen & Aharonem princeps: veruntamen socios habuit Dathanem, Abiramum & Onem, Numer. 16. v. 1.

12 *In agapis.* ἐν ταῖς ἀγάπαις. Id est, conviviis institutis ad testandum & fovendum fraternam charitatem. Metonymia finis. *Maculæ* σπιλάδες. Id est, quasi maculæ, seu instar macularum. Metaphora. Confer 2. Pet. 2. v. 13. *Absque ullius metu.* ἀφόβως. q.d. Nec Deum nec homines verentur. *Arbores emarcidæ.* δένδρα ἐκ φθινοπώρου. Id est, ὧν φθίνει ἡ ὀπώρα, quarum marcescit fructus. Insurgit autem hic oratio: ut erudité observavit Henricus Stephanus in suo Thesauro, in explicatione istius vocis, quem (si placet) adi. *Bis.* δίς. Hyperbole adhibita ad amplificandum. Videtur autem (ut erudité D. Beza observavit) notari duplex mortis genus: unum cui isti (sicut alii omnes) obnoxii sunt á natura: alterum, quod sibi suâ nequitiâ sponte attraxerunt. Quanquam utrumque illud mortis genus revera unum & idem est: causæ tantúm diversæ sunt.

13 *Caligo tenebrarum.* ὁ ζόφος τοῦ σκότους. Id est, tenebrosissima. Sic 2. Pet. 2. vers. 17.

14 *De istis.* τούτοις. Hebraicé לחם lahém, quod potest etiam reddi περὶ αὐτῶν. Etenim lámed interdum valet περὶ: ut Deut. 12. v. 30. Et ne exquiras de diis earum, scil. gentium. In Hebr. לאלהיהם lelohehém. Sic Deut. 33. v. 7. Et de Levi dixit. Hebr. ולוי ulelevi. *Septimus ab Adam.* ἕβδομος ἀπὸ Ἀδάμ. Scil. inclusivé, seu Adamo connumerato. Etenim Gen. 5. ennmerantur isti septem hoc ordine: Adam, Seth, Enos, Kenan, Mahalaleel, Jered, Henoch. *Dicens.* λέγων. Hoc dictum nusquam reperitur in Scriptura. Statuendum igitur, Judam illud habuisse ex indubitata majorũ traditione, sicut Paulus nomina magorum Jannes & Jambres, 2. Tim. 3. v. 8. aut certé librũ in quo dictum hoc continebatur, intercidisse. *Cum sanctis myriadibus.* ἐν μυριάσιν ἁγίαις. Id est, κατὰ μυριάδων ἁγίων. Hebraïs. Intelligit autẽ myriades Angelorum, ut liquet ex epitheto. Porró myriadum nomine infinita millia intelligit, per synecdochen speciei. Confer Dan. 7. v. 10. Apoc. 5. v. 11.

15 *De omnibus,* κατὰ πάντων. Pro, περὶ πάντων. Sic expono: non autem, *Adversus omnes.* quia ex sequentibus apparet, sermonem hîc esse de omnibus in universum hominibus: quos mox distinguit in pios & impios, ubi ait, τοὺς ἀσεβεῖς αὐτῶν, id est, eos qui ex ipsis sunt impii. Certum est autem, Dominum exerciturum judicium non adversus pios, sed pro illis. Quod si reddatur, *Adversus omnes:* tum per Zeugma subaudiendum erit τοὺς ἀσεβῶν:

&

& pronomen αὐτῆς post τὰς ἀσεβεῖς, expungendum. *Redarguat de &c.* ἐξελέγξαι περὶ &c. Similis syntaxis est in verbis illis Domini de Spiritu sancto, ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας &c. Johan.16.v.8. *De omnibus eorum factis impiis.* περὶ πάντων τῶν ἔργων ἀσεβείας αὐτῶν. Nota: ἔργα ἀσεβείας, pro ἀσεβῆ, dicuntur per Hebraismum. deinde pronomen αὐτῶν, item per Hebraismum, non regitur á proxime-præcedente, ἀσεβείας: sed á remotiore, τῶν ἔργων: ut nimirum intelligas τὰ ἀσεβῆ αὐτῶν ἔργα. Utriusque Hebraismi ita concurrentis exemplum est ptal.2.v.6. At ego inunxi regem meum super montem sanctum meum. Ibi in Hebræo habetur: הר קדשי har kodschí. quod vertendum est, non: *montem sanctitatis meæ*: sed, montem sanctitatis (id est, sanctum) meum. *Quæ patrârint.* ὧν ἠσέβησαν. Pro, ἐκείνων εἷς ἠσέβησαν. Id est, quibus impié egerint. *Quæ locuti fuerint.* ὧν ἐλάλησαν. Pro, ἐκείνων ἃ ἐλάλησαν. Græcismus similis proxime-præcedenti.

16 *Murmuratores queruli.* γογγυσταὶ μεμψίμοιροι. Puto hæc duo nomina conjungenda absque interveniente distinctione: quippe quód unicum vitium utroque notetur, ut declaratum est in analysi. *Secundùm cupiditates.* κατὰ τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας. Id est, prout ducuntur á cupiditatibus. *Admirantes personas.* θαυμάζοντες πρόσωπα. Vel, facies. quo modo dicitur, λαμβάνειν πρόσωπον, accipere faciem: de qua phrasi diximus quâtum satis est, in scholiis ad Rom.2. v.11. Vult dicere, istos adulari potentioribus, ut qui ducantur admiratione potentiæ & authoritatis illorum: quas res Hebræi faciem appellant, eó quod in oculos incurrunt. *Utilitatis gratiâ.* ὠφελείας χάριν. Nempe sua.

17 *Memores estote.* μνήσθητε. Confer 2.Pet.3.v.2.

18 *Secundùm &c.* κατὰ &c. Ut paulo anté v.16. *Extremè impias cupiditates.* ἐπιθυμίας τῆς ἀσεβείας. Ad verb. Cupiditates impietatum: id est (si ita loqui liceat) impiissimas. Etenim genitivus pluralis hoc modo usurpatus apud Hebræos, vim habet superlativi. Sic Daniel nominatur vir desideriorum, id est, desideratissimus, seu quam maximé desiderabilis. Dan.10.v.11.& 19.

19 *Animales.* ψυχικοί. Id est, nihil eximium habentes præter animam rationis participem, non autem renati á Spiritu Dei. Confer 1.Cor.2.v.14. ubi similis extat antithesis inter hominem ψυχικὸν & πνευματικὸν. *Spiritum.* πνεῦμα. Videlicet Spiritum sanctum: id est, regenerationem ab illo profectam. Metonymia efficientis.

20 *Per Spiritum sanctum.* ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Pro, διὰ πνεύματος ἁγίου. Hebraismus. hoc est, ope Spiritus sancti. Puto autem hæc verba regi potiús á præcedente verbo, ἐποικοδομοῦντες: quám á sequente, προσευχόμενοι. quâquam parum refert.

21 *Vos ipsos.* ἑαυτοὺς. Puto hoc referendum ad singulos erga sese: quos nimirum hortatur ut perseverent ac proficere studeant in fide, charitate & spe. *In charitate Dei.* ἐν ἀγάπῃ θεοῦ. Intellige, qua diligitis Deum, seu qua diligitur á vobis Deus. *Expectantes misericordiam.* προσδεχόμενοι τὸ ἔλεος. Id est, misericordem illam sententiam quam judicium exercens pronuntiaturus est, dicens: Venite benedicti patris mei &c. Matth.25.v.34. Metonymia efficientis. *In vitam æternam.* εἰς ζωὴν αἰώνιον. Id est, quæ misericordia vobis cedet ad consequendum vitam æternam.

22 *Alios quidem.* οὓς μέν. Sic loquuntur Græci, οἱ μέν, οἱ δέ: pro, ἄλλοι μέν, ἄλλοι δέ. *Commiseramini.* ἐλεεῖτε. Id est, ex misericordia reprehendite & officii admonete humaniter. Metonimia efficientis. *Terrore.* ἐν φόβῳ. Id est, διὰ φόβου. h.e. terrendo eos per denuntiationé judicii Dei, nisi resipuerint.

Servate.

Servate. σώζετε. Id est, servare studete per istas gravissimas admonitiones. Metonymia effecti. nam illæ admonitiones destinatæ sunt & suscipiuntur ad servandum proximum. *Ex igne rapientes.* ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάζοντες. Id est, veluti ex incendio rapientes. Metaphora: qua quidem innuitur ignis ille æternus atque inextinguibilis. *Vel eam tunicam.* καὶ τὴν χιτῶνα. q.d. οὐ μόνον αὐτὸν τὴν τῆς σαρκὸς μιασμόν, ἀλλὰ καὶ τὴν χιτῶνα &c. id est: non solúm ipsammet carnis pollutionem, sed etiam tunicam &c. *A carne.* ἀπὸ τῆς σαρκὸς. Sic per verecundam synecdochen vocat membrum genitale. *Maculata.* ἐσπιλωμένον. Videlicet per libidinosam pollutionem.

24 *Ab offensione immunes.* ἀπταίστους. Id est, ne pedem offendatis decurrentes in stadio pietatis. Metaphora ab iis qui in stadio currunt. Confer 1.Cor.9.v.24. & deinceps. Nomen compositum est ex privante particula α & inusitato nomine πταιστὸς: quod oritur á verbo πταίω, id est, offendo, impingo: unde πταῖσμα, offensio, quum quis offendit, sive in cursu, sive in vita. *In conspectu gloriæ suæ.* κατενώπιον τῆς δόξης αὐτοῦ. Id est, in cóspectu suo, gloria seu majestate excellēte præditi. Metonymia adjuncti synecdochica. *Cum exultatione.* ἐν ἀγαλλιάσει. Id est, μετ' ἀγαλλιάσεως.

25 *Majestas.* μεγαλωσύνη. Ut Hebr.1. versu 3. & cap.8. vers.1. Petrus vocat μεγαλειότητα, 2.Petr.1.vers.16.

OBSERVATIONES.

Ex v.3. Non est satis, doctrinam Christianam semel amplecti: sed pro ea decertandum est: id quod fit constanti confessione & tolerantiâ persecutionis & vitatione seductorum atque irrisorum.

Ex v.4. Ex hominibus, etiam iis qui in sinu Ecclesiæ degunt, quidam sunt reprobi: qui æterno Dei decreto ad æternam damnationem destinati sunt. Quare quum videmus, impios in Ecclesia regnare; consolemur nos consideratione voluntatis Dei, cui placuit pios per istos exercere. Confer 1.Pet.2.v.8. 1.Cor.11.v.19. Johan.8.v.47. & cap.6.v.37.

Ex eodem versu. Cavendum ne gratiam Dei transferamus ad lasciviam: hoc est, ne freti gratiâ Dei erga nos, indulgeamus pravis cupiditatibus & securé peccemus. Confer Rom.6. v. 15. Gal.5. v. 13. & cap.6. v. 7 Eph.1.v.4. & cap.2.v.10. Luc.1.v.74. & 75.

Ex eod. versu. Notandum est expressum testimonium de deitate Christi.

Ex eodem versu. Qui se Christianos profitentur, atque interim lasciviunt & securé peccatis indulgent: illi ipsis factis Christum negant: quia nimirum negant vim mortis ac spiritus Christi: sicut in Analysi pluribus verbis est declaratum. Quare non est satis ut nos Christianos profiteamur: sed requiritur ut factis nos veré Christianos demonstremus; Christo hero, Deo ac domino nostro fideliter servientes.

Ex v.5.6. & 7. Exemplis judiciorum Dei in nonnullos editis teste Scriptura, moveri debemus ad serium studium pietatis. Confer 1.Cor.10.

Ex v.6. De Angelis ex præsente loco observanda sunt ista: 1. Quód sint Angeli: quia Judas hîc commemorat quid nonnulli eorum fecerint, quídve eis evenerit ac porró eventurum sit. 2. Quód sint á Deo creati: quia Judas testatur, quód nonnulli eorum non servârint suam originem, id est, suum statum in quo fuerant á Deo conditi. 3. Quód creati sint in excellente gloria, ac proinde sapientia & sanctitate: quia Judas testatur quód nonnulli eorum non servarint suam originem, id est, excellentem

illum

illum ſtatum in quo erant conditi: ſed reliquerint ſuum domicilium, videlicet locum cæleſtem lucis & gloriæ plenum. 4. Quód nonnulli eorum in ſuo ſtatu perſtiterint, ac proinde quód nunc Angelorum alii boni ſint, alii mali. hoc ſignificat Judas, quatenus de nonnullis tantúm commemorat quód originem ſuam non ſervarint: quo ipſo innuit, alios ſervaſſe. 5. Quód Angeli boni ordinarié degant in domicilio lucis pleno, videlicet in cælo. hoc ſignificat Judas, quum de malis Angelis ait, quód domicilium ſuum reliquerint: cui domicilio opponit caliginem, id eſt, locum caliginoſum qui alibi in Scriptura nominatur infernus, orcus, abyſſus, tartarus, carcer. 6. Quód Angeli mali ordinarié detineantur in inferno uſque ad diem judicii. hoc ſignificat Judas, quum ait, illos vinculis æternis á Deo reſervari ſub caligine judicio magni illius diei. Id quod intelligendum eſt de domicilio eorum ordinario. nam extra ordinem interdum vinculis illis ad tempus ſolvuntur, & é carcere illo emittuntur in orbem terrarum ad vexandum homines: ſicut videre eſt Apocalyp. 20. v. 7. item cap. 9. ubi ex abyſſo emiſſæ dicuntur locuſtæ, quæ cruciarent homines per menſes quinque. 7. Quód Angeli mali in die judicii univerſalis á Chriſto adjudicabuntur atque addicentur cruciatibus ſempiternis. Uſus hujus doctrinæ eſt, ut perpetuó vigilemus ac oremus Deum, ut nos contra inſidias malorum Angelorum tueatur, ne ab illis vel in corpore lædamur: vel in anima ſeducti, æternas pœnas nobis attrahamus.

Ex v. 6. & 7. Notandum eſt teſtimonium de judicio univerſali, in quo Chriſtus omnes rationales creaturas, videlicet Angelos & homines, judicaturus eſt: bonis quidem decernendo præmia ſempiterna, malis veró ſempiternas pœnas.

Ex v. 8. Tanta eſt naturæ noſtræ corruptio, ut contingat nos peccare etiam in ſomno. teſtatur enim hoc loco Judas de falſis illius ſeculi doctoribus, quód carnem polluant ſomniantes. Sic Lot inceſtum cum filiabus commiſit in ſomno. Etenim diſertè ſcriptum habetur, quód non agnoverit dum filiæ cubarent aut dum exurgerent. Geneſ. 19. v. 33. & 35. Hinc Deus legem tulit de immunditia viri laborãtis gonorrhœa, Levit. 15. Quare cubitum ituri aut ad ſomnum nos compoſituri, oremus Deum ut nos anima & corpore impollutos conſervet.

Ex eodem verſu. Magiſtratus in honore habendi ſunt, quia Judas reprehendit eos qui dominatum rejiciunt & dignitates convitiis inceſſunt. Confer Rom. 13. & 1. Pet. 2. v. 13. & 14.

Ex v. 9. Eſſe inter Angelos dignitatis gradus, ex eo liquet, quód Michaël hoc loco nominatur Archangelus, id eſt, primarius angelus. ſicut apud Danielem vocatur unus ex principibus primariis: Dan. 10. v. 13. item princeps magnus: Dan. 12. v. 1.

Ex eodem verſu. Angeli boni cum malis certant pro defenſione piorum. Confer Apoc. 12. v. 7.

Ex eodem verſu. Diabolus intentus eſt in omnes occaſiones idololatriæ inſtituendæ. hæc enim cauſa fuit cur patefacere Iſraëlitis conatus ſit corpus Moſis, quod clám á Domino fuerat ſepultum: ut ſcilicet Iſraëlitæ honores divinos illi haberent, ſicut poſtea fecerunt ſerpenti æneo: quem idcircó pius rex Hizkija contudit, 2. Reg. 18. v. 4. Cujuſmodi idololatriam eum obtinuiſſe quoque videmus in Papatu, ubi homines ſuperſtitioſi venerantur reliquias (quas vocant) Sanctorum.

Ex v. 10. Cavendum ne damnemus res incognitas, id quod hodie faciunt

faciunt plurimi, qui sub calumnioso atque odioso nomine Calviniſmi & Zvvinglianiſmi damnant doctrinam quam nunquam cognoverunt, & illiu confeſſores rabiosé convitiis inceſſunt.

Ex eodem verſu. Cavendum ne animantibus rationis expertibus ſimiles evadamus, indulgendo ſcilicet voluptatibus corporis.

Ex v.11. Exemplis impiorum divinitus punitorum moveri debemus a fugam ſcelerum & ſtudium ſanctitatis. nam qui impiorum mores imitantur, æterno exitio (ſicut illi) peribunt.

Ex v.12. Convivari Chriſtianis licitum eſt: dummodo caveant luxum, & pauperum habeant rationem. nam ad hoſce recreandum veteres Chriſtiani ſuas agapas celebrabant.

Ex eodem verſu. Cavenda hypocriſis: ne ſimus ſimiles nubibus aquâ carentibus aut arboribus emarcidis, &c.

Ex v.13. Cavenda iracundia, libido, inſtabilitas animi.

Ex verſ.14. & 15. Notandum eſt teſtimonium de judicio univerſali, quod Chriſtus celebraturus eſt in fine mundi. Conſer Matth.25. v.31. & deinceps.

Ex v.16. Cavendum murmur contra Deum & proximum, item indulgentia cupiditatum: nec non grandiloquentia & adulatio.

Ex v.17. & 18. Quum videmus in Eccleſia ſubinde exoriri irriſores, non debemus nimium offendi: quia Apoſtoli id futurum prædixerunt.

Ex v.19. Cavendum ne nos ſegregemus á piis, quum conveniunt ad cultum Dei externum.

Ex eodem verſu. Orandus eſt Deus ut nos indies magis ac magis regeneret ſuo ſpiritu.

Ex v.20. & 21. Studendum ut proficiamus in fide, charitate & ſpe: Deusque pro iſto profectu quotidie orandus.

Ex v.22. & 23. Prudentia Chriſtiana adhibenda eſt in proximo commonefaciendo officii ſui. Alii enim, ut qui ex ignorantia peccant, tractandi ſunt blandiús: alii veró, ut qui peccant contra conſcientiam, duris minis á malo propoſito deterrendi ſunt.

Ex v.23. Chriſtiani omnem ſpurcitiem abominari debent.

Ex v.24. Quum ſentimus noſtram infirmitatem in conſequenda ſanctitate, quantumvis ſerió in ejus ſtudium incumbamus: confugiamus per preces ad potentiam Dei, qui poteſt nos ſervare à peccato immunes: & veró etiam vult: quia promiſit ſe daturum Spiritum ſanctum petentibus.

Ex verſu ult. Deus ſubinde á nobis pro maximis ſuis erga nos beneficiis celebrandus eſt.

FINIS.